FRANC. XAV. MANNHART

SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

# BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM

AC ERUDITIONIS

STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS

ACCOMMODATUM.

*TOMULUS VII.*

DE JURISPRUDENTIA CIVILI ET ECCLESIASTICA.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

*AUGUSTÆ VINDELICORUM,*

SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.

MDCCLXII.

# EPITOME LIBRI XI. DE JURISPRUDENTIA SACRA ET PROFANA.

## CAPUT I.

## JURISPRUDENTIÆ UTRIUSQUE ENCOMIUM.

### §. I.

### *Scientiæ hujus præstantia.*

I.

*Gregorii IX. Pontificis commendatio Juris Ecclesiastici in Proœmio Decretalium: Justiniani Imperatoris commendatio Juris Civilis in Præfatione Institutionum. Elegans imago Juris*

& Justitiæ, in qua illius dotes exprimuntur.

II.

*Homo, quacunque ex parte consideratur, Juri subjacet tam naturali, gentium, & civili, quam divino & Ecclesiastico. Jurisprudentia est munus Dei.*

## §. II.

## *Jurisperitorum dotes.*

III.

*Jurisperitus ingenio, judicio, usu & experientia rerum, ac eruditione polleat, necessum est. Ciceronis testimonium de priscis Jurisperitis. Jurisprudentia est scientia Regia & Regum.*

F. F. Prestl.

*jus solius est, leges supremo jure condere. Veteres Legislatores suas leges alicui semper divinitati adscripserunt. Deus condito mundo jus naturale instituit, ejusque principia palam fecit per lumen naturæ; præter hoc etiam supernaturale per fidem, spem & charitatem, quæ duo jura jus publicum tunc erant. Quin & privatum instituit in paradiso, præceptum dando de non comedendo fructu arboris, in quo præcepto veluti omnia alia continentur fuerunt.*

V.

*Primordia divisionis in jus Ecclesiasticum & Civile: in familia Seth & Enoch reperitur est vestigia juris sacri: in familia Caini, qui primus ædificavit urbem Henoch, juris civilis.*

VI.

*Circa diluvii tempus jus naturale ac supernaturale vix non extinctum fuit;*

*Sed instauratum post diluvium per Noemum. In familia Sem & Abraham conservatum fuit jus sacrum; in familia reliquorum Noe Posterorum jus profanum viguit. Lex circumcisionis.*

## §. II.

## Secunda periodus.

### VII.

*Continet hæc historiam Jurisprudentiæ in secunda mundi ætate a Mose usque ad Christi adventum. Instauravit Deus jus naturale & divinum per Mosen in tabulis Decalogi: Jus Ecclesiasticum veteris Testamenti in libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii: Jus civile passim in Deuteronomio. Moses a Deo constituitur Legislator juris sacri & profani. Triplicis generis præcepta in Veteri lege: Moralia, Ceremonialia, & Judicialia.*

## VIII.

*Jus legis Mosaicæ tum per Pontifices & Judices, tum per Reges, tum per Prophetas administratum fuit ac propagatum. Insigne exemplum Josaphati Regis Juda circa administandum jus sacrum & civile. Scholæ juris utriusque: discipuli & Professores. Perturbatio legis Mosaicæ sub Rege Antiocho. Lex Mosaica ultra* 700. *annos ante Romam conditam, & ultra* 1000. *annos ante XII. Tabulas lata fuit.*

## IX.

*Juris politici origo apud varias gentes sub ipsarum Regibus. Primi profani Legislatores enumerantur in Decreto Gratiani. Platonis Respublica & leges.*

## X.

*Juris Romani initia. Leges curiatæ. Romulus jus naturæ, Numa jus gen-*

*gentium. Servius jus civile propagavit. Leges Regiæ. Exactis Regibus omnia per curias & comitia tractabantur. Facies veterum comitiorum. Jus civile Papirianum.*

## XI.

*Senatus consulta. Plebiscita. Leges XII. Tabularum, earumque descriptio. Decemviri, Censores, Prætores & Ædiles Curules, penes quos omnes potestas ferendi leges fuit. Post Julium Cæsarem, & Pompejum sub Augusto primo Monarcha Lex Regia rediit, & suprema potestas penes Principem esse cœpit.*

## §. III.

## *Tertia periodus.*

## XII.

*Continet hæc historiam Jurisprudentiæ a Christi adventu ad hæc usque tempora. Jurisdictio Ecclesiastica. Concilia*

*cilia Apostolorum : leges in his Conciliis latæ, & Apostolorum : leges in his Conciliis latæ, & Apostolorum sanctiones. Jus sacrum scriptum & non scriptum.*

## XIII.

*Incrementum Juris sacri. Canones Apostolorum & Constitutiones Clementis Papæ. Epistolæ Decretales Pontificum. Decretum Gratiani, & libri Decretalium S. Raymundi de Pennaforte. Gratiani & Raymundi imago, eorumque elogium.*

## XIV.

*Incrementum juris profani. Lege regia & potestate suprema Augustus & reliqui Imperatores moderate primum usi sunt. Crescente legum multitudine iis in ordinem redigendis initium datum est opera Jurisconsultorum. Codices duo Constitutionum ab Imperatoribus Ethnicis factarum conscri-*

*pti a Gregorio & Hermogene. Codex Theodosianus continens Constitutiones Imperatorem Christianorum a Constantino M. usque ad ea tempora. Sex Jurium seu Constitutionum species: Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Placita Principum, Prætorum Edicta, Responsa Prudentum. Multitudo legum.*

XV.

*Justinianus Imp. sparsas leges colligit & Codicem, Digesta seu Pandectas, ac Institutiones condit opera trium Jurisconsultorum. Justiniani imago & encomium. Jus Justinianeum in Occidente collapsum ob irruptiones barbararum gentium: in Oriente neglectum ob novum corpus Juris a Leone Imp. & ejus filio Constantino conditum. Lotharius II. Imp. in Romano Imperio resuscitat Jus Justinianeum. Irnerius J. C. jussu Lotharii Pisis, tum hortatu Mathildis Bononiæ Justiniani libros publice interpretatur, sequentibus aliis. Jus Justinianeum in Germaniam*

piam non ante seculum XIV. fuit introductum; primo receptum tacito consensu Imperatorum & Statuum Imperii: postea a Maximiliano I. confirmatum & praescriptum.

## CAPUT III.

## OECONOMIA JURIS UTRIUSQUE.

### §. I.

### Jus naturae.

XVI.

*Triplex naturae status proponitur & describitur: 1. status naturae integrae. 2. Status naturae lapsae ac reparatae. 3. Status purae naturae. Praerogativae ac circumstantiae cujusque horum statuum.*

XVII.

*Juris naturae descriptio ex Aristotele, Cicerone, & Gratiano. Jus naturale* non

*non solum est lumen & dictamen rationis, sed ordinatio rationis a Deo per lumen rationis omnibus manifestata. Huic juri naturali soli homines sunt subjecti, non vero animalia. Continet jus naturale non solum generalia data principia, sed alia quoque ex his manifeste deducta. Istorum triplex est classis secundum triplex officium, quod Deo, quod nobis, quod proximo debemus. Jus naturale mutationi obnoxium haud esse demonstratur.*

§. II.

## *Jus gentium.*

XVIII.

*Jus naturæ & jus gentium sunt diversa jura. Difinitur jus gentium. Varia regimina politica: Monarchicum, Aristocraticum, Democraticum: in unoquoque istorum viget jus gentium. Duplex consideratio juris gentium, cum pacto, & sine pacto. Scriptores clari de jure naturæ & gentium.*

CAPUT

# CAPUT IV.

## JUS DIVINUM.

### §. I.

### *Jus divinum veteris Testamenti.*

### XIX.

*Descriptio veteris Testamenti. Legis Mosaicæ conditor Deus fuit, non Moses, qui solum promulgavit. Solus populus Israeliticus tenebatur lege Mosaica. Fides in Christum tam ante, quam post legem Mosaicam fuit necessaria ad salutem. Triplicis generis præcepta in hac lege: Moralia, Ceremonialia, Judicialia: singula describuntur. Christi adventu leges veteris Testamenti fuerunt abrogatæ.*

### §. II.

### *Jus divinum novi Testamenti.*

### XX.

*Quid novum Testamentum. Prærogativæ quatuor novæ legis præ veteri.*

*teris. In nova lege sunt praecepta Juris divini partim moralia, partim ceremonialia. Judicialia nulla sunt a Christo instituta, sed relicta fuerunt Ecclesiae, ejusque jurisdictioni. Praecepta juris divini nec mutationi subjacent, nec dispensationi, nisi improprie dictae, seu declarationi. Quo tempore obligare coeperit lex nova. Scriptores inclyti de Jure divino veteris & novi Testamenti.*

## *CAPUT V.*

## JUS HUMANUM ECCLESIASTICUM.

### XXI.

### *Prooemium.*

*Juris humani fundamentum est humana societas, quae triplex est: Conjugalis, Paterna, & Civilis. Ex his nascitur communitas familiae, & ex hac communitas civilis. Tres classes hominum in civili societate. Egregia*

D. Tho-

*D. Thomæ doctrina de societate humana, & communitatibus. Differitur de Principum ac Regum potestate.*

## §. I.

## *Jus Canonicum.*

### XXII.

*Prærogativa Juris Ecclesiastici præ Politico. Falsum esse ostenditur, Jus Canonicum a primo seculorum usu alienum esse. Sacerdotum potestas, & Jus Pontificium apud Ethnicos. Potestas Ecclesiastica exercita primis Ecclesiæ temporibus. Negant jurisdictionem Pontificibus Wicleffus, & Lutherus, aliique Acatholici; quorum argumenta & calumniæ refelluntur.*

## §. II.

## *Decretum Gratiani.*

### XXIII.

*Variæ collectiones sanctionum Ecclesiasticarum, & Pontificiarum Constitutio-*

*tutionum, a variis in lucem datæ: Prima, a Dionysio Exiguo, & Stephano Episcopo Ephesino. Secunda, a Fulgentio Ferrando. Tertia, a Martino Brabarensi. Quarta, ab Isidoro Hispalensi, & a Peccatore Episcopo Setubensi. Quinta, a Cresconio. Sexta, a Burchardo. Septima, a Deusdedit Cardinale, & Anselmo Episcopo Lucensi. Octava, ab Ivone Bellovacensi. Nona demum, a Gratiano. Synopsis Decreti Gratiani.*

## XXIV.

*Discutitur, quantam habeat auctoritatem Decretum Gratiani: & an vim legis obtineat.*

## XXV.

*Disseritur de Canonibus Pœnitentialibus. Facies pœnitentiæ publicæ in antiqua Ecclesia. Examinatur controversia circa canones Apostolorum.*

## §. III.

## *Decretalium Libri V.*

### XXVI.

*Collectores Decretalium epistolarum:* 1. *Bernardus Balbus.* 2. *Joannes Walensis seu Galensis.* 3. *Bernardus Compostellanus.* 4. *Galensis Magister, vel Tancredus Bononiensis.* 5. *Innocentius Cironius.* 6. *S. Raymundus de Pennafort jussu Gregorii IX. Totum corpus Juris Canonici describitur.*

### XXVII.

*Synopsis quinque librorum Decretalium, quid quilibet contineat. Auctoritas Decretalium.*

## §. IV.

## *Decretalium Liber VI. Clementinæ, & Extravagantes.*

### XXVIII.

*Liber VI. auctoritate Bonifacii VIII. Hic usus est opera Guilielmi de Mandage-*

*dagoto, Fredello ſeu Stredelio, Richardo de Senis. Clementinas Conſtitutiones colligi curavit Clemens V. & Joannes XXII. Extravagantes. Liber VII. Decretalium Auctore Petro Matthæo JCto Inſtitutiones Lancellotti JCti Alius liber VIII. Decretalium curante Gregorio XIII. a Flavio Urſino, Franciſco Alciato, Antonio Caraffa, Pinello Aldobrandino, & Matthæo Columna Cardinalibus confectus, ſed ineditus. Recenſentur inſignes Juris Eccleſiaſtici Scriptores.*

## CAPUT VI.

### JUS HUMANUM POLITICUM SEU CIVILE.

### XXIX.

### *Procemium.*

*Primo mundi ævo familiæ ſola benevolentia mutua regebantur: creſcente hominum multitudine ſucceſſit Juſtitia. Exemplum regiminis in fa-*

*miliis Abraham & Loth. Tum leges in Communitatibus conditæ fuerunt.*

XXX.

*Veteres œconomiam Juris in tres partes diviserunt: in vincula societatis, in casus, in remedia. Explicantur singulæ. Jus sacrum tendit ad finem supernaturalem & felicitatem sempiternam: Jus vero profanum ad pacem & tranquillitatem præsentis vitæ, quamvis ordinari possit, & ordinetur optime ad æternam quoque felicitatem. Nihil magis respublicas & regna pessimum dedit, quam religionis & justitiæ neglectus.*

§. I.

## *Codex Justiniani.*

XXXI.

*Confectus est ab Imperatore, opera potissimum Triboniani & Theophili J.Ctorum unius anni spatio, sed immenso labore. Codex repetitæ lectionis quare*

*re ita vocetur: duo illius beneficia, scilicet doctrinæ ordo, & litigiorum proscriptio. Synopsis Codicis.*

§. II.

## *Pandecta seu Digesta.*

XXXII.

*Hæc confecit Imperator opera Triboniani adjunctis* 16. *Jurisconsultis intra triennium. Quare vocetur opus hoc Pandectæ & Digesta. Duo millia voluminum priscorum in quinquaginta libros fuerunt contracta, & in septem Tractatus divisa. Synopsis horum septem Tractatuum.*

§. III.

## *Institutiones.*

XXXIII.

*Fontes, e quibus Institutiones fuerunt confectæ. Sunt tempore posteriores Pandectis, sed promulgatione priores. Synopsis quatuor horum librorum.*

## §. IV.

## *Novellæ seu Authenticæ.*

### XXXIV.

*Quare vocentur Novellæ. Supplent vel corrigunt, vel confirmant jus antiquum: quandoque jus novum constituunt. Non conveniunt auctores in numero Novellarum, neque in vi obligandi.*

## §. V.

## *Feuda, seu Consuetudines Feudorum.*

### XXXV.

*Utilitas & necessitas juris feudalis. Origo nominis & historia feudorum. Synopsis Juris feudalis. Recensentur insignes JCti qui in Corpus Juris Civilis commentati sunt. Quatuor Scholæ Juris peritorum.*

*CAPUT*

# *CAPUT VII.*

## *Jus publicum Ecclesiasticum.*

### XXXVI.

### *Proœmium.*

*Versatur hoc jus (cujus nomen quidem novum est, sed res antiqua) circa Hierarchiam Ecclesiasticam, id est, circa hierarchiæ hujus Caput & membra, seu Pontificem, Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & reliquum Clerum: circa Concilia: circa tribunalia Curiæ Romanæ: circa leges Ecclesiasticas Universales.*

### § I.

### *Hierarchia Ecclesiæ.*

### XXXVII.

*Quid sit Hierarchia: ostenditur dari Hierarchiam in Ecclesia. Hujus supremum caput est Pontifex, cujus prima-*

*tus & infallibilitas adseritur. Cardinalium S. R. E. origo, & dignitas.*

## XXXVIII.

*Patriarcharum numerus & prærogativæ. Primatum & Archiepiscoporum dignitas & potestas. Differitur de Pallio.*

## XXXIX.

*Episcoporum nominis etymon: eorum munus. Parochorum nomen & officium. Canonicorum origo antiquissima: diversitas & dignitas.*

## XL.

*Sacerdotes seu Presbyteri constituunt ordinem diversum ab Episcopis. Monachi & Religiosi sunt membra Hierarchiæ Ecclesiasticæ, in qua animarum saluti invigilant.*

## XLI.

*Reliqui Ministri Ecclesiæ minoris ordinis: Ostiarii, Lectores, Exorcistæ,*

*Aco-*

*Acolyti: Majoris Ordinis: Subdiaconi, & Diaconi. In reliquis præter Romanam & Catholicam Ecclesiis nullus ordo hierarchicus, sed mera confusio.*

## §. II.

## *Concilia.*

### XLII.

*Conciliorum summa auctoritas. Conciliorum variæ classes. Origo Conciliorum: utilitas & caussæ convocandi Concilium:* 1. *Orta hæresis.* 2. *Schisma inter Pontifices.* 3. *Turcæ aliique Ecclesiæ hostes.* 4. *Suspicio hæresis in Romano Pontifice.* 5. *Abusus & vitia Ecclesiasticæ disciplinæ.*

### XLIII.

*Ad Concilii infallibilitatem requiruntur tria:* 1. *Ut legitime sit congregatum.* 2. *Jura & industria in rebus examinandis.* 3. *Confirmatio summi Pontificis. Refelluntur hæreticorum calumniæ.*

XLIV.

*Imago Concilii celebrandi ex Actis Apostolorum desumpta.*

§. III.

## *Tribunalia.*

XLV.

*Causæ, cur variæ Congregationes fuerint erectæ. Congregatio Concilii circa Decreta Tridentini. Congregatio S. Officii seu Inquisitionis. Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium. Congregatio Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticæ. Congregatio Sacrorum Rituum. Congregatio de propaganda fide Catholica. Congregatio Indicis librorum prohibitorum. Congregatio de Indulgentiis & Reliquiis &c.*

§. IV.

## *Leges Universales.*

XLVI.

*Canones & Decreta Concilii Tridentini, cujus imago exhibetur.*

XLVII.

*Magnum Bullarium: Decisiones Rotæ: Regulæ Cancellariæ: Singula describuntur.*

XLVIII.

*Commendatio Juris Publici Ecclesiastici. Ejus scriptores celebriores enumerantur.*

# *CAPUT VIII.*

## JUS PUBLICUM CIVILE.

XLIX.

*Procemium.*

*Juris hujus studium quid sit: neglectum a priscis JCtis. Diversa illius forma: aliud in Gallia, aliud in Anglia, aliud in Dania, aliud in Imperio Romano-Germanico.*

§. 1.

## *Epitome Libri XI.*

§. I.

## *Caput, & membra Imperii nobiliora.*

L.

*De Romani Imperatoris dignitate, persona, & prærogativis. De Collegio Electorum, horumque numero, & officiis. De Collegio Principum. De Collegio civitatum liberarum. Imperii status, eorumque jura.*

§. II.

## *Comitia & Conventus.*

LI.

*Imperium in decem circulos divisum. Matricula Imperii. Principes Directores Circulorum. Conventus Circulorum. Comitia Generalia, horumque forma.*

§. III.

## *Tribunalia Imperii.*

LII.

*Concilium Intimum Cæsareum. Consilium Imperiale Aulicum. Judicium Came-*

*Cameræ Imperialis. Judicium Comitis Palatini. Judicium Rotvvilanum. Judicium Austregæ dictum. Origo & forma horum Judiciorum.*

## §. IV.

## *Leges Imperii.*

LIII.

*Aurea Bulla. Capitulatio Cæsarea. Recessus Imperii. Pax publica profana. Pax Religiosa. Transactio Passaviensis. Pax Westphalica. Matricula Imperii. Horum omnium descriptio. Recensentur Scriptores Juris Publici.*

# *CAPUT IX.*

# CRITICA JURISPRUDENTIÆ.

## §. I.

## *Errores quorundam in tradenda Juris disciplina.*

LIV.

*Malæ artes quorundam Acatholicorum Scriptorum, in explanando jure*

*nium. Quid de peregrinationibus in exteras terras ad Jurisprudentiam addiscendam sentiendum. Insolens in Academia Jenensi dissertatio.*

§. III.

## *Nævi in administranda Justitia.*

LIX.

*Peccant, qui omnem scientiæ hujus vim in legum subtilitatibus ponunt. Minus quam oportet, attenditur ad mentem Legislatoris, & ad Æquum & Justum. Querelæ de caussis protelatis.*

LX.

*Kayseri sensus de Jure Ecclesiastico. Adulatio Scriptorum, dum jus in sacra tribuunt Laicis Principibus & Magistratibus. Felicitas Principum erga Deum & Ecclesiam reverentium ac liberalium. Memorabile effatum Nicolai I. Pontif. Max. ad Michaelem Imperatorem Orientis de usu Juris Pontificii & Imperatorii. Commendatur Æquitas, & justitiæ integritas.*

# LIBER XI.

## DE JURISPRUDENTIA.

### CAPUT I.

### JURISPRUDENTIÆ ENCOMIUM.

§. I.

*Scientiæ hujus præstantia.*

I.

Non est, cur ad commendandam Jurisprudentiam testimonia magno circuitu velut e longinquis regionibus petamus: abundant domestica, atque intra ipsos Jurisprudentiæ tum Sacræ tum profanæ parietes nata, & quidem omni exceptione majora. Duo duntaxat

taxat in medium produco, unum Gregorii IX. Pontificis Maximi, cujus jussu, industria, auctoritate præcipua illa Juris Canonici pars, seu Libri quinque Decretalium, ut vocant, in lucem prodierunt: Alterum D. Justiniani Imperatoris, qui immenso labore, sumtu incredibili, ac immortali memoria Jus Civile seu condidit seu insturavit. Prior voluminum illorum Procemium his verbis gravissimis, & temporum eorum sinceritati, indoli ac stylo accommodatis orditur: *Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos. Sed effrænata cupiditas sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum tot quotidie nova litigia generat, ut nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret, & quæstiones illius implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret; & dato libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum ut honeste vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informetur.* E quibus verbis facile patet, Jurisprudentiam esse fortissimum, quo totius humani generis tanquam vastissimi corporis membra omnia inter se colligan-

gantur, vinculum: esse frenum, quo continentur ac reprimuntur effrenatæ hominum cupiditates, ne suis egressæ finibus pacis & honestatis repagula perrumpant, & utrumque forum litibus ac jurgiis impleant: esse Templum Deæ concordiæ, quæ civium animos mutuis officiis demulcet, ac in commune bonum conspirare facit. Posterior vero, nempe Imp. Justinianus in suarum Institutionum opere ita præfatur: *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis, recte possit gubernari, & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus.* Censuit nimirum Justinianus, Majestatis Imperatoriæ decus ab armis, præsidium vero a legibus & Jurisprudentia petendum esse, ac si plus roboris & firmitatis in Imperio administrando inesset legum scientiæ, quam armorum tractationi. Et vero præliis subjugari solent hostes ac exteri, cives vero ac domestici legibus in officio contineri, quam rem majoris momenti esse nos docent antiqua Romanæ Reipublicæ

tempora, quibus post tot victorias & triumphos per Julium Cæsarem & Pompejum ab hostibus reportatos, conculcatis legibus contra jus & fas civile bellum exarsit, totaque respublica rebus fortissime gestis ornatissima in summum discrimen adducta fuit.

Porro si hujus scientiæ, seu Jurisprudentiæ indolem non tam oculorum quam mentis acie curatius contemplari velimus, eam sane regiam esse, immo divinum quid spirare deprehendemus. Non abs re me facturum existimo, si heic loci Justitiæ imaginem vivis sane coloribus ab Apelle quodam depictam, vel scalpro Praxitelis alicujus effictam in conspectum adducam ex Auctore Anonymo, qui eam ad modum Dialogismi interloquente Philosophorum uno sequenti carmine adumbravit:

Ph. *Quæ Dea?* Just. *Justitia.* P. *cur torvo lumine spectas?*
J. *Nescia sum flecti, nec moveor precio.*
P. *Unde genus?* J. *Cælo.* P. *Qui te genuere parentes?*
J. Νόμος * *est genitor, clara Fides genetrix.*

P. *Au-*

* Νόμος *quod latine significat legem.*

P. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*
J. *Una patet justis, altera clausa malis.*
P. *Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem?*
J. *Ponderat hæc causas, percutit ille reos.*
P. *Cur sola incedis?* J. *Quia copia rara bonorum est.*
*Hæc referunt paucos secula Fabricios.*
P. *Paupere cur cultu es?* J. *Semper justissimus esse*
*Qui cupit, immensas nemo parabit opes.*

Amorem simul ac reverentiam imago hæc Justitiæ, quæ Jurisprudentiæ filia est, ut cujusvis hominum animo ingeneret, aptissima esse videtur.

II.

Sed ut plus dicam, & quidem, uti loquimur, ad *hominem*, ea profecto est Juris conditio, ut totum sibi hominem vendicet. Quippe quacunque ratione hunc considerare velimus, omni ex parte Juri devotum esse reperimus. Vel enim consideramus hominem, uti animal est, & tunc utitur jure naturæ, latissime accepto, quatenus naturæ ductum ad ea,

quæ sensuum sunt, impellentem sequitur; si tanquam substantiam ratione præditam, regitur jure naturali proprie dicto, quo ad ea vitanda, quæ rectæ rationi adversantur, illaque præstanda, quæ eidem consentientia sunt, dirigitur: si ut membrum totius communitatis humanæ spectetur, subjacet juri gentium, eoque adstringitur ad illa, quæ ad populorum ac nationum omnium, sive totius humanæ communitatis bonum ac felicitatem pertinent; si ut subditum Romano Imperio, jure gaudet civili, per totum Imperium divulgato: si tanqum Christianum & S. Matris Ecclesiæ obedientem filium, Ecclesiastico seu Canonico juri subditur; Si denique ut civis seu membrum cujusdam regni, reipublicæ, aut civitatis consideretur, horum propriis ac peculiaribus legibus ad commune bonum regni ac reipublicæ aut loci, cujus civis est, obstringitur, quemadmodum observat Lancellotus, insignis Jurisconsultus (a). Quid igitur magis homini convenit, quam Jurisprudentiæ studium, quod totum hominem, quacunque ex parte intueri eum libeat, veluti circumstat, ubique comitatur, & arctissime complectitur; verbo, sine quo nec animal, nec homo, nec mem-

(a) *Pr. lib. 1. Inst. in Gloss. V. est igitur.*

membrum communitatis, nec Christianus, nec subditus Imperii, nec regni aut reipublicæ civis esse potest?

Quod autem omnium maxime Jurisprudentiam commendat, est, quod ea munus quoddam Dei sit, & velut Palladium e cœlo delapsum, e cujus cultu atque custodia omnis humani generis felicitas pendet. Expers sane rerum in orbe gestarum est, qui haud novit, tamdiu floruisse respublicas, & regna firma stetisse, quamdiu justitiæ fulcro innitebantur, & Jurisprudentum oraculis regebantur: periisse vero, ac susdeque versa fuisse, ubi pulsa in exilium justitia jus & fas oppressum fuit, ac nefas successit. Hinc est, quod Poetæ Astræam Jovis & Themidis filiam, Justitiæ Antistitam aureo illo seculo e cœlo in terram migrasse, ast demum sceleribus mortalium offensam cœlum repetiisse fabulentur. Primam hanc in terras delapsam fuisse canit Claudianus (b).

*Tu prima hominem sylvestribus antris*
*Elicis, & fœdo detergis secula victu.*

Ulti-

(b) *De Consul. Manlii.*

Ultimam vero migrasse testatur Ovidius (c)

*Victa jacet pietas, ac virgo cæde madentes*
*Ultima Cœlestum, terras Astræa reliquit.*

## §. II.

## *Jurisperitorum dotes.*

### III.

Quatuor numerantur præcipuæ, quibus instructos esse oportet eos, qui tam sancto nomine gloriari cupiunt; scilicet ingenium, judicium, usus & experientia rerum, ac eruditio. Ingenio quidem opus est, ut Jurisperitus penetret in arcana primorum Juris principiorum, atque ex his eruat ea, quæ ad causas suis circumstantiis (quales possunt esse innumeræ) vestitas pertinent vel reducendo illas ad prima de quibus dixi principia, vel hæc ipsa illis adplicando: præterea ut fracto legum cortice ad nucleum perveniat, & quod ajunt *juris punctum* tangat: ut pugnantes inter se leges in concordiam revocet; ut non tam verborum apices, quam latentem sub his veritatem æquitatemque expendat. Præter ingenium judicio polleat necesse est, ut rerum momenta, circumstantiarum varietatem,

(c) L. 1. Metamorph.

tem, legum vim, & causæ totius merita maturo consilio ponderet, nec juris specie quadam decipi se sinat, sed æquitatem semper ante oculos habeat. Sulmonensis Poeta monet (d):

*Meritis expendite causam,*
*- - - - non sanguinis ordo,*
*Sed virtutis honor spoliis quæratur in istis.*

Requiritur etiam experientia rerum & usus, qui tribunalium anima est, sine quo tanquam perito nauclero præcellens etiam ingenium justitiæ navem ventorum turbini relictam scopulis & syrtibus frequenter impinget. Jurisprudentia ad pacem & tranquillitatem reipublicæ conservandam tendit, qui finis obtineri nunquam poterit sine diuturna rerum experientia, ut quid prosit, quid obsit, quam curatissime intelligatur. Neque enim semper jus summum sequi oportet, ut pridem advertit Terentius (e) dicens;

*Verum illud Chreme*
*Dicunt jus summum, summa sæpe malitia est.*

De-

(d) *Lib.* 13. *Metamorph.* (e) *In Heauton.*

Demum non postremo loco habenda est eruditio. Hæc enim ipsos Juris utriusque primos fontes detegit, & aperto antiquitatum, maxime Romanorum, sacrario monstrat, unde jura & leges: qui earum Conditores; quæ regiminum forma; quæ metamorphoses regnorum & Monarchiarum &c. sine quarum rerum notitia scientiæ hujus Candidatus nunquam e leguleiorum turba emerget, nec ad Jurisperitorum subsellia evehetur.

His quorum memini adjumentis, ingenio scilicet, judicio, usu & experientia rerum, ac eruditione Veteres Sophi de jure audebant respondere, „ad quos
„ olim in foro ambulantes, & in solio
„ sedentes domi sic adibatur (*quemad-*
„ *modum a Tullio proditum est*) ut
„ non solum de jure civili ad eos, ve-
„ rum etiam de filia collocanda, de
„ fundo emendo, de agro colendo, de
„ omni denique aut negotio aut officio
„ referretur, de divinis & humanis re-
„ bus universe. Iidem & in senatu &
„ ad populum, & in caussis amicorum,
„ & domi & militiæ consilium suum fi-
„ demque præstabant. Illi demum vere
„ erant Jurisconsulti, seu verius, *ut*
„ *idem Tullius de Servio Sulpitio dicit*,
„ Ju-

„ Justitiæ Consulti, & æquitatis Sacer-„ dotes, atque Antistites.„ Et vero felicem Rempublicam, ubi ad aram Justitiæ præclarissimi quique Antistites seu Jurisperiti excubant. Compages enim Reipublicæ justitia est, a cujus recta administratione salus ipsa potissimum pendet: Jus & æquitas vincula sunt civitatum, sine quibus incolumes diu stare non possunt. Immo non est Respublica, ubi non est Justitia, ut præclare apud Ciceronem disputat Scipio: *quocirca*, inquiens, *ubi non est vera justitia, juris consensu sociatus hominum cœtus esse non potest.*

Eam maxime ob caussam gentes per orbem terrarum dispersæ in respublicas sese consociarunt, & Magistratum, Reges, Principes &c. sibi præfecerunt, ut administrata singulis æqua lance justitia infirmiores a potentioribus, justi ab injustis, boni a sceleratis defenderentur, & suum cuique jus tribueretur. Nec alia quam hæc Principalis potestatis origo est teste Justo Lipsio, Magno illo Politices Magistro; quin & Horatio canente (f):

*Jura*

(f) *Serm.* 3. *lib.* 1.

*Jura inventa metu injusti fateare necesse est,*
*Tempora si fastosque velis evolvere Mundi:*

Quum vero Principes ac Reges tot oculos, tot aures, tot manus non habeant, quibus per se tanti momenti negotium perficiant, Jurisperitos ac Consultos maturo judicio seligunt atque constituunt, quorum opera in tribuendo cuique suo utantur, & quorum custodiæ Justitiam publicam privatamque committant. Qua re nescio quid majus dici possit tum ad scientiæ hujus dignitatem atque præstantiam commendandam, tum ad eorum, qui ejus candidatos se profitentur, animos excitandos, ut summa qua par est cura, vigilantia, labore eas sibi dotes comparent, quas ad tam sublime munus necessarias esse diximus. Sublime munus adpello Jurisprudentiam: est enim, teste Contzenio, insigni Jurisperito, ἐπιςήμη Βασιλικὴ, καὶ τῶν Βασιλέων, *seu scientia Regia & Regum. Nam & Regibus digna est, & necessaria Regibus; quam ob causam in quibusdam Universitatibus in Actibus solemnibus Doctores Juris purpureis insignibus, qui regius color est, uti videmus.*

CAPUT

# CAPUT II.

## HISTORIA JURISPRUDENTIÆ SACRÆ AC PROFANÆ.

### *Procemium.*

Historiam Jurisprudentiæ tam Sacræ quam profanæ dum pro instituti mei ratione in conspectum dare adorior, labyrinthum ingredi mihi videor; adeo omnia ad eam pertinentia apud scriptores plerosque confusa, lubrica, mutila, sine ordine ac serie tradita invenio. Acatholici quidem, utpote jugi Ecclesiastici impatientes, vel omnem juris sacri dicundi potestatem eliminare conantur, vel certe illud posterioribus primum Ecclesiæ confirmatæ seculis Pontificum & Cleri potentia introductam esse contendunt: Non minus Catholici parum de Ecclesiastica jurisdictione soliciti omnem in id curam impendisse videntur, ut Juris civilis antiquitatem & fontes detegerent, ejusque fines ultra quam par est ac decet, extenderent. Quapropter ex infectis fontibus sinceram sanamque hoc in negotio

tio seu eruditionem seu doctrinam frustra exspectamus ; Utrique autem sacra profanis & profana sacris miscentes, plurimaque e Romana historia in unum conjecisse cumulum contenti omnium primam juris originem, ejusque fontem, & præcipuam in Ecclesiasticum ac Politicum divisionem prodere neglexerunt, dum vel hinc a Codice Justinianeo illinc à Decreto Gratiani, vel qui longissimo etiam intervallo progressi sunt, tum a duodecim Tabularum legibus, tum ab illis, quas Moses promulgavit, initium duxere. Verum altius repetenda res hæc est, & ab origine mundi prima Juris conditi exordia & incunabula sunt investiganda, quoniam sine jure mundus nunquam stetit, nec stare potuit. Tum vero indagandum, qua ratione primus fons iste in duos veluti alveos longo seculorum tractu se se diviserit, nimirum in Jus sacrum & profanum, in Ecclesiasticum & Civile, in *Pontificium* & *Imperatorium*, ita ut vastissima hæc scientia, scilicet Jurisprudentia, in bono lumine atque sub unum veluti conspectum collocetur sine tantis, quibus plurimi utuntur, ambagibus, sed potius cum continua temporum & mutationum sibi succedentium serie, atque sic a prima

omni-

omnium origine ad nostra usque tempora Jurisprudentiæ historicum ut loquimur filum se se porrigat. Quare in tres potissimum periodos temporum illam dividendam esse censui ; in prima ut palam fiat Jurisprudentiæ tum sacræ tum profanæ fons & origo usque ad Mosis, & Regum ac Rerumpublicarum Veterum tempora: in secunda, ut ab his ad Christi adventum, atque Augustum Cæsarem : in tertia denique hinc ad Gratianum & Gregorium IX. Pontificem illinc ad Justinianum Imperatorem usque recto tramite pergatur, atque ita suum cuique, quod primum omnis Juris fundamentum est, tribuatur.

## §. I.

## *Prima Periodus.*

### §. IV.

Condendo mundum, & in mundo incolas ratione præditos, fieri non potuit, ut non continuo Jus quoddam nasceretur. Nam hac ratione Conditor Deus superiorem, immo supremum Dominum se se constituit, homines vero a se creatos inferiores & sibi subditos fecit. Ubi autem superior & inferior, ubi

De-

Dominus & Subditus, ibi Jus, quod in hunc illi competit, abesse non potest. Porro jus absque lege nequit subsistere, quum hæc sit illius *exercitium*, sitque interpres jure suo utentis lateri perpetuo adhærens: proprium autem duntaxat est superiori, legem & præcepta inferiori constituere; hocque ipsum sempiterna lege cautum est, *inferiores parere superioribus, & parem in parem non habere imperium*. Quare solius Dei est prærogativa, divinæque dominationis excellentia, leges (id est juris, ac boni & æqui præcepta) ponere hominibus, ita ut legislatores humani vicariam solum potestatem condendo leges exerceant, quumque homo homini jure proprio leges dare nequeat, interpretes sint Dei, supremo sibique proprio in omnes jure gaudentis, suamque in illos potestatem, certis tamen limitibus circumscriptam transferentis. Quopropter homo hac in parte fungitur officio Dei, diciturque *illius imago*, ut jam pridem Plutarchus (g) animadvertit, & S. Scriptura conceptis verbis prodit: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt* (h). Res hæc minime latuit antiquos legum latores etiam mediis in tenebris

(g) *De Doctrin. Princip.* (h) *Prov.* 8.

nebris idololatriæ versantes. Nam dum probe cognoscerent, humanam auctoritatem fore imbecilliorem, quam ut pondus addat, & apud populos sibi subjectos firmiter stabiliat leges a se conditas, divinam quandam & ex alto derivatam iisdem conciliare studuerunt, fingendo, se a Numine quodam eas accepisse, aut certe cum aliquo Deorum Dearumque maturo consilio communicasse. Ita ferunt Regem Minoem in vulgus sparsisse, leges suas a Jove Deorum maximo inspiratas sibi dictatasque fuisse: ita Rex Numa Pompilius ab Ægeria Nympha, cum qua familiaris sibi sermo intercederet, arcanis colloquiis suggestas esse dictitabat: Trismegistus Ægyptiis persuasit, Mercurium esse legum suarum auctorem: Lycurgus ut Lacedæmoniis fucum faceret, ab Appollinis ore leges suas hausisse se jactabat: Draco & Solon Atheniensibus vendiderunt leges a se latas quasi totidem divina Minervæ oracula: quin & Mahometes Alcoranum suum, seu legum codicem tanquam a Gabriele Archangelo traditum consignatumque Arabum genti observandum proposuit. Nimirum agnoverunt homines isti, quam cæci in religionis negotio, tam sapientes plerique in

populorum regimine; agnoverunt inquam nullum esse jus, nec vim ac robur inesse legibus sine Numine quodam, & altiore aliqua, unde repetantur, dominatione. Quod isti factis, hoc pridem dictis comprobavit Tullius (i): *Hanc video, ait, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi probibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio mensque sapientis ad jubendum, deterrendum idonea.* Ex his jam patet primus fons & origo omnis juris ac potestatis ferendi leges; qui alius non est nisi Deus, isque solus; quique dum mundum, & in mundo homines ratione præditos omnipotente verbo suo ex nihilo condidit, Superiorem ut meminit se fecit ac Dominum, & Jus potestatemque statuendi leges in subditos ac inferiores, ut ita dicam, acquisivit. Videamus nunc, qua ratione jus hoc, potestatemque istam nascente statim

(i) *Lib. 2. de leg.*

tim mundo exercuerit Numen. Considerare possumus hominem tanquam Deo subditum duplici ratione, scilicet secundum naturæ suæ conditionem, & secundum eam, quæ supra naturam est, qua nimirum ad altiorem cœlestemque finem in prima sui origine Dei beneficio fuit elevatus. Utrique huic conditioni idem Deus ac Dominus de jure ac legibus providit. Et primo quidem Jus, quod naturale vocamus, constituit, dum indidit homini lumen rationis, quod quædam facienda, vitanda alia esse dictat. Hujus juris principia omnium prima sunt: *declina a malo & fac bonum:* &, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* e quibus latissime patentibus manifesta ratione alia deducuntur ad Deum, ad seipsum, ad proximum spectantia, nimirum: *colendum esse Deum tanquam rerum omnium conditorem, quique bonos præmietur, contra puniat malos: honeste vivendum esse ac abstinendum a vitiis naturam rationalem dedecentibus: parentes esse honorandos: neminem lædendum in bonis animæ, corporis, ac fortunæ.* &c. Quemadmodum autem natura humana omnibus hominibus, tanquam ejusdem speciei, communis est, ita etiam jus hoc naturale ad universos

 homi-

hominesque pertinet. Nullus enim est quantumvis barbarus & sylvester, qui non hoc lumine naturali, si mentis oculos aperire velit, quædam quæ justa sunt, ab illis quæ injusta, secernat. Differant quantum velint homines sermone, ritibus, vestitu, ingenio, moribus; at hac in re tanquam in natura communi, sibique intime præsenti consentiunt omnes. Sed & aliud jus, idque excellentius homini vix condito mundo pro ratione conditionis suæ ad ea, quæ supra naturam sunt, elevatæ posuit Deus, quod *supernaturale* vocamus, quo per fidem, spem, & charitatem ad finem supernum tendere tenetur; per *fidem* quidem, quam firmissimam adhibere debet iis, quæ a Deo revelata sunt, ob ejusdem loquentis summam auctoritatem & sapientiam: per *spem*, qua animum ad cœlestia dona, gratiam, vitamque æternam consequendam erigat oportet, innixus Dei potentissimi simul & fidelissimi promissis: per *charitatem* vero, eum tanquam Ens infinite bonum atque perfectum toto corde totisque viribus diligendo. Atque lex ista, quum per divinam gratiam omnium mentibus infusa & velut insculpta fuerit, omnes omni tempore obstringebat, eadem Dei gratia

gratia vires ad id exequendum suppeditante. Utrumque hoc jus tam naturale, quam supernaturale, quum ad omnes ut dixi pertineret, quasi jus commune ac publicum erat. Verum neque privatum defuit in ipsa mundi origine, e quo fluxit præceptum illud, quo Deus Adamo & Evæ interdixit esu *ligni scientiæ boni & mali* (k). Atque hanc legem exstitisse matrem ac fontem aliarum omnium, quæ postea per Mosen latæ fuerunt Hebræis, scite animadvertit Tertullianus (l) sequentibus verbis: *Deus in principio mundi ipsi Adæ & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent. Quodsi contra fecissent, morte morerentur, quæ lex eis sufficeret, si esset custodita.* Quippe in hac lege Adamo data quasi omnia præcepta recondita fuisse cognoscimus, quæ postea per Mosen in lucem protracta fuerunt. Si enim primi parentes dilexissent Deum, illius præceptum nulla ratione fuissent transgressi: Si dilexissent se ipsos, nunquam intentatæ mortis, totque miseriarum reos se fecissent: Si proximum, neutiquam posteritatem omnem in extremum præcipitassent exitium: neque homicidium in se ipsis, no-

 bis-

(k) *Genes.* 2. (l) *Libr. advers. Judæos.*

bisque omnibus commisissent; neque furtum clam gustando vetitum sibi fructum; neque serpenti falsum testimonium dicenti fidem adhibuissent; neque debitum parenti optimo, Deo Maximo honorem unquam subtraxissent.

V.

Constituto sic jure communi ac privato alia quoque juris vestigia non procul ab ipso mundi exordio apud primos parentes reperire licet, & quidem duplicis, nimirum si sic vocare fas est, juris sacri ac civilis. Quid enim? dum legimus in Sacris Literis (m), Abelem & Cainum obtulisse Deo munera de frugibus terræ, & primitiis gregum, dubium esse haud potest, præceptum de tali Numinis cultu & sacrificio fuisse a Deo intimatum Adamo ejusque filiis, id quod ad jus sacrum pertinet. Rursus ubi idem Numen Adamum & Evam, & in his posteros conceptis verbis allocutus est (n): *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; legem quandam civilem, scilicet de conjugio, quod ad vitæ communis societatem pertinet, nec adhuc ad sacramenti dignitatem evectum

(m) *Genes.* 4. (n) *Genes.* 2.

ctum erat, condidisse merito videtur, dicique potest, prima heic quasi rudimenta, immo fundamenta Juris Utriusque jacta esse, primumque juris peritum fuisse Adamum, qui omni scientiarum genere atque notitia a Deo ornatus istud cum naturali ac supernaturali jure, de quibus dictum est, in familia sua magnis sensim incrementis aucta propagavit, explicavit, & sartum tectumque servavit. Ab eo tempore usque ad Noemum & diluvium, quod totam inundavit terram, & paucis exceptis humanum genus extinxit, non est reperire certa quædam aliarum legum vestigia, & quæ jura tunc fuerint usurpata. Quum tamen sacra Scriptura prodat, una ex parte quidem, Sethi & Enochi filios pie sanctеque vixisse, ac divinum propagasse cultum, ex altera vero Cainum primum ædificasse civitatem Henoch ad plagam orientalem Eden, cumque filiis suis & nepotibus, qui primi civilibus artibus & opificiis operam dedere, ea in urbe ac vicina regione Damasci habitasse, non abs re licet asserere, jus sacrum penes Sethi & Enochi posteros, quos *filios Dei* adpellat S. Scriptura, custoditum ac quibusdam legibus ad sacra pertinentibus auctum amplificatum-

tumque fuisse: jus vero profanum aliquod a Caino ejusque stirpe, e qua *filias hominum* procreatas esse eadem Scriptura sacra memorat, ad societatem civilem, quam inierant, conservandam esse constitutum. Quippe, si duos characteres illos probe considerare velimus, quibus Divinæ Literæ utramque Sethi & Caini progeniem insigniunt, omissis aliis rebus utrinque gestis, facile patebit, non inanem esse, quam adtuli, opinionem. De Seth inquit: *Peperit* (scilicet Adam) *filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: ipse cœpit invocare nomen Domini* (o). Dubium autem esse nequit; quin Adam cum uxore sua, reliquaque familia amplissima Dei nomen quotidie invocaverit, supremum hunc Conditorem ac Dominum colendo, honorandoque. Quare dum Enos dicitur cœpisse invocare Dei nomen, intelligendum hoc esse videtur de cultu quodam veri Numinis publico, certis quibusdam legibus constituto. Profecto nobilissimus Scripturæ S. interpres Cornelius a Lapide (p) dum in hunc locum commentatur, ait: „Enos auctor „ fuit,

(o) *Gen.* 4. (p) *In Genes. c.* 4. *v.* 26.

„ fuit, ut passim homines rite Deum „ colerent. Unde hebræa habent: *tunc* „ *cæptum est*, scilicet publice, & per „ coëtus, auctore Enos, *invocari no-* „ *men Domini.* Tempore ergo Enos vi- „ dentur cœtus hominum institui & in „ Ecclesiam congregari cœpisse ad pu- „ blicas preces, ad publicas conciones „ & catecheses, ad publicum Dei cul- „ tum per sacrificia, aliosque ritus & „ ceremonias.„ Atque ita jus quoddam sacrum & Ecclesiasticum, latis aliquibus quoad tempus, ritus & ceremonias legibus, sine quibus ætatem ferre non potuisset, circumscriptum, in Enochi familia, & apud filios Dei multo tempore floruisse satis constat. Jam vero de Cain, ejusque filiis & nepotibus alium characterem producit S. Scriptura, dum ait: *Habitavit - - - in terra ad orientalem plagam Eden - - - ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* De nepotibus vero Caini: quod Jabel fuerit *Pater habitantium in tentoriis, atque pastorum,* Jubal *pater canentium cithara & organo*, Tubalcain *malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri.* Ex quibus patet, Cainum ædificasse civitatem (quæ omnium prima fuit) in qua cum

filiis & nepotibus, omnique familia sua satis utique copiosa habitavit, civilemque vitam egit, ita ut quidam agriculturæ, alii Musicæ, opificiis alii & artibus diversis sub suis quisque magistris operam dederint. Hæc autem civilis vita, & opificum artificumque cœtus sine certis quibusdam legibus subsistere neutiquam poterant; ut ita ex hac prima hominum in urbe ac vicis circumjacentibus degentium communitate profanum ac civile jus originem suam, licet adhuc rudem ac tenuem, traxisse videatur, majoribus semper postea incrementis auctam.

## VI.

Verum succedentibus temporibus, ubi crescente hominum numero malitia quoque & scelerum colluvies in immensum excrevit, uti morum, ita & jurium mutatio ingens secuta est. Nam jus illud naturale ac supernaturale declinante a via veritatis omni hominum genere, & in scelera gravissima fœdissimaque ruente misere vastatum, ac lumen rationis clarissimum in densissimam impietatis noctem conversum, omneque jus & fas injuriis & nefandis criminibus vix non penitus extinctum fuit: *omnis quippe caro corruperat viam suam*, ut ait S. Scriptura

ra (q). Jus quoque sacrum, in Seth & Enos familia per multos annos religiose conservatum, nepotibus sceleratæ stirpi Cainiticæ se miscentibus vix non omnino pessum iit, sacro cultu duntaxat penes Noe ejusque filios & uxores remanente: jus autem profanum & civile sublato per diluvium, dissolutoque humanæ societatis vinculo penitus disparuit. At expiato per aquas ultrices terrarum orbe, humanoque genere per Noemum ejusque familiam sensim propagato rursum jura & leges instaurari cœperunt. Duas tum temporis invenire leges licet in SS. Literis expressas, quas Deus ipse tulit vix exacto diluvio, quibusque esum carnis cum sanguine prohibuit, & homicidii reos morte mulctari præcepit: *Carnem cum sanguine non comedetis*, & *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* (r): eam vero matrimonii, quam in paradiso dederat, confirmavit: *crescite & multiplicamini*. Reliqua prudentiæ ac sapientiæ Noemi commisisse visus est. Et vero Patriarcha hic spectatæ pietatis *justus* atque *perfectus*, juris naturalis & sacri profanique veluti reliquias communi naufragio subtractas collegit, & divinarum humanarumque legum

(q) *Genes.* 6. (r) *Genes.* 9.

legum observantiam pene sepultam suscitavit. Quippe ut Berosus auctor tam ab antiquitate, quam ab eruditione spectabilis (s) scribit; Noe vetustissimus omnium pater antea edoctus Theologiam & sacros ritus, cœpit etiam homines erudire ac docere humanam sapientiam, eamque mandavit literis, & reliquit Armeniæ populis. Verum a Noemi præceptis rursus descivervnt posteri; primum quidem Cham ejus filius degener, cui Pater maledixit, cum posteritate sua: deinde & alii, quo longius latiusque multiplicata gente ad inhabitandas vicinas regiones (præcipue post factam a Noemo inter filios suos terræ distributionem, linguasque apud turrim babylonicam confusas) discesserunt. Omnia tum paullatim occupavit idololatria, & veræ de rebus in mundi ortu ac diluvio gestis narrationes in fabulas transmissæ fuerunt, a quibus ad majores Principes, ac Heroes gentis suæ in Deorum numerum referendos progressi sunt homines, dimittentes, ut ait D. Augustinus (t): *Deum a quo facti erant*, & colentes *illa, quæ ipsi fecerant*. In sola stirpe Sem, filiorum Noe primogeniti (e qua postmodum Abrahamus descendit) uti vera religio, ita sacrum quoque jus asy-

(s) *Lib.* 3. (t) *In Psalm.* 84.

asylum invenit, fuitque conservatum. Silente inter reliquos hoc jure sacro, jus profanum caput extulit. Quippe tres Noem filii Sem, Cham, & Japhet orbem inter se velut ad testamenti a patre relicti normam sunt partiti, dum primus cum familia sua interiores Asiæ partes, alter occidentales plagas seu Europam, tertius exteriores Asiæ regiones cum Africa incoluerunt, & oppida & civitates moliri, ac ditiones, respublicas, principatus & regna fundare cœperunt, ad quæ gubernanda conservandaque utique opus erat civilis juris ac legum sanctionibus, quæ qualesve fuerint tum temporis, quum pro cujusque arbitrio factæ sint, equidem ignoramus, facile tamen eas e variarum gentium ac nationum succedentium juribus, legibus, ac regiminis forma intelligere licet, quoniam e posterorum moribus primorum parentum ac conditorum institutio ac norma, quam tenuerunt, plerumque tralucet. Interea in Semi posteritate, uti dictum est, præcipue vero in Abrahami a Deo electi, ut pater multarum gentium esset, familia vera religio deique cultus angustos intra fines sese continebat. Heic novam a Deo legem, ab Abrahamo totaque ejus progenie virili observandam fuisse latam

S.Scri-

S. Scriptura prodit, quam legem *Circumcisionis* dicunt: (u) *circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Ad sacrum jus lex hæc pertinebat, quoniam ritu hoc initiabantur, quotquot veram tum temporis religionem fidemque palam profitebantur, & figura fuerat sacramenti baptismatis in nova lege postmodum succedentis. Ipse Abraham de Ur Chaldæorum evocatus, quum in regionem Chanaan migraret, eos populos omni sapientia tam divina quam humana erudiendos suscepit, ut ita merito inter primos Juris Doctores numerandus veniat. Neque deerant scholæ his disciplinis tradendis discendisque. Nam ut Hebræi apud Lyranum tradunt teste Cornelio a Lapide (x), una erat, cui Melchisedec seu Sem, altera cui Heber, tertia cui Abraham præerat, cuique operam suam præcipue Chaldæi ac Ægyptii navarunt. Atque hæc, quæ hucusque in medium attuli, prima velut semina sunt, & rudimenta omnis jurisprudentiæ tam sacræ quam profanæ, quemadmodum primi fontes fluviorum etiam ingentium semper parvi & absconditi esse solent, donec plu-

(u) *Genes.* 17. (x) *In cap. Genes.* 25.

pluribus aucti rivulis, quo plus progrediuntur, crescant, & in immensum sese spatium denique diffundant.

§. II.

*Secunda Periodus.*

VII.

Quemadmodum in prima mundi ætate Jurisprudentiam illam, quam non in membranis aut tabulis, sed in primorum hominum mentibus exaravit Deus vivis veluti characteribus, seu lumine tum eo, quod naturale, tum quod supra naturam est, indito; quemadmodum, inquam, Jurisprudentiam illam a posteris Adæ in flagitia passim-ruentibus vix non deletam per Noemum suscitavit, ita rursus ab ejusdem Noemi progenie scelerata depravatam in altera mundi ætate per Mosen instauravit. Erat Moses *Vir eruditus omni sapientia Ægyptiorum, potens in verbis & in operibus suis* (y), electus a Deo Israelitarum Dux, natus anno Mundi 2373. vivensque eodem tempore, quo Cecrops primus Athenarum Rex, qui bello Trojano quadringentis annis superior fuit. Huic nempe Mosi, postquam e servitu-

(y) *Act.* 7. v. 22.

vitute Ægyptiaca Israeliticum populum liberavit, ipse supremus Legislator Deus in monte Sinai duas Tabulas lapideas, atque in iis Decalogum seu decem leges proprio digito conscriptas tradidit (z): *Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi, ut doceas eos.* In his continebatur tota quasi summa & series legis naturalis, quam etiam Moses tanquam Dei Legatus summa cum fidelitate promulgavit, & tanquam Doctor publicus a Numine constitutus maxima cum perspicacia, doctrinæque ubertate toti populo explanavit. Voluit autem Deus scripto consignatum dare jus hoc, ne imposterum ulla apud homines oblivione deleretur. Non solum autem jus naturale velut e tenebris & densa noctis caligine in lucem tunc prodire visum est, sed & jus sacrum & civile magis se se explicare ac latius dominari cœpit. Juris sacri quidem legibus plenus est Pentateuchus, præsertim liber Exodi, Leviticus, & Deuteronomium; in horum primo Deus ipse Mosi præcepit, quæ ad cultum sibi debitum pertinent, dum Tabernaculum ædificari, altare construi, sacerdotes constitui, sacrificia

(z) *Exodi* 24.

ficia fieri & hostias immolari exquisitissimis verbis mandavit. In Levitico autem continentur leges, quibus ritus in holocaustis & victimis offerendis, & sacerdotibus initiandis religiose observandi ordinantur: item leges de vino Dei ministris, quando tabernaculum intrabant, & Nazaræis ac Rechabitis perpetuum interdicto, de votis ac decimis solvendis, de ciborum certo genere vitando, de animalium & hostiarum delectu, de totius anni festis solemnissimis, Paschatis nempe, Pentecostes, Tabernaculorum, Expiationis publicæ, Tubarum sive exordii civilis anni, Sabbatici, ac Jubilæi. Juris civilis vero norma & leges traduntur passim in Deuteronomio, ubi agitur de delictis morte aut alio pœnarum genere castigandis, de conservandis cujusque juribus, de usuris & fraudibus in commercio vitandis, de damnis datis resarciendis, maxime de judiciorum ac regiminis forma. Hanc ipsius Mosis tanquam Legislatoris etiam civilis a Deo constituti verbis heic referre juvat: *Non valeo*, inquit ad populum, *solus negotia vestra sustinere, & pondus ac jurgia . . . Tulique de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, . & constituti eos principes, tribunos, & centuriones, & quin-*

*quagenarios*, *ac decanos*, *qui docerent vos singula*. His vero præcepit idem Moses: *audite illos*, *& quod justum est judicate: sive civis sit ille*, *sive peregrinus*. - - - *quod si difficile vobis visum aliquid fuerit*, *referte ad me*, *& ego audiam* (a). Observanda heic duo veniunt: primum quidem est discrimen illud, quod S. Scriptura facit, dum in tradendis Juris naturalis & sacri legibus semper Deum ipsum locutum esse memorat: *Locutus est Dominus ad Mosen*, *dicens &c.* At in judicialibus promulgandis Mosen loquentem inducit: *Hæc sunt verba*, *quæ locutus est Moses ad omnem Israël &c.* quo discrimine indicare voluit, ea quæ Juris naturalis & sacri sunt, a Numinis ipsius ore pendere, atque ab eo tanquam rem suam curari: illa vero, quæ ad Jus humanum & civile pertinent, hominibus vicaria cum potestate a se relinqui. Alterum est, triplicis generis præcepta fuisse legis veteris seu Mosaicæ: *Moralia*, *Ceremonialia*, & *Judicialia*. Moralia docebant partim debitum Deo cultum esse exhibendum, partim proximo non inferendam injuriam, quæ quoniam ratio quoque naturalis humanæ insita naturæ dictet, sunt etiam Juris naturalis: Cere-

mo-

(a) *Deuteron. cap.* I.

monialia in ritibus, quibus colitur Numen, speciatim determinandis occupabantur: Judicialia vero statuebant modum, quo justitia in populo Israelitico esset administranda; quas leges Judiciales apud Hebræos instar juris civilis fuisse Philo Judæus testatur.

## VIII.

Hac ratione constitutum apud Hebræos jus, seu lex quam Mosaicam adpellamus, indies magis illustratum & promulgatum fuit tum per Pontifices & Judices, tum per Reges, tum per Prophetas. Pontifices quidem Aaron, Eleazar, Phinees, horumque successores erudiebant populum in iis, quæ ad sacrificia, festa, & ceremonias adtinebant, & leges legumque apices publicis in cœtibus explicabant: Judices vero, ut Moses, Josue, Othoniel, Debora, Gedeon, Samuel &c. velut Dei interpretes ejus præcepta promulgaverunt, & ut ab omnibus custodirentur, diligentissime invigilarunt, ita ut ad eos tanquam ad oracula in rebus arduis confugeretur: non minus summa cum potestate populum regere, judicia exercere, gerere bella contra hostes infideles, domi forisque cuncta gubernare consueverunt. Ubi autem Judicum mu-

nus populi importuno desiderio, & Numinis indulgentis auctoritate abrogatum fuit, ac Reges successerunt, isti magnam in rebus sacris & profanis curandis potestatem exercuere. Inter hos eminebant David Rex religiosissimus, qui tot inter regiminis & bellorum curas quamplurimis psalmis & canticis veram Dei Ecclesiam & Numinis cultum illustravit: Filius ejus Salomon, qui magnificum templum Hierosolymitanum struxit, & summa cum magnificentia Deo dedicavit; præterea libris suis & juris naturalis & morum præcepta ad omnium Ægypti ac Græciæ sapientium invidiam explicando complexus est: Josaphat Rex Juda, sub cujus regimine plurimum floruit juris utriusque auctoritas. Nam quum alii Reges complures Israelis & Juda ad jura gentium deflecterent, ipse ad stabiliendum jus civile *constituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, & præcipens judicibus: videte* ait *quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

Ad

Ad custodiendum vero jus sacrum *in Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens: sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis* (b). En! præclaram divisionis ideam inter jus Ecclesiasticum & Civile, uti & inter Judices sacros & profanos. Nec est, quod persuadeamus nobis, illius ævi Juris studia & Judicia nonnisi rudia atque simplicia fuisse, quemadmodum stylus est, quo a S. Scriptura describi solent. Non defuerunt legum codices, non Jurisconsulti, quales erant seniores populi, non Leguleii ac Judices, scilicet sacerdotes ac Principes, non solemnitates, non tribunalia, quæ sub portis civitatum constituebantur; neque etiam defuerunt fraudes &

(b) 2. *Paral.* c. 19.

& artes, quibus jura pervertebantur, & corrumpebantur judicia, uti patet e pluribus ejusdem S. Scripturæ locis, ubi non raro in judices iniquos, & perversa judicia declamatur. Demum Prophetæ magna apud populum & Reges auctoritate pollebant, eorumque verbis velut oraculis fides habebatur, quum illis Deus tanquam præconibus legum ac mandatorum suorum uteretur, præsertim tristi tempore illo, quo in captivitatem Babylonicam abstracti Reges Israel & Juda cum populis suis, in eaque per annos septuaginta detenti fuerunt, Ibi Prophetæ patria jura & leges, veramque religionem in medio nationis pravæ conservarunt, ne omnino extinguerentur, uti Jeremias, Daniel, Zacharias, Aggæus &c. Inter hos præcipue memorandus heic venit Esdras. Hic Sacerdos, Propheta, Scriba, & Doctor post solutam sub Cyro Rege captivitatem cum reliquis Hierosolymam reversus sacrum codicem legis Mosaicæ, injuria temporum magnam partem deperditum memoriæ beneficio integritati suæ restituit. Porro Prophetæ tum temporis multos quoque discipulos & Auditores numerabant, quos sacra Scriptura *Filios prophetarum* nuncupat, quosque in scholis illi erudiebant in le-

ge

ge divina humanaque. Ejusmodi scholæ fuerunt in Naioth Ramathæ auctore Samuele (c) in Bethel civitate (d) in agro Hierichuntino sub Elia & Elisæo (e) in Silo & Galgalis &c. plures in Jerusalem, inter quas celeberrima fuit magna Synagoga, seu senatus centum & viginti Patrum, quorum princeps Esdras, de quo dixi, eum in finem congregatus, tum ut divinæ legis observantia pristino splendori restitueretur, tum ut in unum corpus collectis sacris libris scripturarum, quæ tunc temporis exstabant, Canon & correcta S. Codicis editio vulgaretur. Ab hoc tempore jus naturale, divinum & humanum, publicum & privatum magna in veneratione nec minore observatione apud Principes & populum erat adnitentibus summis sacerdotibus, inter quos Eleazar Ptolemæo Philadelpho Ægyptiorum Regi septuaginta duos senes doctrina conspicuos & legis peritissimos submisit, qui sacram Bibliam miro consensu ex Hebraico in Græcum idioma transtulerunt, ut etiam in alias gentes Hebræorum Jurisprudentia diffunderetur. Sed invalescentibus sensim pravis moribus, & legibus impune violatis accedente Pontifi-

(c) 1. *Reg.* 19. (d) 4. *Reg.* 2. (e) *ibid.*

tificum æmulatione jus & fas omne in summum discrimen adductum est. Quippe perversi quidam viri Israelitæ, patriæ proditores, missis ad Regem Antiochum legatis obtinuerunt ab eo *potestatem, ut facerent justitiam gentium. Et ædificaverunt Gymnasium in Jerosolymis secundum leges Nationum &c.* (e) Accessit huic malo aliud non minus grave, nimirum æmulatio summorum sacerdotum. Nam Jason Oniæ frater ab Antiocho Epiphane supremum Pontificatum muneribus emit, pulso Onia: mox idem de Jasone tentavit perfecitque Menelaus; capta Solyma cum ingenti Judæorum strage, sacer Codex Vulcano traditur, leges Gentium introductæ, totaque respublica vix non funditus eversa fuit. Obstiterunt quidem sat longo tempore huic torrenti fortissimo animo Machabæi, fuso etiam sanguine pro aris & focis ac patriis legibus domi forisque clarissimi; sed tandem & his succumbentibus, ac Herodianis per vim succedentibus, dum Sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi ad solum legis corticem & exteriores ritus plusquam religiose intenti essent, adventu morteque Christi Servatoris lex Mosaica sublata fuit, substituta in ejus locum nobiliore sanctio-

(f) 1. *Machab.* cap. 1.

ctioreque lege Gratiæ. Heic considerationе digna venit antiquitas Juris sacri & civilis, quo utebantur Hebræi, quum lex Mosaica septingentos & plus annos ante lata promulgataque fuerit, quam Roma fuisset condita, & plusquam mille annos, antequam XII. Tabularum Jus Romæ introductum esset, ut Chronologia nos docet. Quo enim tempore Romulus regnum auspicabatur, nugasque illas execrandas, ut loquitur Possevinus, suarum legum de sacris & religione ferebat, eodem tempore jam toto oriente percrebuerat fama atque cognitio Mosaicæ legis, quum *& in Judæa notus esset Deus*, & extaret celeberrimum Salomonis Templum, quo ad colendum Deum undique populi confluebant, & Prophetæ ac Sibyllæ conclamarunt Christum esse venturum, cujus legi & jugo Romanum & reliqua imperia essent subjicenda.

## IX.

Dum hæc Juris sacri & civilis norma in republica populi Electi vigebat, jus quoque Politicum sensim inter exteras gentes invaluit. Equidem divisis post confusas ad turrim Babel linguas Noemi posteris tum ante ac post Mosen Legislatorem, tum circa illius ævum diversa re-

gna & respublicæ coaluerunt. Affur seu Bel jam A. M. 1758. Assyriæ regnum & Monarchiam fundavit: Abrahami tempore, quum Patriarcha hic dei jussu peregrinaretur, quatuor Reges adversus quinque alios in aciem processisse legimus in libro Genesis (g), Ægyptii vastissimum erexere regnum, quorum Rex primus erat Apis A. M. 2108. Cecrops primus Athenarum Rex fuit, Mosi coævus A.M. 2364. Ipse Moses Og Regem Basan, & Sehon Regem Amorhæorum, aliosque finitimos commissis præliis devicit. Dardanus Troiæ, Minos Cretæ, Tantalus Phrygiæ, Janus Italiæ, Perseus Argivis, Saturnus Latio imperitabat Judicum Israeliticorum ævo (h). In his regnis atque Rebuspublicis jus quoddam & leges, quibus intra limites populus contineretur, conditas fuisse dubium esse non potest, quum perversos Israelitas aliquot *ad jura & leges gentium* defecisse memoret S. Scriptura. Quænam autem qualesve fuerint, ad nos haud pervenit. Verosimile est, alias atque alias pro cujusvis imperantis arbitrio tum circa nefanda illorum sacra, tum circa politicum regimen constitutas fuisse. Certiora de Legislatoribus primis, qui partim naturæ lumine, par-

(g) *Cap.* 14. (h) *Numer.* 22.

partim Philosophiæ moralis studio leges suas ad ordinatæ reipublicæ formam adaptarunt, intelligere licet e Gratiani Decreto (i) dum ita loquitur: „ Phoroneus Rex græcis primus leges judiciaque constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Atheniensibus dedit. Lycurgus primus Lacædemoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, leges Romanis edidit „. At præ aliis Plato ille divinus & in rebus politicis facile princeps, qui vixit A. M. 3602. magni momenti leges (siquidem aliquam in Ægypto lucem hauserat e Divini Codicis editione græca) nobis reliquit in suis de Republica libris. *In primo libro* statuit: „ Fidem esse servandam, immo adversus hostem sempiternam fidei auctoritatem constare debere. Justitiam colendam, injustitiam omnibus diris detestandam, ex illa felicitatem, ex hac infelicitatem existere. Jus suum cuique tribuendum, ita ut unicuique erit bono. Neminem lædendum, ne hostem quidem. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Magistratus subjectorum curam gerito,

„ &

(i) *Part.* 1. *dist.* 7. *can.* 1.

„ & publicæ utilitatis rationem habeto.
„ Qui privatum emolumentum in publi-
„ ci muneris administratione publicæ an-
„ teposuerit utiliti, damnas esto, & pe-
„ culatum pœnas luito. Qui in Repu-
„ blica Magistratum ambierit, damnas
„ esto, & ambitus pœnas luito. *In li-*
„ *bro secundo* docet: Nemini vel com-
„ modi caussa esse injuriam inferendam.
„ Ne quid fallaciter, malove dolo fiat.
„ Deum esse unum, atque eundem, im-
„ mutabilem, omnium bonorum aucto-
„ rem, veracem, cupiditatibus humanis
„ nullo modo obnoxium, optimum, per-
„ fectissimum. De religione prima esto
„ cura in republica, & de ea certis le-
„ gibus cavetor. Nec ea Religio ad-
„ mittitor, quæ fabulosis commentis Dei
„ naturam perverserit: & si qua irrepse-
„ rit, mature exterminator. Eæ opinio-
„ nes, quæ Deum mutabilem, mali au-
„ ctorem, mendacem, præstigiatorem fa-
„ ciunt, illius naturam pervertere cen-
„ sentor. Ex æquo & bono Judex leges
„ moderator. *In libro tertio*, Poetis,
„ quod simplicitati & gravitati piorum
„ noceant, in republica nullus locus tri-
„ buitor: Extra Imperii fines tamen co-
„ ronati & unguentis delibuti (ut eru-
„ ditioni honos aliquis detur) amandan-

„ tor.

„ tor. Fabulatores, quod mendacium „ animis civium ingenerent, e republi„ ca longe facessere jubentor. Vestium, „ ædium, picturæ, & ejusmodi rerum „ modus ex temperantiæ formula defi„ nitor. Jurisperitis & Medicis, nisi „ ex ordine exploratis, exercere artes „ fas nequaquam esto. Magistratus suam „ salutem reipublicæ salute, opes utilita„ te terminato: neque ab illa sententia „ unquam usquam abscedito. Ab ava„ ritiæ sordibus animum prorsus aver„ tito. Munia sua in commune depo„ nito: nihil proprium possideto.„ Ita Plato Rempublicam suam saluberrimis legibus stabilivit, quæ utinam immortales forent.

## X.

Sic circumcirca exsurgentibus Legislatoribus, ferventeque studio ferendarum legum, quibus populi in communem vitam congregati in officio continerentur, Jus Romanum caput erigere cœpit. Initio quidem Urbis Romanus populus nulla certa lege vivebat, Regum arbitriis pro Jure observatis, a quibus *lites dirimebantur, & quod justum illi judicassent, id erat pro lege*, ut ait Dionysius Hallicar-

licarnasseus (k). Aucta civitate, simul & negotiis increscentibus Romulus primus Rex, quum omnibus definiendis non jam sufficeret, populum in 30. Curias divisit, certisque legibus constitutis, quæ *Curiatæ* adpellabantur, (eo quod a populo per lictorem curiatim congregato rogarentur) in gravioribus Reipublicæ negotiis ejusdem sententias exquisivit, uti prodit Tacitus (l). Romulum secuti Reges (scilicet Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Martius, L. Tarquinius Priscus, Servius Tullius, L. Tarquinius superbus) Ex his alii alias quasdam tulere leges, ita ut inter eos clariores, Romulus juri naturæ, Numa juri gentium, Servius juri civili excolendo operam navarit, si Tacito credimus. Quippe Romulus de educatione liberorum, de matrimoniis, de parentum jure sanxit: Numa de homicidiis, de bonæ fidei *contractibus*, de sepultura quasdam leges tulit: Servius vero Tullus teste Dionysio de *contractibus* & injuriis quinquaginta leges rogavit, item de fœnore, de nexis ære alieno, deque aliis, quæ complura postmodum in suas Tabulas Decemviri transtulerunt. Has leges Regias, ne incerto Lare vagarentur,

Juris

(k) *Lib.* 10. *c.* 1. (l) *Lib.* 3. *Annal. c.* 26.

Jurisconsultus (primus hoc nomine compellatur Publius Papirius, tempore Tarquinii superbi, Regis ultimi) in unum veluti corpus collegit; quod *Jus Civile Papirianum* nuncupari cœpit, cujus nunc paucissima exstant fragmenta, cæteris omnibus injuria temporum deperditis. Verum non diu tenuit Regum dominatio. Nam Anno U. C. 244. ob tyrannidem ac vitæ licentiam lege Tribunitia civitate pulsi fuerunt, maxime ob violatam a Sexto Tarquinii superbi filio Lucretiam, Matronam Romanam pudicitiæ laude florentissimam. Inde factum, ut cum Regibus legum quoque regiarum auctoritas exoleverit, cœperitque populus, ut initio civitatis, fere omnia negotia per Curias & Comitia tractare. Nosse heic juvat plurimum, quid rei fuerint Curiæ istæ atque Comitia. Erat *Comitium* locus Romæ in foro, ubi carcer quem Tullianum adpellabant, & Rostra seu suggestum e captivarum navium rostris exstructum, statuæ plurimæ Deorum & Heroum, ac Puteal Libonis, quod ara fuit, quam tenentes manibus Judices jurabant, se ex animi sententia judicaturos. Comitia vero fuerunt conventus populi, alia *Curiata* seu ex *Curiis*, quas a Romulo ob curam

rei-

reipublicæ habendam constitutas dixi, quæque ad suffragium dandum secundum censum & ætatem curiatim evocabantur; alia *Centuriata*, quando per singulas centurias suffragatio fiebat, & quidem in Campo Martio extra civitatem: alia *Tributa*, quæ inibantur, quum plebs sine Patriciis secundum urbis regiones & loca tributim seu per tribus congregabatur. In his Comitiis antequam ferebantur leges, prius publice scripto fuerunt expositæ per *Trinundinum*, hoc est, tres nundinas seu dies viginti septem. Postmodum institutis auspiciis, scilicet avium inspectione, observatione de cœlo, tripudio sive terripavio, aut solistimo ibatur in Comitia. Facta sortitione circa ordinem dandi suffragii (in quo prima Centuria seu Tribus dicebatur *Prærogativa*) dirimebantur seu distribuebantur Tabellæ duæ, in quarum una scripta erat litera A, id est, *Antiquo* seu *nolo*, in altera U. R. *uti rogas*, id est *approbo*: quæ postmodum tabellæ cistis, urnis, cunis seu sitellis per pontes angustos collocatis injectæ, & ad ineundum suffragium extractæ recognitæque fuerunt. Tum legem laturi rogabant populum seu Quirites, ut discederent in suas classes, ac in suffragia irent, (inde legis *roga-*

*rogatio*) quæ si Tribunis non arridebat, ipsi intercessere, seu se opposuere solemni verbo *Veto* aut *Vetamus*, atque ita prohibebant, quo minus lex ferretur. Porro quod plures tribus, centuriæ aut curiæ comprobarunt, sanciebatur, ita quidem, ut quod populus Romanus, cujus pars vilior *plebs* vocabatur, ratum habuisset, ejus rei Patres conscripti sive Senatores fierent *Auctores*, hoc est, confirmarent, omnesque cives firmarent juramento. Denique lex sive Centuriata, sive Curiata, sive Tributa in æs incidebatur. Hic itaque ritus erat ferendi leges apud Romanos in libera Republica.

XI.

Cæterum ejectis, ut dixi, Regibus duo Consules creati sunt, qui omnia jura omniaque Regum insignia capessivere, solum de capite civis Romani judicium retinente sibi populo, lenem autem coercitionem senatui relinquente. Ab eo tempore *Senatus Consultis* multum tribui cœptum est. Hic enim non de iis duntaxat, quæ ad reipublicæ majestatem amplitudinemque pertinuerunt, pro potestate decernebat, verum etiam auctoritatem suam, si privatorum res postularent, interponebat. Brevi tamen, ne

Consulum potentia ultra limites progrederetur, Dictator constitutus est, cui duae secures ad terrorem additae: Magister quoque Equitum adjunctus fuit, cui cura ludorum faciendorum, feriarum, comitiorum, senatus legendi ac Reipublicae constituendae incubuit. Quoniam autem plebs opprimi a potentioribus libertatem, securioremque se esse in bello quam pace vel credebat vel re ipsa experiebatur, facta secessione Tribunos sibi constituit, quos Consulibus opponeret. Horum ampla erat vis atque facultas, scilicet intercedendi adversus Magistratus potentiam, atque ipsius etiam Dictatoris imperium, item quoties oportere visum fuit, convocandi ac dissolvendi senatum. Hac ratione quum Tribuni rogare plebem debebant, factum est, ut quod plebs jubebat, ratum firmumque esset, unde *Plebisscita* originem duxere. Verum nec ista regiminis forma aetatem tulit. Exortae siquidem sunt gravissimae frequentissimaeque Patres inter ac plebem contentiones, utraque parte legum ferendarum potestatem sibi vendicante: quod his placuit, illi displicuit, Tribunis sedulo discordias foventibus. Quapropter ut turbis continuo crescentibus ac rempublicam misere depascen-

ſcentibus tandem finis imponeretur, nec invidiæ locus eſſet, in eam itum eſt ſententiam ut quas domi ſtabiles reperire non liceret, foris peterentur leges, quibus deinceps Romani viverent. Communi ergo auctoritate miſſi ſunt Athenas Legati Sp. Poſthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, qui aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, juraque cognoſcerent. Hi luſtrata maxima Græciæ parte demum reverſi ſunt cum legibus Lacedæmoniorum & Athenienſium, quæ Romam allatæ, ſummaque cum veneratione ab omnibus exceptæ decem Tabulis, primum eboreis, tum æneis inſcriptæ fuerunt, ac publico in foro pro Roſtris, ut apertius legi ac intelligi poſſent, poſitæ A. U. C. 303. Decemviris ad id conſtitutis, ut ſublata omni provocatione eas interpretarentur, & ſi opus eſſet, corrigerent ampliarentque, qui re ipſa duas alias Tabulas, in quibus leges Romanorum proprias conſignabant, ſequenti anno adjecerunt. Inde orta eſt adpellatio Juris XII. Tabularum. Atque ab his totius juris publici ac privati originem ducit Livius, (m), & Cicero (n) *Diſcebamus*, inquit *pueri duode-*

(m) *Lib.* 3. *c.* 34. (n) *Lib. de leg.* 2.

*duodecim Tabulas ut carmen necessarium, quas jam nemo discit.* Duobus autem versibus tripartitam Tabularum istarum divisionem complexus est Ausonius:

*Jus triplex Tabulæ, quod ter sanxere quaternæ:*
*Sacrum, privatum, populi commune quodusquam est.*

Nimirum prima pars comprehendebat Jus illud, quod ad sacra pertinebat, altera jus publicum, tertia privatum. Observat autem scite Possevinus, astutiam Satanæ decem Tabulas e Græcia Romam transtulisse, quarum initio Deorum cultus, delubra & luci, & larium sedes, & ritus familiæ patriæque, & sacra execranda statuuntur, eo nimirum consilio, ut duabus Tabulis Mosis, & contento in iis Decalogo nefandas has Tabulas opponeret. Extant adhuc hodie istarum fragmenta quædam apud varios Auctores, præsertim Vinçentium Gravinam (o). Decemviri vero ad exponendas XII. Tabulas illas constituti, de quibus supra memini, fuerunt Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, Sp. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Serv. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp.

(o) *Lib.* 1. *Orig. Jur.* §. 32.

Sp. Posthumius. Juvat heic breviter quædam de Tabulis, earumque materia, loco, ac tempore scitu digna inserere: Vocarunt Romani leges suas nomine Tabularum, ut imitarentur Athenienses, qui Solonis leges ligneis tabulis insculptas appellarunt ἄξονας: Ulpianus vero omnem materiam, cui leges inscribuntur, nuncupavit Tabulas, etiamsi ea papyrus esset, vel membrana, vel cortex, vel corium animalis. Eas auctem, de quibus memini, Romanorum Tabulas XII. Pomponius ex ebore factas fuisse contendit, contra Diodorus Siculus, Livius & alii ex ære fusas asserunt: alii primum X. tabulas eburneas, postea vero omnes XII. æneas fuisse autumant; quod ultimum factum esse Plinius ait ad perpetuitatem monumentorum & Constitutionum publicarum. Porro scribebantur leges carmine, ut facilius a vulgo addiscerentur. Vetus autem ille mos incidendarum legum in æneas tabulas usque ad tempora posteriorum Cæsarum Theodosii atque Valentiniani propagatus fuit, uti constat ex verbis in Codice Justinianeo *l. 2. de frument. urb. Constantinopol.* relatis, quibus Imperatores isti legem quandam de frumento urbis Constantinopolitanæ æreæ tabulæ incidi jus-

ferunt. Locum vero quod adtinet, leges XII. Tabularum pro Rostris propositæ fuerunt loco illustri prope Curiam Hostiliam (cui postea circumactis plus quam centum annis navium antiaticum rostra suffixa nomen fecerunt) quod factum est exemplo Atheniensium, qui leges suas proponebant prope statuas Heroum, a quibus appellationem ducebant Tribus Atheniensium. De Tempore, quo durarunt hæ tabulæ, æternitati dicatæ, prodit Diodorus Siculus, qui vixit Augusto imperante, suo etiamnum ævo eas pro Rostris incolumi sculptura stetisse; immo D. Cyprianus post annos fere ducentos nondum expunctas fuisse tradit in epistola secunda ad Donatum; quandonam autem posteritati subtractæ fuerint, nemo est, qui accurate referat. Hæc de Tabulis legum Romanarum. Redeamus ad Decemviratum. Mutabilis est in horas dominatio in manibus populi posita; nec Decemviratus diu substitit, utpote quo post biennium ob Appii Claudii libidinem exauctorato Censores in rempublicam introducti sunt, quorum erat populi censum inire. De horum officio ita loquitur Tullius (p): „Censores populi ævitates, soboles,

„ fami-

(p) *Lib. 3. de leg.*

„ familiasque censento. Urbis templa, „ vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento. Equitum peditumque prolem describunto. Bini sunto. Magistratum quinquennem habento. Eaque potestas semper esto „. At annus ab urbe condita 387. ut Livius inquit, insignis fuit novi hominis consulatu, insignis duobus Magistratibus: Prætura, & Curuli ædilitate, quos Patricii occuparunt pro concesso plebi altero Consulatu, ad quem illa L. Sextum, cujus lege partus erat, e gremio suo evexit. Porro Prætoris munus erat, ut in urbe de causis negotiisque privatis jus diceret. Nam in facinorosos homines summa potestas penes populum erat, qui extra ordinem, ubi opus fuit, Quæsitorem seu Quæstorem constituebat, ut adversus ejusmodi homines inquireret. Ædiles Curules autem ita dicti, quod curru tanquam sella seu throno insidentes e curia veherentur, de certis causis jus dicebant, & Edicta proponebant. Non minus plurimæ novæ leges hac tempestate condebantur, ut lex Genutia, Hortensia, Glicia, Cincia, Acilia, Fannia, Voconia, Cornelia &c. quibus utilitas tam publica quam privata promovebatur. Ita res gerebantur in Romana Republica usque ad Cajum Julium Cæsarem, qui rebus bellicis fortiter

gestis a militibus suis Imperator salutatus Consulatum petiit, quem quum & Pompejus ambivisset, Respublica in duas factiones scissa fuit, quarum una Cæsari, Pompejo altera adhæsit, sequente ambitionem atroci bello civili. Verum Cæsar in Pharsalica pugna victor, Pompejo profligato & Ptolomæi Ægypti Regis perfidia occiso, quinque triumphis Gallico, Ægyptiaco, Pontico, Africano, & Hispanico clarus suprema potestate potitus est; sed non multo post viginti tribus vulneribus interfectus C. Octavio Augusto imperium reliquit, qui latis multis legibus, & pacato fere toto terrarum orbe consilium quidem iniit de Republica reddenda, & imperio deponendo, sed a suis prohibitus animum ad imperium lege firmandum adjecit. Itaque anno urbis 729. C. Cæsare Augusto decimum, & C. Norbano Coss. lata est *Lex Regia*, qua summa & regia potestas, quam populus Romanus ab ejectis regibus sibi vindicaverat, in unum principem translata est, ut is quidem nulla legis necessitate teneretur, omnique scripto jure solutus esset, ei vero parerent omnes. *Quod* igitur, ut Arcadius Jurisconsultus loquitur, *Principi placuit, legis habebat vigorem.* Atque ita Respublica Romana in Monarchiam migravit.

§. III.

## §. III

### *Tertia Periodus.*

XII.

Tertiam periodum, quantum ad jus sacrum & Ecclesiasticum pertinet, a Christi servatoris nostri in terras adventu auspicari juvat, qui uti veterem seu Mosaicam legem abrogavit, ita novam legem, nimirum Gratiæ, illi substituit. Atque in hac lege gratiæ a Christo Domino tanquam Legislatore supremo collata est D. Petro ejusque successoribus, utpote suis in regenda Ecclesia Vicariis, jurisdictio Ecclesiastica. Voluit enim ex his terris discessurus ad cœlestem Patrem, a quo omnem potestatem acceperat: *omnia dedit ei Pater in manus*, (q) voluit inquam Ecclesiam a se fundatam regi modo humano, ac per homines. Quare Petro dixit, & in Petro omnibus legitime successuris Pontificibus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: pasce oves meas: Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis &c.* (r). Nimirum duas claves seu dupli-

(q) *Joan.* 13. (r) *Matth.* 16. 19. *Joan.* 21.

duplicem contulit potestatem, & docendi & gubernandi Ecclesiam, quæ sane potestas ultima sine jure, sine legibus neutiquam subsistere potest. Et vero hac jurisdictione sibi concessa quamprimum usus est D. Petrus cum reliquis Apostolis, dum varia Concilia congregarunt, ut de iis, quæ ad cultum divinum, & Ecclesiæ pertinerent regimen, statuerent, Evangelicasque leges stabilirent. Primum erat Hierosolymitanum post Christi in cœlos ascensum, anno 34. ut sentit Baronius, vel ut computat Labbe anno 33. quo convenerant Apostoli in domo Mariæ Matris Joannis, ut duodecimus Apostolus sufficeretur in locum Judæ, & *Episcopatum ejus alter acciperet*, quod etiam sorte supra Mathiam cadente factum est. Monstravit heic jurisdictionem sibi tanquam Ecclesiæ totius capiti concessam D. Petrus & congregando cœtum ex Apostolis & Fidelibus conflatum, & primus alloquendo hunc cœtum: *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit &c.* Alterum Concilium Apostolicum eodem anno Hierosolymæ celebratum fuit. *Placuit* ibi, quum æquum haud esse videretur, Apostolos relicto Dei verbo ministrare mensis, ut eligerentur septem Diaconi, qui hoc ministerio fungerentur, quibus etiam

manus

manus imposuerunt Apostoli, id est (uti Patres Concilii Neocæsareensis, S. Dionysius, Cyprianus, Isidorus, Salmeron, & Cornelius a Lapide sentiunt) in Diaconatus ordine constituerunt. Tertium Apostolorum Concilium, quod sequentium omnium norma est, & e quo desumpta fuit Oecumenicorum Conciliorum formula; *Visum est Spiritui Sancto & nobis* (s), denuo Hierosolymis Claudio Imperante anno Ch. 49. uti censet Labbeus, vel ut alii putant, an. 50. coactum fuit. Ad id convenerant Petrus, ut Præses & Caput, Paulus, Joannes, Barnabas, atque Seniores, qui aderant Jerosolymis. Non desunt, qui omnes alios Apostolos, si Jacobum Majorem excipias e vivis ab Herode an 44. vel 46. jam sublatum, singulari Numinis vocantis providentia hoc in Concilio præsentes fuisse contendunt, utpote quod cæterorum exemplar esset futurum; idque colligunt ex epistola secunda ad Galatas. In eo statutum fuit, neminem Christianorum lege *Circumcisionis*, vel alia ceremoniali teneri, prætërquam ut abstinerent ab *immolatis simulacrorum* seu idolothytis, id est a rebus quæ Idolis offerebantur, & a *sanguine ac suffocato*. Utebantur autem Apostoli his

(s) *Act.* 15.

his verbis: *Visum est. Placuit nobis*, quæ verba ad solemnem pronunciandi formulam tam in Comitiis Ecclesiasticis quam in Judiciis profanis & Senatusconsultis valde usitata fuerunt. Alii duo conventus Apostolorum recensentur in eorum Actis: primus A. C. 44. in quo Symbolum quod vocant Apostolorum collata quasi operà pro illorum numero fuisse compositum testantur S. Cyprianus (t) Ruffinus, S. Ambrosius, D. Clemens, Epiphanius, Augustinus &c. Alium Antiochiæ conventum institutum fuisse pro comperto est apud Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, ad sedandas controversias ibidem exortas, cujus Canones inventos a Pamphilo in Bibliotheca Origenis referunt Turrianus (u) & Binius (x) in quorum octavo stabilitus fuit cultus sacrarum imaginum; unde antiquitas illius contra veteres & recentiores Iconomachos commendatur. Verum hæ leges, aliæque Apostolorum sanctiones non statim scripto mandatæ fuerunt, immo in cordibus fidelium quasi scriptæ circumferebantur tanquam Traditiones Apostolicæ, quemadmodum aliæ Christi Traditiones. Quippe Ecclesia primis illis temporibus, quæ necdum hære-ticos

(t) *In expos. symb.* (u) *l.* 1. *advers. Magdeburgenses c.* 21. (x) *Tom.* 1. *Concil.*

ticos noverunt, traditionibus regebatur. Hinc Tertullianus scite pronunciavit: *Prior fuit anima quam litera, & sermo prior quam liber, & prior sensus quam stylus* (y). Hujusmodi fuerunt: jejunium Quadragesimæ, suffragia pro defunctis, Pascha quot annis celebrandum, ritus & usus aquæ benedictæ &c. Postmodum vero, tum fidelium tum præceptorum aucto numero scribi cœperunt leges, atque ita Christiana Respublica, ut quævis alia bene fundata ordinataque partim jure scripto partim non scripto gubernabatur.

## XIII.

Sublatis ex hac vita Apostolis, & ad capessenda meritorum præmia in cœlum evectis non ideo destituta fuit firmo præsidio Ecclesia. Nam *pro Patribus nati sunt filii*, ut ait Propheta Regius (z), id est, ut commentatur D. Augustinus: *pro Apostolis Episcopi constituti fuerunt, qui ideo Apostolorum successores dicuntur.* S. Clemens eorum coævus, D. Petri post Linum successor & discipulus, primus fuit, qui necdum scriptis traditionibus regulas, vulgo *Canones Apostolorum* adpellatas, græco idiomate consignasse fertur, quas Dionysius cognomento Exiguus Justini Imp. ævo in

(y) *Lib. de anim. c.* 5. (z) *Psalm.* 44.

in latinam linguam quam curatissime translatas posteritati transmisit. Hac ratione ex Traditionibus Apostolicis Canones manasse luculentissimi testes sunt SS. Patres, & Concilia, uti Baronius ad annum 102. & Turrianus integro, quod pro tuendis Canonibus Apostolorum conscripsit libro, nec non Binius & Balsamon demonstrare conantur, quamvis prior in altera editione Canones hos omiserit. Idem Clemens Papa plures edidisse dicitur Constitutiones, quas refert Severinus Binius (a) quasque Canonicas agnoverunt S. Ignatius, S. Athanasius, S. Epiphanius cum aliis. Ita scribunt ac censent non pauci Juris Sacri Doctores: sed num res ita se habeat, suo loco videbimus. Successerunt aliæ epistolæ, quas *Decretales* vocant, aliorum Pontificum, Evaristi, Alexandri & Successorum: varia quoque Concilia, in quibus, ut de quatuor primis duntaxat mentionem faciam, scilicet in Nicæno viginti canones, in Constantinopolitano I. Septem, in Ephesino præter 12. Anathematismos octo, in Chalcedonensi viginti septem editi fuerunt. Crevit autem constitutorum, seu ut Jurisperiti vocant, Constitutionum Ecclesiasticarum multitudo præcipue a tempore Constantini M. quoniam prius ob Ethnicorum

(a) *Tom. 1. Concil.*

corum Imperatorum immanes & multiplices adverſus Eccleſiam & Chriſtianos excitatas perſecutiones cogendarum Synodorum libera facultas haud erat (b). Unde contigit, ut per quadringentos & amplius annos non fuerit diſcrimen factum inter Jus Canonicum & Theologiam, iidemque eſſent Eccleſiaſtici Juriſperiti, qui Theologi; quemadmodum ex Joanne Gerſon refert Bernardus van Eſpen (c), quæ diſciplinæ & ſcientiæ poſtmodum diſtinctæ fuerunt, præcipue quando poſt varias a variis Auctoribus factas Conſtitutionum Pontificiarum & Canonum Sacrorum collectiones demum Gratianus Monachus famoſum opus *Decretorum:* poſt annos ſeptuaginta vero S. Raymundus de Pennafort celebres quinque libros *Decretalium* in lucem ediderunt, e quibus grande illud Corpus Juris Canonici, quo etiamnum hodie utimur, coaluit, de quo enucleatius atque uberius differendi campus poſtmodum ſeſe aperiet. Heic duntaxat præſtantium Duumvirorum iſtorum effigies paucis adumbrabo. Gratianus Etruſcus erat, ex Ordine S. Benedicti, quem aliqui patria Claſſenſem, alii melius Cluſinum, quod Thuſciæ oppidum eſt, adpellant. De loco ubi S. Ordinem profeſſus eſt, certant inter ſe Mona-

(b) *Can.* 1. *diſt.* 15. (c) *In Prolegom.*

Monasteria, velut olim de Homeri patria civitates Græciæ. Monachi S. Felicis Bononiensis suum esse dicunt, suum Monachi S. Proculi, qui statuam ex marmore sculptam in Claustro suo, qua hortum respicit, erexerunt Viro æque religioso ac docto, æternaque memoria digno. Utrosque conciliare studet Arnoldus Wion, dum Gratianum prius vitam Monasticam ad S. Proculi professum esse, tum vero ad Monasterium SS. Felicis & Naboris transiisse, ibidemque Decretum perfecisse scribit; nec sine testibus & tabulis, quum & inscriptio incisa saxo pervetusto præfati ultimi Monasterii, & epitaphium illustre, quod defuncto Bononiæ positum fuit, idem testentur. Ita enim loquitur epitaphium: *Gratiani Clusini, Cæsarei juris & Pontificii Enucleatoris prope divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde absolutissimum ibidem Opus Decretorum anno Gratiæ* 1151. *Compilavit, sepulcrum, quod illic Curiæ ruderibus absorptum, hic magnificentius renovatum Joan. Franciscus Aldrovandus Bononicæ III. Dictator ære publico instauravit. Anno salutis* 1498. *Idib. Junii Joanne Bentivolio II. PP. Remp. feliciter gubernante.* Quonam autem anno Gratianus Decretum suum in lucem publicam ediderit, non minus dissentiunt

tiunt inter se Auctores: quidam id factum esse contendunt An. 1151. tempore Eugenii III. uti docet volumen vetustissimum Decreti, & Chronicon in Bibliotheca Vaticana adservatum: alii an. 1141. quemadmodum legitur in editione jussu Gregorii XIII. emendata: Bellarminus (d) litem compositurus collectionem a Gratiano an. 1127. forte inchoatam, an. 1141. editam, & an. 1151. in scholis publice prælectam fuisse autumat. Illud constat, quod volumini suo immenso labore conscripto titulum præfixerit: *Concordia discordantium Canonum,* quum in eo non solum Decretis colligendis (quemadmodum Antecessores fecerant) sed per propositas in utramque partem quæstiones Canonibus, qui inter se pugnare videbantur, in concordiam revocandis operam dedit. Atque hoc Decretorum corpus (uti vocat Innocentius III.) in Academiis, maxime Bononiensi, publicæ prælegi jussit Eugenius III. Pont. Max. cui præterea Gratianus consilium dedit, ut gradus quosdam Academicos institueret *Baccalaureatus*, *Licentiatus*, & *Doctoratus*, qui literatis non tam annorum numero, quam doctrinæ merito conferrentur, addítis aliis non paucis privile-

(d) *De Script. Eccles.*

vilegiis, quibus scholastica juventus ad Juris Canonici studium excitaretur. Quare Gratianus inter omnes Collectores primus obtinuit, ut non solum publicis e cathedris ejus Decretum viva voce explicaretur, verum etiam doctissimorum virorum illustraretur commentariis. Hinc ævo illo celeberrima fuit Academia Bononiensis, utpote ad quam magno numero confluxere illi, quibus ex ipso fonte Sacri Juris scientiam haurire animus erat, non secus ac ad Parisiensem ii, qui Artium Liberalium & Theologiæ studio se totos consecrabant. Hæc de Gratiano. S. Raymundus de Pennafort (seu de *rupe forti*, quam *penna* Hispanis significat) Barcinonensis, primus *Capellanus* ac *Pænitentiarius* ut vocant, Gregorii IX. postmodum ingens sidus Dominicanæ Familiæ fuit, cui cum suprema & Generali potestate præerat. Hic Episcopatu Tarraconensi recusato multos pro Ecclesia Dei labores suscepit, magnam doctrinam majori cum sanctitate conjungens: hanc miraculis comprobavit, illam relictis ingenii monumentis. Scripsit autem egregiam *summam* seu libros quatuor de Casibus Pœnitentiæ Sacramenti & Matrimonii, qui diu inter MSS. delitescentes tandem typis dati publicam lucem aspexere. In his arcto fœdere rigo-

rem

rem ac lenitatem conjunxit, ne mollius quam par est, neu severius quam oportet, cum pœnitentibus agerent ii, qui in sacro Tribunali jus dicunt. Præcipuum vero illius opus & per totum orbem vulgatum sunt Libri quinque *Decretalium*, ex antiquis Romanorum Pontificum Decretis, eorumque collectionibus in ordinem & titulos digesti, a Gregorio IX. Summo Pontifice approbati an. 1230. & in omnibus Catholicarum Academiarum cathedris celebrati. Stetit opus maxime arduum trium annorum ingenti labore.

## XIV.

Nunc ad Juris politici prosequendam historiæ seriem progredi juvat. Augustus Cæsar, ut memini priore periodo, rerum potitus, reliquique post ipsum Imperatores tum novis legibus a se latis, tum antiquis Romam ac regna & provincias sub jugum missas moderabantur. Nam Regia lege ac potestate sibi concessa & Augustus & Successores moderatius usi fuerunt inter Principatus initia; unde leges adhuc complures a populo vetere ritu rogatæ sunt, ac Senatui simulacrum aliquod pristinæ auctoritatis in jure condendo relictum est. Quippe quæ Principes de Jure privato constituti essent, orationibus in Senatu prius expe-

riebantur, de his censendi arbitrio eidem relicto: eas deinde orationes sequebatur Senatus consultum, donec succedente tempore Romanis paulatim servituti adsuetis, firmatoque magis imperio id quod principi placuit, legis haberet vigorem. Tum initium datum est legibus in ordinem redigendis. Hadrianus Imp. circa an. 119. opera Salvii Juliani Jurisconsulti Edicta prætorum in unum volumen non ita magnum digessit, quod commentariis suis illustrarunt Æmilius Papinianus acutissimi vir ingenii, & Severi Imper. Affinis; Domitius Ulpianus Alexandro Imp. a consiliis; Julius Paulus Patavinus Ulpiano vita functo subrogatus & prætorio præfectus: Pomponius, qui cum Ulpiano, Paullo & aliis e schola Papiniani prodiit: Herennius Modestinus Maximini Imperatoris Præceptor, aliique. Postmodum vero imperante Diocletiano Constitutiones Principum ethnicorum in duos Codices privata potius quam publica auctoritate colligebant Gregorius & Hermogenes: ille quidem Hadriani usque ad Valerianum & Gallienum, hic vero Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Carini, Diocletiani & Maximiani Impp. Delato autem in Christianorum Principum manus Imperii clavo Theodosius Minor, doctissimus Cæsar, horum

rum sanctiones a Constantino M. usque ad suam ætatem uno volumine complexus est, quod ab ejus nomine adpellatum est Codex Theodosianus, qui perpetuis commentariis Jacobi Gothofredi illustratus etiamnum exstat. Ex his facile patet, Romanos Imperatores translato in se regimine sæpius & solicite in id fuisse intentos, ut nimiæ legum multitudini modum ponerent, & ut scite loquitur Tertullianus, universam illam veterem & squallentem sylvam legum novis Principalium Rescriptorum & Edictorum securibus truncarent. Ferunt, jam ipsum Julium Cæsarem, quin & Pompejum id consilii cepisse, ut ex immensa atque diffusa legum copia saltem ea, quæ optima & necessaria videbantur, in certos quosdam libros colligerent. Sed utriusque consilium mors violenta intercidit. Ita narrat Suetonius. Perfecit tandem grande hoc opus, quod Antecessores vel cogitarunt vel inchoarunt, Justinianus Imperator, quod qua ratione factum fuerit, ut rite intelligatur, operæ pretium est, breviter sub unum conspectum dare Reipublicæ Romanæ, ejusque regiminis formam, uti erat ante Justiniani tempora, & quæ prius sparsim dicta fuerunt, heic in pugnum contrahere. Sex jurium sive Constitutionum species

erant. Nam I. quædam constituta dicebantur *Leges*, quæ ferebantur a populo (id est, universis civibus connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus) cujus suffragia Magistratus per Consulem legebat seu colligebat. II. alia vocabantur *Plebiscita*, lata a plebe (id est civibus absque Patriciis & Senatoribus) cujus suffragia Tribuni plebis legebant. III. alia rursus *Senatusconsulta*, quæ tempore Aristocratiæ ferebantur a Senatu, ad quem tunc rerum summa spectabat. IV. alia *Placita principum*, quæ vigente Monarchia tulere Principes, in quos lege regia rerum summa translata est, & renovata in Augusto lex hæc regia, quæ prius Tarquinio expulso abolita fuerat. V. alia adpellabantur *Prætorum Edicta*, quæ a Prætoribus ferebantur, quorum jurisdictio nonnisi annua fuerat initio, sed postea una cum officio Prætoris etiam Edicta finiebantur. VI. Tandem sequebantur *Responsa Prudentum* sive Jurisconsultorum, quibus a Cæsare jus datum erat respondendi & jura publice interpretandi, quorumque sententiæ ac opiniones in eo auctoritatis gradu positæ fuerunt, ut Judici recedere a responso eorum non liceret. Jam vero una ex parte non raro contrariæ ferebantur leges pro cujusvis Ordinis in tanta varie-
tate

tate dominandi affectu, a Patriciis contra plebem, a plebe contra Patricios, a Lucio Sulla contra Tribunos plebis &c. ex altera vero tanta facta est ab urbe condita usque ad tempora Justiniani per mille & trecentos fere annos legum accessio, tamque copiosi Interpretum commentarii in lucem prodibant, ut præter tres Codices Hermogenianum, Gregorianum, & Theodosianum, qui tunc vigebant, in librorum duo millia, versuum autem trecenties decem millia, seu tres ut vocant *milliones*, Jurium ac legum multitudo excreverit.

## XV.

Itaque rem arduam aggressus est tandem Justinianus Imperator, cui gloria hæc reservata videbatur, non minore animo quam successu felici, ad grande hoc opus impulsu Triboniani Viri acerrimo ingenio præditi & Quæstoris Palatii incitatus. Primo quidem adhibitis in laboris societatem Dorotheo, Theophilo, aliisque Jurisconsultis Constitutiones Imperatorum præcedentium tribus vastissimis voluminibus antea comprehensæ in unum librum collectæ fuerunt, quem *Codicem Justinianeum* adpellari voluit. Tum illa duo millia librorum, de quibus memini, facto dele-

delectu in quinquaginta fuerunt redacti, imposito *Digestorum* & *Pandectarum* titulo. Demum extracta e Codice, Digestis, & veterum Commentariis veluti doctrinæ medulla *Institutiones* in quatuor libros divisas confici jussit, adjectis *Novellis*, e quibus omnibus Corpus Juris Civilis, quod hodie adhuc in utroque foro viget, in lucem prodiit, & de quibus explicatius & commodius in Oeconomia Juris Civilis agemus. Aspexit autem Justinianus primam lucem in ea Pannoniæ parte, quam hodie Bulgariam dicimus, humilis conditionis patrem nactus, Matrem vero Justini I. Imperatoris sororem, ut refert Spondanus (e). Ad majora natum probavit tam ingenium quam indoles: illo post navatam studiis operam omnium ferme dignitatum ordines quasi per gradus conscendit: hac vero Imperatoris, Senatus, populique animos ita sibi devinxit, ut Justinus Avunculus, senio & viribus fractus, eum annos quadraginta natum in filium adoptarit, ac tandem urgente senatu in Imperii societatem adsciverit an. 527. Justino autem post quatuor menses vita functo solus ad Imperii clavum sedit annis fere novem supra triginta, quo tempore toga sagoque præ reli-

(e) *Annal. Eccles. p. 2. ad A. C.* 527.

reliquis Imperatoribus eminuit. Nam belliducibus expertissimis usus Bellisario & Narsete Persas coercuit, Vandalos ex Africa ejecit, Hunnos in Thracia ad internecionem delevit, domuit Gallos, & Italiam a Totila misere vastatam vindicavit. Jura vero Romani Imperii, quæ legibus quaquaversum dispersis nimium late vagabantur, opera prudentissimorum Virorum, Triboniani, Dorothei, Theophili, incredibili ardore simul ac labore in ordinem redegit, qualem hodie adhuc admiramur. Verum non pari felicitate hujus Juris Justinianei tradendi ac observandi, quemadmodum condendi, ratio processit. Quippe Imperatore hoc an. 563. velut alii scribunt 566. e vivis erepto mox cum dignitate Imperii Romani etiam legum studium atque disciplina collabi cœpit, ita ut annis vix quadraginta a Justiniani morte lapsis in Occidente quidem nulla, in Oriente vero non admodum magna eorum haberetur ratio. Nam in Occidente gentes barbaræ Gothi, Vandali, Hunni (qui jam Justiniani temporibus Italiam misere vastare cœperunt) omnia susdeque verterant, & cum Imperii Romani amplitudine ac nomine leges quoque Romanas delere, suasque ingerere & alieno in solo plantare conabantur: in

Justinianeum quoque primo in scholis reciperetur, tum etiam in foro Imperii Romano-Germanici in usum deductum fuerit, consensu primum tacito Imperatorum ac Germaniæ ut vocant *Statuum*, postea vero Maximiliano I. imperante an. 1496. publicis Imperii tribunalibus secundum, Jura Communia, id est, Romana judicandi lege obstrictis.

Atque hæc est historia Jurisprudentiæ tum Sacræ tum Politicæ a prima sui origine, atque ab ipso Mundo condito ad hæc usque tempora non interrupta serie per tot rerum ac regiminum vicissitudines deducta. Nunc in ipsa scientiæ hujus adyta profundius penetrare juvat, ac singulas Oeconomiæ Juris partes attentius lustrare.

CAPUT

# CAPUT III.

## OECONOMIA JURIS UTRIUSQUE.

### §. I.

### *Jus naturæ.*

XVI.

Hujus tractationi triplicis naturæ status notitiam præmittere visum fuit, utpote scitu admodum dignam & utilem tum ad rite intelligendam Juris naturæ doctrinam, tum ob multiplicem, quam in se continet eruditionem, tum & vel maxime ad refellendos plurimos errores, quos valde perniciosos ex eo deduxerunt hæretici, ut Pelagius, Bajus, Jansenius, & etiamnum hodie deducunt in hoc ipso de jure naturæ negotio complures Acatholici Scriptores, quemadmodum suo loco demonstrabimus. I. *Status naturæ integræ* tria complectitur: primo quidem perfectiones humanæ naturæ convenientes ac debitas ex parte corporis: ejusmodi sunt integritas sensuum, membrorum omnium symmetria, staturæ decor, temperamen-

ti

ti & humorum justa proportio, e quibus promanabant sanitas, virtus, & vires ad operandum, pulchritudo, tantaque perfectio, quanta integræ naturæ conditionem decebat: ex parte animæ Protoparentis nostri Adami intellectui a Deo infusa fuit habitus scientiæ rerum omnium naturalium, non solum quæ ad vitæ usum & conservationem, gubernationem ac regimen rerum creatarum, verum etiam ad contemplationem laudemque supremi conditoris Dei pertinebant; unde fluxit multiplex & clara cognitio rerum naturalium terrenarum æque ac cœlestium, primorum principiorum moralium ad vitam naturæ rationali conformem instituendam, maxime vero cognitio Dei tanquam caussæ universorum & auctoris naturæ. Atque hæc scientia erat ordinis naturalis, ab ideis intellectui congenitis dependens. His supperaddidit benignum Numen primo habitus virtutum moralium, ut earum adminiculo voluntas rectæ rationi esset subjecta, & ad appetitum inferioris hominis in honestatis officio continendum rite comparata. Hæ virtutes eo in gradu perfectionis fuerunt infusæ, qui statui huic erat conveniens. Secundo, humanæ naturæ in naturali sua conditione rectæ perfectæque a Deo adjecta

tue-

fuere dona quoque supernaturalia gratiæ in ipsa prima sui origine, scilicet habitus gratiæ sanctum facientis, seu charitas cum aliis virtutibus & donis S. Spiritus: unde voluntas charitate ac spe beatitudinis futuræ ornata fuit, intellectus autem per lumen gratiæ circa mysteria supra naturam posita illustratus; ipsa vero natura humana ad finem supernaturalem per gratias ejusdem ordinis divina benignitate fuit elevata. Tertio demum his naturæ ac gratiæ dotibus veluti complementum accesserunt privilegia & dona Dei exteriora, nimirum ut homo singulari ejusdem providentia ab omni errore ac periculo, ne deciperetur, immunis fuerit, antequam peccarit, ut omnis rebellionis pravarum cupiditatum expers esset, ut suo modo nec infirmitatibus corporis aut morti subjaceret. Etsi enim naturæ suæ conditio ab his eum non eximeret, potuisset tamen nunquam mori, si voluisset, seu nunquam fuisset moriturus, si non peccasset. Atque in istis naturæ ac gratiæ donis, nec non privilegiis heic recensitis justitia illa originis, seu quam *originalem* nuncupant, constituta fuit. Porro ut alios quosdam hujus felicissimi status, si non primorum parentum peccato & culpa eversus fuisset, cha

racte-

racteres palam faciam, propagatio humani generis utpote naturæ conformis futura fuisset salva illius perfectione, uti observat S. Augustinus (g) inquiens: *Quid prohibere potuerit, ut essent hominibus honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus, etiam in paradiso: hoc Deo præstante fideliter justeque viventibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore doloreque pariendi, fœtus ex eorum semine gigneretur.* Circa genus autem vitæ politicæ dubium haud est, quin homines in statu naturæ integræ victuri fuissent in quadam communitate, saltem domestica familiæ, quum societas ista teste Philosopho (h) ex prolium procreatione ac multiplicatione filiorum & nepotum oriatur. Immo censent D. Thomas, Eximius Suarez, & alii probabilius civilem quoque ac publicam communitatem fuisse futuram, *utpote naturæ per se convenientem, & secundum se perfectam:* neque hominis in illo statu plenæ libertati dominium solius gubernationis repugnasse videtur. Præterea eodem in statu primæva rerum ac bonorum communio conservata fuisset, nulla introducta stricte dicta divisione, privatisque dominiis: divisio enim evasit necessaria ad vitandas lites,

(g) *Lib. 9. Genes.* (h) *Lib. 1. Polit. c. 1.*

tes, rixas, & ad pacem inter homines servandam, quin & propter sustentationem ex bonorum cultura, quæ in eorum communione facile neglecta fuisset; quæ ratio tamen in illo pacifico tranquilloque integræ naturæ statu omnino cessisset. Nulla etiam insonassent classica, nulla bella vastassent regiones illas, neque negotiationum tumultus perstrepuissent, neque corporum cura in vestibus cibisque artificiose paratis homines exercuisset, sed vitam duxissent beatam, solicitudinum vacuam, & rerum cœlestium divinique Numinis contemplatione atque obsequio, scientiarumque cultu occupatam, cum moderata & delectabili terræ cultura, dicente S. Scriptura (i): *Posuit Deus Adam in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* II. *Status naturæ lapsæ ac reparatæ* dicitur is, in quo natura humana justitiam originis atque integritatem primævam a Protoparente Adamo acceptam per lapsum in peccatum perdidit, variisque malis subjecta fuit, quamvis postmodum in hac rerum providentia ex infinita Dei bonitate per Christum reparata fuerit, quantum ad culpam, non vero quantum ad immu-

(i) *Genes.* 2.

immunitatem a rebellione cupiditatum, aliisque vitæ hujus miseriis, & peccati pœnis temporariis adtinet. Hoc autem peccatum originis est ipsum peccatum Adami, quatenus *moraliter* nostrum est, seu in omnes posteros, si sanctissimam Dei Matrem sine omni labe conceptam excipias, propagatum. Fuit enim voluntas hominum secundum communem SS. Patrum & Doctorum sententiam alligata ad voluntatem Adami, tanquam Capitis moralis humani generis, in ordine ad observationem vel transgressionem legis de fructu arboris non comedendo per pactum a Deo constitutum, eo fere modo, quo Magistratus alligare solet voluntatem pupilli, non exspectato ejus consensu, voluntati Tutoris: *ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum* (k). Atque ita peccatum hoc Adami *moraliter* voluntarium nobis est factum. Et vero optabile erat humano generi pactum istud ante omnem eventum, quoniam Adam eximiis omnino donis naturæ & gratiæ, aliisque præsidiis ad observandum præceptum adeo facile fuit instructissimus. Interea diversi generis pœnæ tanquam comites ac tristes appendices peccatum hoc sequebantur: ejusmodi erant, quod anima

(k) *Osee 6.*

anima gratia sanctum faciente, aliisque donis supernaturalibus spoliata, ac præcipuæ ipsius potentiæ, nempe intellectus, voluntas, memoria, & appetitus uterque, quem *concupiscibilem* & *irascibilem* dicunt, graviter vulneratæ fuerint: corpus vero morti, morbis, pesti, & doloribus aliisque miseriis subjectum. His additæ pœnæ aliæ, scilicet inimicitia Dei, servitus dæmonis, calamitates a cœli, intemperie, elementis, hominibus & feris provenientes. Demum secuta est pœna alterius vitæ pedissequa, seu beatitudinis æternæ ac hæreditatis cœlestis amissio. Hinc apud Theologos axioma illud originem duxit: naturam humanam peccato originis *spoliatam fuisse donis gratuitis, & vulneratam quoque in naturalibus bonis*; quamvis secundum communem Patrum opinionem saltem in viribus liberi arbitrii puræ naturæ debitis non sit facta debilior. Reparata vero fuit ingens hæc jactura universi generis humani, quantum ad animæ salutem & felicitatem sempiternam adtinet, per benignissimi Servatoris divini mortem & merita infiniti valoris ita, ut neque gentilibus, quibus absque culpa est incognita vera religio, quæ in sola Ecclesia Catholica reperitur, omnis spes salutis sit adempta,

siquidem naturæ legem observent. Quippe *facientibus quod est in se* non deerit *Deus*, subministrando necessaria variaque subsidia, quibus ad salutem perveniant, dicente S. Augustino: *Salus religionis hujus, per quam solam salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit* (1). III. *Statum puræ naturæ* vocant illum Theologi, in quo homo si constitutus fuisset sine originis peccato, omnes quidem facultates naturæ humanæ proprias possedisset, quin tamen ad finem seu beatitudinem supra naturam positam per ejusdem conditionis gratias obtinendam ordinaretur, ita ut observatis naturæ legibus beatitudinem obtinuisset non nisi mere naturalem, suæque conditioni convenientem, qua vero ipsa violatis legibus illis excidisset. Fuisse autem possibilem hunc statum, res confessa est & manifesta, si non Dei potentiæ limites præscribere velimus. Cur enim non potuisset ille hominem creare absque gratiis supernaturalibus, aliisque donis gratuitis, scilicet quin esset immunis a rebellione cupiditatum, seu *concupiscentiæ* ut adpellant Theologi, & a morte

(1) *De temp. Christ. Relig.* item *de prædest. sin. c.* 9.

morte exemptus? nihil fane quod repugnet, hàc in re invenitur, immo ad perfectiſſimum dei in res creatas dominium pertinet, ut eas ad hunc vel illum finem pro lubentia ſua ordinare queat. Quapropter non tenebatur hominem per gratiam adoptare in filium cum jure hæreditatis æternæ, neque a lege mortis ac rebellionis illius eximere, utpote quæ non ſunt proprietates naturæ, ſed dotes primævæ juſtitiæ. Hinc merito damnata fuit a tribus Pontificibus Baji Doctoris Lovanienſis doctrina, aſſerentis; *ſublimationem hominis ad conſortium Dei naturæ innocenti fuiſſe debitam ac naturalem: hominem non potuiſſe initio creari talem, qualis nunc naſcitur: immortalitatem fuiſſe conditionem naturalem &c.* Illud equidem fateri oportet, non potuiſſe homini in hoc ſtatu a Deo præfigi finem ſolummodo per tempus duraturum, ſeu felicitatem hujus vitæ ambitu concluſam: nulla enim fuiſſet inter hanc & animam ex natura ſua ſpiritualem ac immortalem proportio. Quare finis ille præfixus ac beatitudo naturalis conſtitiſſet in cognitione dei per res creatas, ſeu mere *abſtractiva* ut ſcholæ vocant (qualem habet anima in hac vita, quamdiu corpori immerſa eſt) clara tamen & ſuo modo

 perfe-

perfecta; ex qua manaſſet amor Dei, ut Auctoris naturæ, itidem ſuo modo perfectus, ſui ſecurus, & qui animæ deſiderium ſatiaſſet. Ut autem hanc beatitatem conſequi potuiſſet homo, de adjumentis ad eam neceſſariis illi a Deo provideri debuiſſet, nempe de illuſtrationibus intellectus & motibus voluntatis, quibus ad bonum tam univerſe quam ſpeciatim dirigeretur; forſan etiam aliis quibusdam exterioribus auxiliis ad removendas ac ſuperandas graviores tentationes aptis, ſine quibus alias non fuiſſet ad ultimum ſuum finem rite comparatus. ex quo conſequitur, hominem in hoc ſtatu habere potuiſſe propoſitum abſolutum & efficax obſervandi totam naturæ legem, etiam per longius vitæ tempus, etiam per omnem vitam, quum ſaltem ſub conditione, id eſt, *faciendo quod eſt in ſe*, ut Theologi loquuntur, debitum fuiſſet illi auxilium ad diuturniorem ſemper legis obſervantiam, qua poſita perveniſſet tandem ad viæ terminum ſeu beatitudinem illam naturalem, tanquam in meritorum præmium debitam, licet ſimul fuiſſet Dei donum. Sicuti autem in ſtatu naturæ puræ non defuiſſet homini libertas & peccandi occaſio, ita & peccatum non abfuiſſet, cujus reme-

remedium, quoniam homo par non fuisset condigne satisfaciendo, potuisset esse gratuita Dei condonatio. Præmium vero, nempe beatitudo prius descripta, licet soli animæ impensum, virtuti ac meritis suffecisset. Nam ut corpus resurgeret, illiusque particeps esset, dei favor est naturæ statui neutiquam debitus, & extra naturæ ordinem positus. Quod autem ad propagationem humani generis, & civilis vitæ rationem adtinet, in hoc statu eodem modo res acta fuisset, quemadmodum in statu naturæ lapsæ. Nam in illo etiam homines sensim in peccatum prolapsi fuissent, atque iisdem ad vitam sustentandam, pacem publicam servandam, & felicitatem tam hujus quam alterius vitæ obtinendam subsidiis indiguissent; quumque iisdem naturæ legibus fuissent obstricti, ita & disciplina legum omnibus communi tam circa naturæ officia, quam circa humanam societatem opus habuissent.

## XVII.

Jam vero Jus naturæ commune, velut emporium est omnium nationum, ad quod cuncti adpellunt in hujus vitæ commercio & humanarum actionum negotiatione, sive Gentiles sint, sive Judæi, sive Christiani; est enim omnium animis in-

situm, nec a quoquam absque culpa ignorari longiore saltem tempore, aut violari potest. Quapropter illius vis non pendet, quemadmodum in aliis juribus fit, a libera præcipientis voluntate, sed ex ipsa rei præceptæ vel prohibitæ natura oritur, quæ quia mutationi obnoxia haud est, sed eadem ubique, idcirco etiam ipsum jus naturæ apud omnes gentes eandem vim obtinet. Unde Aristoteles recte pronunciavit (m): *Jus naturæ esse illud, quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur, vel non videtur.* In quem ipsum sensum loquitur Gratianus in Decreto (n): *est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur.* Variis Jus hoc nominibus compellant Scriptores tum Veteres tum Recentiores. Gajus Jurisconsultus (o) vocat *Jus commune.* Cicero pro Milone *legem non scriptam, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Seneca nuncupat *legem divinam.* Theologi vero satis communiter *legem æternam.* In eo autem finiendo

(m) *Ethic.* 7. (n) *Can.* 7. *dist.* 1.
(o) *L. omnes* 9. *ff. de J. & J.*

do ut plurimum diſſident Auctores, quorum aliqui volunt Jus naturæ nihil aliud eſſe, quam lumen & dictamen rationis ab auctore naturæ nobis inditum, quo honeſtum diſcernimus ab inhoneſto, ſuamque opinionem tuentur illis Apoſtoli verbis (p). *Gentes*, ait, *quæ legem* (Moſaicam) *non habet*, *naturaliter ea*, *quæ legis ſunt*, *faciunt*, ſcilicet lumine ac ductu rationis pleraque opera legis perficiunt. Nam *ejusmodi legem*, pergit, *non habentes ipſi ſibi ſunt lex*, oſtendendo nimirum *opus legum ſcriptum in cordibus ſuis*, *teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum*. Contra alii Jus ſeu legem naturalem eſſe contendunt ordinationem rationis a Deo proficiſcentem, & ab eodem per lumen rationis omnibus manifeſtatam, præcipientem ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, contraria prohibentem, & permittentem ea, quæ ſunt indifferentia. Atque hanc ſententiam ſuam ſtabiliunt D. Auguſtini auctoritate contra Fauſtum dicentis (q): *legem æternam eſſe divinam rationem*, *vel voluntatem*, *ordinem naturalem conſervari jubentem*, *perturbari vetantem*. Si rem hanc in utramque partem recte perpendere velimus, fateri

(p) *Ad Rom.* 2. (q) *Lib.* 22. *c.* 27.

fateri oportet, naturam ipſam ſecundum ſe ſpectatam nullum jus ſtatuere, legem ferre, aut obligare poſſe, ſed hanc poteſtatem eſſe penes auctorem naturæ, utpote ſuperiorem omni natura, quæ ſua non eſt. Iſte igitur & ſcit, utpote ſapientiſſimus, quæ naturæ rationali, de qua heic ſermo eſt, a ſe conditæ conveniant, quæ disconveniant: & vult ac velle debet, utpote rectiſſimus, ut illa fiant, omittantur iſta; atque hoc ipſum per lumen rationis manifeſtum facit. Quoniam vero, ut doctiſſime animadvertit Eximius Suarez (r), duplici modo conſiderari poteſt Jus ſeu lex naturalis, prout eſt in Deo, & in nobis: priore modo Jus naturæ in ea, quam dixi, ordinatione rationis a Deo proficiſcente, poſteriore vero in lumine rationis, quid honeſtum ſit, quid inhoneſtum nobis dictante, conſiſtit, qua ratione utrique parti ſatisfactum eſſe videri poteſt.

Huic autem juri naturæ ſic conſtituto ſoli homines ſunt ſubjecti, non vero bruta, ut quidam perperam exiſtimant, Ulpianum ſequentes, qui Jus naturæ finit eſſe illud, *quod natura omnia animalia docuit*. Ad quam opinionem tuendam quoque afferunt S. Scripturæ loca quædam,

(r) *Lib.* 2. *de LL.* 6. *c.* 6. *n.* 13.

dam, in quibus Deus rebus creatis etiam ratione carentibus, v. g. aquis & pluviis legem posuisse perhibetur (s), nec non animalium quorundam exempla ut canum, apum, avium, quæ actiones suas ita naturæ suæ conformare norunt, ac si quædam juris naturalis notitia iis inesset. Verum juri locus esse non potest, ubi deficit rationis usus, libertas, & facultas ad observationem aut pœnam subeundam. Primum enim tum ad actionis præceptæ aut prohibitæ naturam & indolem, tum ad vim legis præcipientis aut prohibentis agnoscendam requiritur: alterum, quoniam frustra imperatur aut vetatur, quod fit aut omittitur necessitate cogente: tertium quia lex observationem inducit, & pœnam prævaricantibus statuit. Jam vero quum hæc omnia in brutis deficiant, palam est, quod jus naturæ ad ea se non extendat. Quare Ulpiani finitio passim rejicitur, & quod S. Scriptura meminit de animalibus aliisque, ad metaphoricas locutiones pertinet, quemadmodum si leoni fortitudo, formicis prudentia, vulpibus astutia &c. tribuitur. Non igitur brutis verum ac proprie dictum jus naturale, sed umbram quandam illius & analogiam inesse, so-

lum

(s) *Job.* 28. *item Prov.* 8.

lumque hominem ejusdem juris esse capacem dicendum est.

Porro Jus hoc naturæ latius patet, quam non pauci existimarunt, apud Suarium docentes, pertinere ad jus naturæ generalia solum principia per se nota, quæ circa bonitatem vel malitiam moralem actionum versantur, qualia sunt, quæ S. Scriptura his verbis explicat: *declina a malo & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed nimis angustos hi fines ponunt juri naturæ, ejusque Auctori. Sunt & alia plura principia quæ *particularia* vocant, & præcepta moralia, quæ in generalibus principiis continentur, & ex iis manifesta ratione deducuntur, quæque idcirco præcipiuntur, quia honesta, non autem vice versa ideo honesta sunt, quia præcipiuntur, aut inhonesta, quia prohibentur. Hæc ad triplicem classem reduci solent, nimirum ad triplex officium, quod Deo, quod nobis, quod proximo debemus. Ad primam classem pertinet: *Deum ut conditorem omnium, remuneratorem bonorum, ac malorum vindicem esse colendum, adorandum: nomen ejus invocandum: servanda vota Deo facta, abstinendum a blasphemia.* Ad secundam: *honeste vivere, non mentiri, abstinere ab ebrietate, illicito*

*sito concubitu &c.* Ad tertiam: *honorare parentes, Magistratus & Superiores: neminem lædere sive in anima, sive in corporis bonis, fama, facultatibus & juribus: injuste ablata restituere, bona fide stare pactis conventis*, & similia, quæ lumine rectæ rationis manifestante ac adprobante omnes laudant ut recte facta, contraria vituperant ut perperam acta. Neque ignota fuerunt hæc triplicis generis officia ipsis ethnicis Sapientibus, magisterio ductuque solius luminis naturalis ad ea palam commendanda impulsis. Certe si sectas & scholas Stoicorum, quorum facile principes fuerunt Zeno, Seneca & Epictetus, consulere velimus, maxime Marcum Tullium, qui integrum opus de officiis hominum posteritati reliquit, sequentia illorum dogmata & placita deprehendemus, scilicet: „ Deum „ omnium effectorem esse, supremum „ Dominum, ubique præsentem, etiam „ ad vitæ commoda: providentissimum „ esse: colendum super omnia & invo„ candum. „ *Ecce officium hominis erga Deum.* „ Tranquillo animo ferenda ad„ versa a Deo immissa: honestatis cul„ tum, animi integritatem, constantiam „ & æquitatis amorem esse præhabenda „ cuicunque rerum jacturæ: etiam mor-

„ tem

„ tem oppetendam esse ab homine, ne „ violet leges Dei. „ *Ecce! officium hominis erga se ipsum.* Hominem non „ sibi soli, sed in commune bonum esse „ natum: mutuam fovendam esse ami„citiam: ab injuria & fraudibus esse „ abstinendum: fidem datam servandam: „ omnibus benefaciendum. „ *Ecce! officium hominis erga proximum.*

Denique singulari quadam prærogativa gaudet Jus naturale, quæ nulli alteri juri concessa est, nimirum quod mutationi obnoxium non sit: sed immutabile semper persistat. Vel enim consideramus illud, uti est in Deo, vel ut est in homine? In homine lumen rationis est proprietas adeo arcte illi conjuncta, tamque intime inhærens, ut manente natura rationali nequeat auferri: in Deo autem Jus naturæ non pendet ab hujus arbitrio, quoniam circa ea versatur, quæ in se, suaque natura vel honesta vel inhonesta sunt. Quam parum igitur rerum essentiæ mutari possunt, tam parum jus naturæ quocunque modo spectetur, mutationi subjacet. Equidem videntur aliqua, quæ ad legem naturalem pertinent, fuisse mutata: sic omnia jure naturæ communia sunt, uti loquitur Clemens Papa (t): *communis usus*

(t) *Can. dilectissimis. 2. Caus.* 21. *q.* 1.

*usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.* Nihilominus post lapsum generis humani bonorum divisio introducta fuit. Sic jure naturæ omnes nascuntur liberi, gentium tamen jure in bello justo capti in servitutem rediguntur. Sic rem suam auferre alicui contra jus naturale pugnat, & tamen ipsius Dei jussu Israelitæ ante abitum summa spoliarunt Ægyptios: quin etiam rem alienam per viam legitimæ *præscriptionis* facimus nostram. Verum non est hæc proprie dicta mutatio Juris naturæ, sed ejusmodi res in his positæ circumstantiis, talique hypothesi affectæ, non sunt, nec unquam fuerunt præceptæ vel prohibitæ per legem naturæ. Quamvis enim, ut in exemplo res pateat, occidere hominem in thesi ac remotis circumstantiis sit contra jus naturæ, licitum tamen est, si accedat justa & necessaria sui defensio (*cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut jura loquuntur) aut Magistratus auctoritas crimina vindicantis, aut publici justique belli ratio, vel potestas ab ipso Deo, qui vitæ ac necis dominus est, accepta. Quum enim Deus uti naturæ, ita & juris naturæ Conditor sapientissimus præviderit, quædam in his vel illis circumstantiis naturæ rationali convenire potius, quam discon-

diſconvenire, aut ſaltem non opponi, nunquam ea intra Juris illius ſphæram comprehenſa fuiſſe dicendum eſt. Fateri tamen oportet, eſſe quasdam actiones, quæ ita juri naturæ adverſantur, ut in nullis quibuscunque circumſtantiis cohoneſtari queant, quemadmodum odiſſe Deum, blasphemare, mentiri &c. hæ ſiquidem opponuntur perfectionibus Dei, qui infinite amabilis, infinite dignus omni laude, infinite verax eſt. Tantum ergo abeſt, ut eas approbare vel permittere unquam poſſit, ut potius neceſſe ſit, ut talia ſemper prohibita eſſe velit, ſemper deteſtetur. Si enim ea, quæ naturæ rationali repugnant, jure naturæ vetita ſunt, quanto magis illa, quæ naturæ ipſius Dei infinite perfectæ adverſantur?

## §. II.
## *Jus gentium.*

### XVIII.

A naturali ad jus gentium pergamus. Hoc non pauci confundunt cum priore, vel ſaltem ejus partem eſſe contendunt, ſcilicet ii, qui etiam in brutis jus naturæ agnoſcunt, ita ut jus naturale omnibus animalibus, jus vero gentium ſolis hominibus

nibus esse commune doceant, freti auctoritate legis (u), ubi dicitur: *Jus gentium a naturali recedere per hoc, quod jus naturale omnibus animalibus, jus gentium vero solis hominibus inter se commune sit.* Verum si rem æqua lance perpendamus, plura sunt, in quibus hæc duo jura discrepant. Primo quidem jus naturale homini congenitum est ab ipso conditi generis humani exordio: jus gentium autem postea primum & temporis progressione exigentibus id necessitatibus & commodis introductum fuit, nempe ad mutuum auxilium ferendum, ad societatem & communionem inter gentes, quæ multiplices sunt in orbe terrarum, conservandam, quum una ope alterius indigeat. Nam

*non omnis fert omnia tellus.*

Dein jure naturæ obligantur omnes homines, qui ratione utuntur, estque omnibus populis commune, nec nisi per errorem solum alicubi non observatur. At jus gentium non omnibus omnino hominibus aut populis commune est; sed fere omnibus, unde etiam citra errorem apud aliquos potest non observari; apud illos nimirum, qui nunquam in hanc vel illam

(u) *L.* 1. §. *fin. ff. de J. & J.*

illam consuetudinem cum reliquis nationibus convenerunt. Demum ea, quæ juri naturali repugnant, in se & natura sua mala sunt, & prohibentur, quia mala: quæ vero juri gentium adversantur, duntaxat mala fiunt consensu gentium, non quidam verbis expresso, aut per edictum promulgato, sed tacito, per illarum mores & usum insinuato. Adde, quod jus naturæ mutationi obnoxium haud sit, contra jus gentium mutari queat hominum conspiratione, e qua descendit; & sicut per gentes introductum est, ita per easdem rursum tolli possit. Quapropter jus gentium velut medium inter naturale ac humanum occupat locum, dum de utriusque natura aliquid participat; de naturali, quoniam e principiis rectæ rationis deducitur: de humano autem, quia libero inter homines consensu constituitur. Est igitur jus gentium, si bene finire illud velimus, Jus non scriptum, dictante recta ratione, communibus moribus gentium probe institutarum introductum in genus humanum. Per gentes autem probe institutas neutiquam intelliguntur, quæ procul ab humanæ vitæ societate in sylvis & solitudinibus habitant vel potius vagantur, absque lege, honestate, republica,

sed

ſed quæ ſub politico quodam regimine vivunt, & cum aliis gentibus communionem ineunt, cujuscunque demum ſint religionis, ſive ſint Ethnici, ſive Mahumetani, ſive Saraceni aut Chriſtiani, ſive hæretici ſeu ſchismatici. Ejusmodi regimina politica ſunt varia in genere humano per orbem diffuſo, quorum alia Monarchiæ formam præſéferunt, ubi unus dominatur, alia Ariſtocratiæ, ubi Optimates regunt; Democratiæ alia, ubi populus per ſe ipſum & per comitia communitatem moderatur; alia demum quæ formam e memoratis mixtam induunt. Novimus autem, gentes ſub horum aliquo politico regimine conſtitutas tum in Europa, Aſia & Africa, tum modo etiam in America, quando in Rempublicam coaluerunt, inire ac fovere cœpiſſe inter ſe, maxime finitimæ cum finitimis (non raro cum remotioribus quoque) communicationem aliquam in commerciis, in fœderibus ſanciendis, in legatis mittendis ac recipiendis, in gerendis bellis aliisque, quæ communiter ab ipſis obſervantur vi conſuetudinis generalis, in qua jus gentium præcipue fundatur. Qua in re deprehendere licet quemdam naturæ inſtinctum, ab altiore providentia proficiſcentem. In tan-

ta enim gentium varietate, quum diversissimæ sint linguis, regionibus, moribus, legibus, armis, vestitu, religione, institutione, modoque regendi, in tanta inquam varietate gentium, tantisque rerum vicissitudinibus universi mundi gubernatio in præsens perturbationis ac ruinæ periculum brevi tempore adduceretur, si non eæ in certas leges convenirent ad se invicem conservandas, ut dissensionibus, simultatibus, latrociniis, præliis & bellis modus poneretur, sterneretur que via rupto pacis vinculo ad consensionem & concordiam redeundi, quod fit per commercia, per legatos, per sancita fœdera, & similia.

Duplici autem ratione jus gentium hucusque descriptum considerari potest: una quidem, quatenus gentium moribus introductum atque receptum est sub tacito quodam mutuoque pacto aliqua inter se observandi, sive quædam agendi, alia omittendi, quæ ad communem rem ac tranquillitatem spectant, e quo pacto descendit naturale quoddam debitum & hoc jus gentium proprie dictum est. Altera vero, quatenus gentes, regna, & respublicæ quædam inter se observare passim solent commodi atque utilitatis communis caussa, absque tamen pacto aliquo,

aut obligatione mutua; estque istud jus gentium improprie dictum. Ad prius pertinet inprimis jus legatorum, qui ab uno Principe vel Republica ad alium Principem vel Rempublicam mittuntur, ut plena & publica securitate fruantur: item jus belli, quod Principibus & Rebuspublicis superiorem non agnoscentibus competit ad puniendam, vindicandam, aut reparandam injuriam sibi vel subditis suis illatam; ubi prius per feciales bellum indici oportet, nec arma, vel fontes veneno infici, aut hostis per sicarios clam submissos e medio tolli potest: rursus fœdera pacis & induciarum: servitus seu facultas liberos homines justo bello captos in servitutem redigendi: demum jus commercii sine fraudibus exercendi, ac sepulturæ, qua defuncto supremus honor habetur. Ad secundum vero, seu jus gentium improprie dictum referuntur, quæ ad Religionem seu Deum colendi modum per sacrificia, & institutionem certi hominum status ad illa offerenda spectant: porro usus panis, ædium constructio, munitio civitatum, divisio rerum, jus postliminii, ut finito bello quivis ad possessiones suas redire possit: emptio, venditio & similia, quæ, quum nationes pleræque inter se his utantur ob

singulorum utilitatem, non ob communem felicitatem, licet inter gentes plerumque observentur, mutuum tamen civile inter ipsa communitatum membra debitum haud pariunt, neque sub publicum pactum cadunt. Hæc omnia disertis verbis & Jus Politicum & Jus Ecclesiasticum nos docent: istud (x) *Jusgentium ait, est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas probibita.* Illud vero (y) *hoc jure gentium* inquit, *introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes instituta.* Tanta vero tamque fortis inest juri gentium vis obligandi, ut non tantum populos & subditos, sed ipsos etiam supremos Principes, qui jure civili non ligantur, obstringat. Hinc vel maxime illis curæ debet esse, ut jura ista sarta tectaque serventur, memores oportere se non unius gentis, sed totius humani generis rationem habere.

Super-

(x) *Can.* 9. *dist.* 1. (y) *Lib.* 5. *ff. de J. & J.*

Supereſt, ut Juri naturæ ac Gentium, quod paucis complexus ſum, ſcriptores ſubjungam, qui de utroque doctis lucubrationibus bene meriti ſunt. Atque inter hos jure numerandi veniunt inprimis inſigniores quidam Theologi, qui licet plerique non peculiaribus libris ac velut ex inſtituto diſciplinam hanc jurisprudentiæ adornarint, omnesque difficultates exhauſerint, præclare tamen ac dilucide ejus fundamenta, principia, concluſiones, ac maximi ad morum doctrinam momenti veritates explanarunt, absque eo, quod curioſarum ac inutilium quæſtionum indagine, ut hodie fieri a multis videmus, in ſcopulos & ſyrtes impegerint. Ejusmodi fuerunt D. Thomas in 1. 2. part. Summæ ſuæ Angelicæ . . . ejus interpres doctiſſimus Cajetanus Card. . . . Eximius Doctor Suarius S. J. qui integrum de legibus Tomum conſcripſit. . . . Dominicus Sotus O. P. decem libris de J. & J. in lucem editis clarus. . . Ludovicus Molina S. J. univerſam juris ſacri & civilis ſcientiam mira eruditione ac doctrinæ fama ſex Tomis complexus. . . . Leonardus Leſſius S. J. quatuor libris de J. & J. exaratis notiſſimus . . . Vasquezius, Sanchezius, Valentia, Haunoldus,

Card. de Lugo, aliique ex eadem Societate. . . Franciſcus Schmier O. S. B. Ci. Gletle, Franzius, de Wollern, egregii Juris Conſulti Salisburgenſes . . . Janus Vincentius Gravina in Archigymnaſio Romano Juris Doctor qui inſignem de ortu & progreſſu Juris, de Jure naturæ ac gentium, & XII. Tabulis, de legibus & ſenatusconſultis librum conſcripſit. . . . Præclaram vero præ cæteris operam huic diſciplinæ a graviſſimis Acatholicorum quorumdam ſcriptorum erroribus, ac perverſis morum doctrinis expurgandæ duobus voluminibus impenderunt Ignatius Schwarzius S. J. & Anſelmus Deſingius O. S. B. uterque eruditione ſua aliisque compluribus operibus in lucem datis clariſſimi Viri. . . . Acatholici inter ſcriptores de Jure naturæ ac Gentium miris laudibus extollunt Samuelem Pufendorffium, Joan. Barbeyracum, Thomam Hobbeſium, Franciſcum Budæum, Ludovicum Sekendorffium, Chriſtianum Wolfium (de quibus ſuo loco in Critice Jurisprudentiæ loquemur) Hugonem Grotium, & Joannem Gottlieb Heineccium, qui duo poſtremi & doctrina & ſcribendi modeſtia reliquos antecelluerunt.

CAPUT

# CAPUT IV.

# JUS DIVINUM.

## §. I.

## *Jus Divinum Veteris Testamenti.*

### XIX.

Exposito pro instituti ratione breviter jure Naturæ ac Gentium ad Jus illud gradum faciamus, quod *Positivum* communi acceptione nuncupatur, scilicet quia ultra ea, quæ a jure Naturali ac Gentium præcipiuntur, prohibentur, aut permittuntur, libera Dei vel hominis voluntate aliquid ponit, unde etiam recte a Conano (z) *Jus positum* adpellatur. Divinum, de quo agere hoc in loco decrevi, auctoritate Dei constitutum, & tum in Veteri Testamento per Mosen ac Prophetas, tum in Novo per Christum in terris degentem, & per Apostolos ac Evangelistas fuit promulgatum. Erat autem Vetus Testamentum status ille, in quo Deus promissione facta pactum cum populo Israelitico iniit de bonis tum hujus tum

(z) *Lib.* 1. *Comment. c.* 8.

tum æternæ vitæ largiendis, ac de mittendo in terras Messia, qui ex illius gremio & semine nasceretur, si legem per Mosen promulgatam custodirent & observarent. Lex ista, quam Deus in monte Sinai Angelorum ministerio, ut communior fert opinio, Mosi tradidit, quadringentesimo anno a promissione Abrahæ facta, atque ita circa An. M. 2453. per eundem Mosen solemni ritu promulgata fuit, unde lex Mosaica nuncupatur, non quod Moses illius conditor auctorque fuerit (ne quidem legum ceremonialium ac judicialium, uti quidam cum Alphonso Salmerone contendunt) sed duntaxat Numinis Præco publicus, dicente S. Scriptura : *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos* (a). *Locutus est Moses ad filios Israel omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis* (b). Rursus : *mementote legis Mosi servi mei, quam mandavi ei in monte Horeb ad omnem Israel* (c). Soli autem populo Israelitico lex veteris Testamenti uti promulgata, ita etiam posita fuit, eumque solum obstringebat, exclusis gentibus, quemadmodum patet ex verbis illis (d) : *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cere-* mo-

(a) *Exod.* 20. (b) *Deuter.* 1.
(c) *Malach.* 4. (d) *Deuter* 4.

*monias, justaque judicia, & universum legem?* Equidem cæteri gentiles populi adstricti erant ad servanda præcepta naturalia, quum ad hæc omnes ratione præditos ipsum jus naturæ in cordibus scriptum obliget, non tamen vi legis Mosaicæ, quoniam lex non obligat, nisi eos quibus imponitur & promulgatur. Non minus tamen plures Gentilium a lege *Circumcisionis* liberi salutem æternam consecuti sunt, quia Deum verum coluere, ac juris naturæ præcepta observabant. Hos inter eminebat S. Melchisedech, qui Rex fuisse dicitur in Salem oppido, quod dein excrevit in civitatem Jerusalem: quin & Sacerdotem fuisse constat, dum Abrahæ in reditu suo occurrens *oblato pane & vino* (e) magna illum benevolentia excepit. Illi vero Gentiles, qui populo Israelitico fuerunt adscripti, quorum sat magnus erat numerus, uti legitur in libro Esther (f), reliquarum quoque legum jugo erant subjecti. Porro Mosaica lege instruebatur populus tum in iis, quæ ad naturalem morum honestatem spectabant, tum vero maxime in illis, quæ pertinebant ad Dei cultum, ut hac ratione Beatitudinem æternam ac supernaturalem sibi compararet,

(e) *Genes.* 14. (f) *Cap.* 8.

raret, & quidem per fidem in Christum venturum obtinendam. Non enim tunc lex illa justos faciebat homines, id quod ceremoniæ illæ duntaxat significarunt, sed ipsa fides in Christum, qui e cœlo in hunc mundum descensurus erat, non ut solveret, sed impleret legem; atque hæc fides sive ante sive post legem Mosaicam, *explicita* vel saltem *implicita*, secundum communissimam Theologorum doctrinam fuerat ad salutem omnino necessaria.

Jam vero triplicis generis fuerunt præcepta veteris legis, nempe Moralia, Ceremonialia, & Judicialia, quæ conceptis verbis prodit liber Deuteronomii (g): *Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, ceremonias atque judicia.* & *Hæc sint præcepta, ceremoniæ, atque judicia.* Moralia præcepta sunt, quæ ad mores dirigendos, & secundum rectæ rationis normam conformandos spectant, uti præcepta Decalogi, quæ in libro Exodi (h) ordine suo referuntur. Provido autem Dei consilio hæc quæ juris naturæ præcepta sunt, nec ignorari a populo poterant, in lege scripta velut noviter tradita & explicata fuerunt.

(g) *Deut. c.* 5. & 6. *a versu* 3.

(h) *Exod. c.* 20.

runt. Quum enim rationis lumen, licet clarissimum, multis tamen per peccatum tenebris circa moralia & naturalia præcepta fuerit obscuratum, ita ut in rationis tribunali de actionum humanarum bonitate atque malitia sinistrum sæpe ac lubricum judicium ferretur, necessum erat per auctoritatem legis divinæ & præcepta *positiva* imbecillitati intellectus humani ad ea rite agnoscenda, & voluntati ad implenda illa subvenire. Atque ad hæc moralia non tantum præcepta naturalia, sed etiam supernaturalia, quæ in lege veteri circa fidem, spem & charitatem versabantur, ut alia omnia revocantur, dicente Christo apud Evangelistam Matthæum (i): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, in his duobus universa lex pendet, & Prophetæ.*

Præcepta ceremonialia in quatuor classes distribui possunt. Alia enim ad sacrificia & sacramenta, alia ad sacra seu instrumenta, & observantias pertinebant. Prima classis continebat sacrificia, uti *holocaustum*, *hostiam pro peccato*, & *hostiam pacificam*. Altera duplicis generis sacramenta, unum quod ad universum populum, quemadmodum *circumcisio*, *esus agni*

(i) *Cap.* 22.

*agni paschalis*, *purificationes*, *expiationes*, *a peccatis*: aliud quod ad Sacerdotes adtinebat, ficuti *rasio capillorum*, *ablutio pedum*, *esus panis propositionum*. Hæc omnia numerant quidam inter Sacramenta veteris Legis, quæ Christum venturum ac legem gratiæ significarunt. Tertiam classem constituebant sacra seu instrumenta peragendis Sacris destinata: cujusmodi fuerunt *tabernaculum*, *arca fœderis*, *propitiatorium*, *candelabrum*, *mensa*, *duplex altare*, *vestes sacerdotales* &c. item vasa sacra diversissimi generis: *thuribula*, *lebetes*, *mortariola*, *hydriæ*, *acetabula*, *phialæ*, *cyathi* &c. Quarta demum observantias legales complectebatur, inter quas erant *abstinentia a sanguine*, *adipe*, *discretio ciborum*, *jejunia Nazaræorum*, *solemnitates*, *certarum vestium usus*, *vota* &c. Hæc omnia more suo docte nitideque pluribus explicat D. Thomas (k).

Præcepta demum judicialia ad populi regimen, illumque in officio continendum lata fuerunt; & quidem quadruplicis ordinis, ut rursus exponit Doctor Angelicus (l): „ Dantur autem, ait, quædam præcepta de institutione Princi„pum,

(k) 1. 2. *q.* 101. & *seqq.* (l) 1. 2. *q.* 104. & 105. *a.* 4.

„ pum, & officia eorum, & de reveren-
„ tia eis exhibenda: & hæc eſt una pars
„ judicialium præceptorum. Dantur etiam
„ quædam præcepta pertinentia ad con-
„ cives ad invicem, puta, circa emptio-
„ nes & venditiones, & judicia & pœ-
„ nas: & hæc eſt ſecunda pars judicia-
„ lium præceptorum. Dantur etiam quæ-
„ dam præcepta pertinentia ad extraneos,
„ puta de bellis contra hoſtes, & de
„ ſuſceptione peregrinorum, & advena-
„ rum: & hæc eſt tertia pars judicia-
„ lium præceptorum. Dantur etiam in
„ lege quædam præcepta pertinentia ad
„ domeſticam converſationem: ſicut de
„ ſervis, & uxoribus, & filiis; & hæc eſt
„ quarta pars judicialium præceptorum. „
Sic optime lex Moſaica in populo electo, e quo tum temporis vera Dei Eccleſia componebatur, fere per bis mille annos viguit, usque dum a Chriſto in terras adveniente, ut novum ſibi ſuoque populo regnum, novamque gratiæ legem pararet, Vetus Teſtamentum fuerit abrogatum, ſubſtituto Novo. Ceremonialia quidem præcepta fuere exauctorata, quia *translato ſacerdotio neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*, inquit Apoſtolus (m): erantque ſolum figura & umbra, quam ex-

(m) *Ad Hebr.* 7.

exortæ veritatis luci cedere oportebat. Dein judicialia; nam Christus *legem mandatorum evacuans* rempublicam Judaicam pessumdedit: quum populus iste post Christi adventum desierit esse populus peculiaris Dei, adeoque & leges sublatæ fuerunt, quæ ad politicum ejus regimen pertinebant, cujusmodi erant præcepta judicialia. Verosimilius quoque videtur, Moralia prout a Mose tradita promulgataque sunt, & ex promulgatione hac vim obtinebant, idem abrogationis fatum subiisse, uti præclare docet Suarius (n), tum quia S. Scriptura loquens de lege Mosaica passim indicat totam legem veterem per Evangelium fuisse abrogatam, tum quia lex omnis a Mose tradita promulgataque populo Israelitico, constituta nova lege perdidit vim obligandi, quam promulgatio illa post se traxit. At vero quum præcepta denuo a Christo lata, & accuratius atque perfectius observanda in lege gratiæ proposita sint (o), patet, quod nunc quoque omnes non solum vi legis naturalis, verum etiam confirmationis a Christo factæ iis obstringantur.

§. II.

(n) *L. 9. c. 11. de Leg.* (o) *Matth. 5.*

§. II.

*Jus divinum novi Testamenti.*

XX.

Interea Veteri divino juri sic exauctorato, ut vidimus, successit Novum, quod Christus Dominus, Deus simul & Homo, velut solemni Testamento relictum condidit, & tum per se ipsum, tum per Apostolos, promulgavit. Variis id nominibus in S. Scriptura compellatur, nunc *lex fidei*, *lex spiritus vitæ*, *lex gratiæ*, nunc *gratiæ veritas*, *lex amoris*, *lex libertatis*; demum *Lex Nova*, vel quia hominem per gratiam renovat, vel quia lex hæc gratiæ ultima a Deo data est, ut priorem antiquaret: *Mandatum novum do vobis* (p). Verum ipso in limine novi testamenti invenire est malesanos veræ fidei hostes, qui contra id insurrexerunt, negantes Christi legem veram esse legem, nec ipsum fuisse verum Legislatorem. Ita Lutherus (q): *Nullo* clamat *opere*, *nulla lege homini Christiano opus est*, *cum per fidem sit liber ab omni lege.* Ita

(p) *Joan.* 13. (q) *Lib. de Libert. Christian.*

Ita Calvinus (r): *O miserabilem blasphemat justitiam, o perniciosum errorem prædicantium Christum novum Legislatorem! quasi veterem legem abrogaverit, ut novam Christianis omnibus legem imponeret.* Atque hæc perversa dogmata sua stabilire ausi sunt male adductis quibusdam S. Scripturæ locis, & in pejorem sensum detortis, nempe *Deum misisse filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret* (s). *Justo non est lex posita* (t). *Si Spiritu ducimini, non eritis sub lege* (u). Neque nostris temporibus desunt, qui Patriarcharum suorum spiritu pleni in suis de Jure naturæ libris pestifera ejusmodi dogmata in vulgus spargunt, quemadmodum Thomas Hobbesius, qui (x) asserere non dubitat „ Judæos legibus Mo„ saicis, gentes alias civitatum suarum „ legibus, universum vero genus huma„ num naturalibus præceptis teneri; Evan„ gelium vero solum esse de consilio „. Sed quo principia hæc falsa tendant, divinatione non egemus. Nimirum fide sola homines justos fieri contendunt: opera bona duntaxat pignora & argumenta acceptæ gratiæ *justificantis* esse volunt: legem

(r) *In comment. ad epist. ad Gal.* 4. (s) *ad Gal.* 4. (t) 1. *Tim.* 1. (u) *ad Gal.* 5. (x) *in suo Leviathan. c.* 42.

legem Christi rejiciunt, quia cupiditates coercet. castimoniam præscribit, virginitatem laudat, usuram vetat, Petro & Successoribus regimen Ecclesiæ adjudicat &c. Verum quod regnum, quænam respublica unquam absque lege fuit? & Christianam rempublicam sine lege, Christi regnum absque mandato esse arbitremur? an non regni ac reipublicæ hujus subditi homines sunt? qui ut in officio suo contineantur, & Regi suo Christo subjiciantur, legum freno opus habent? Sed audiamus S. Scripturam, ad quam toties ac semper provocant, quoties pro Domo sua perorant: certe Isaias clamat (y): *Deus judex noster est, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster;* ubi loquitur de Deo-homine, seu Messia, præmittens hæc verba: *Domine miserere nostri, te enim exspectavimus.* Item (z) *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Christus ipse clamat (a): *Mandata mea servate: Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Clamat Paullus (b): *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Sed clamant surdis! Cæterum multis lex nova

(y) *Cap.* 33. (z) *cap.* 11. (a) *Joan.* 14. & 15. (b) *ad Corinth.* 9.

nova prærogativis præ Veteri gaudet. Prima est quod lex nova ad finem usque mundi sit duratura, nec abrogationi futura obnoxia, donec cesset Ecclesia in terris militans, ac Electorum numerus compleatur. *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant* (c). Secunda, quod lex nova in gradu magis eminente possideat spiritum gratiæ, per quam ipsa impletur, tum ob rationem Legislatoris Christi, qui gratiæ ipsius fons est & auctor, tum ob rationem legis, quæ longe sublimiori doctrina intellectum, & majori sanctitate mentem imbuit. Quare in nova lege non accipimus *Spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei*, ut ait Apostolus (d). Tertia est, quod lex vetus uni solum populo, ista toti mundo data fuerit. *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ* (e). Quarta demum, quia lex vetus erat figura solum, & velut umbra ad solem seu novam legem, gravium & multiplicium præceptorum oneribus plena, dum nova *Jugum suave & onus leve est.*

Porro præcepta Juris Divini novi partim moralia sunt, partim ceremonialia: ad priora pertinent, quæ sunt de dilectio-

(c) *Matth.* 24. (d) *Rom.* 8. (e) *Marci* 16.

ctione Dei & Proximi, etiam inimicorum: item quæ sunt de fide, spe, & charitate. Nam etiam hæc suo modo moralibus accenseri merentur: ad posteriora, quæ versantur tum circa ritus sacrificii & sacramentorum exteriores, tum circa eos, qui ad horum substantiam requiruntur. Equidem in veteri testamento, ut vidimus, quatuor erant præceptorum ceremonialium genera, scilicet, quæ circa sacrificia, sacramenta, sacra, & observantias lata fuerunt: in novo autem circa duo posteriora nullum a Christo datum fuisse præceptum reperimus, sed potestatem instituendi ea, & instituta præcipiendi Ecclesiæ prudenti arbitrio commisit. Verum negari haud potest, quod quantum ad priora duo adtinet, divina dentur præcepta etiam in nova lege. Quippe Sacrificia & Sacramenta ad substantiam divini cultus pertinent; sacrificium quidem, quia velut essentiam cultus divini exterioris & publici continet: Sacramenta vero, quia ad cultores Dei sanctos faciendos ordinantur. Non autem conveniens erat, horum institutionem humano relinqui arbitrio, quum firma & perpetua esse decreverit Deus, ita ut Ecclesia Christi ab aliis sectis vel congregationibus his quasi characteribus di-

stingueretur, uti notat D. Augustinus (f): *In nullum inquiens nomen Religionis coagulari homines possunt, nisi aliquorum signorum vel sacramentorum consortio colligantur.* Quapropter oportebat tum ad legis istius perfectionem, tum ad unitatis vinculum conservandum dari præcepta divina, quæ substantiam illorum determinarent; reliqua vero, quæ accidentia sunt, quum in iis *unitas* non consistat, Ecclesiæ determinanda relinqui poterant. Neque præcepta ista aut suavitati & libertati, aut perfectioni novæ legis quidquam officiunt; non libertati & suavitati, dicente rursus Augustino (g): *Levi jugo suo nos subdidit* Christus *& sarcinæ levi; unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.* Non perfectioni, quia secum velut animam legis adferunt spiritum gratiæ & charitatis, qui eodem Augustino teste (h) *facit præcepti sarcinam non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.* Judicialia præcepta in hac lege nulla reperiuntur a Christo constituta. Neque mirum: non enim ut regnum aut rempublicam politicam

(f) *Lib.* 19. *contra Faustum c.* 11. (g) *Epist.* 118. *c.* 1. (h) *Lib. de perfect. justit. c.* 5.

cam in hoc mundo erigeret aut stabiliret, Servator advenit; (unde Pilato respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (i), & quum postularet quidam ab eo: *Dic fratri meo*, ut dividat mecum hæreditatem, reposuit: *Homo quis me constituit Judicem inter vos* (k)?) sed ut Ecclesiam suam, quatenus Congregatio est fidelium, ad finem supra terrena hæc positum per adjumenta ejusdem rationis ordinaret, ad quem consequendum legibus judicialibus absolute opus haud erat. Et quamvis ad politicum regimen Ecclesiasticum aliquæ leges judiciales sint necessariæ, satis providit Christus Ecclesiæ, dum potestatem ferendi leges ejusmodi pro necessitate hujus regiminis Vicariis suis commisit, quæ proin non sub Divino sed Canonico Jure continentur. Quod autem ad præcepta ab Apostolis nobis tradita adtinet, ea duntaxat, quæ velut ex ore Christi excerpta promulgarunt, pro Divinis habenda sunt; unde Gentium Apostolus: *Ego* ait *accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Item: *præcipio non ego, sed Dominus* (l). Illa vero, quæ accepta a Christo potestate tanquam Pastores

(i) *Joan.* 18. (k) *Luc.* 12. (l) 1. *ad Corinth.* 11. & 7.

ſtores & Rectores Eccleſiæ decreta reliquerunt, qualia ſunt Canones Apoſtolorum, præceptum de obſervanda die Dominica, de jejunio quadraginta dierum &c. ad jus humanum Eccleſiaſticum ſpectant.

Tantam vero vim obtinent præcepta Juris divini, ſeu legis novæ, ſive a Chriſto per ſe ipſum, ſive per Apoſtolos ipſius nomine tradita, ut a nullo hominum mutari queant, nec *diſpenſationi* ut vocant Jurisperiti, in iis locus ſit. Quamvis enim Deus, utpote in lege ſua, *diſpenſare* pro arbitrio ſuo etiam ſine cauſſa poſſit, quum ſit ſummus Dominus & Legislator, ejusque voluntas ſit ſuprema regula bonitatis, non tamen poteſtatem hanc, ſine qua inferior in lege ſuperioris *diſpenſare* nequit, ulli hominum, etiam Pontifici, conceſſiſſe communior ac verior Theologorum ſententia docet. Equidem Chriſtus Petro dixit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis* (m). Verum nimis late patent hæc verba, nec illis indulſiſſe Chriſtus Petro & ſucceſſoribus eſt cenſendus facultatem ejusmodi, per quam ſolvi queat Jus divinum, ejusque

(m) *Matth.* 16.

que præcepta, quæ fundamenta sunt Ecclesiæ, labefactari aut variari possint, ita ut decursu temporis vix Ecclesiæ *unitas* atque stabilitas amplius agnosceretur. Nihilominus non pauci Theologorum æque ac Jurisperitorum summo Pontifici potestatem adstruunt interpretandi ac declarandi: hæc vel illa, in his vel illis circumstantiis sub jure divino non comprehendi; atque ita in votis, juramentis &c. *dispensare* dicitur Pontifex, quamvis minus proprio loquendi modo. Quo tempore autem obligare cœperit abrogata veteri lex nova, satis controversa res est, abeuntibus in diversas partes Doctoribus: quidam contendunt, jam ante Christi mortem cessasse Veterem, suamque vim exeruisse Novam, in iis saltem, quæ jam tunc Christus instituerat, quemadmodum baptismum ad salutem esse necessarium jam declaravit his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (n). Verum opinio hæc non videtur esse verosimilis. Nullum enim præceptum hujus legis vivente adhuc Christo publice prædicatum fuit tanquam ad salutem necessarium, multo minus confirmatum; quamvis aliqua fuerint a Servatore

(n) *Joan.* 3.

vatore privatim proposita: præterquam quod idem, dum viveret, in multis legi Mosaicæ palam se ipsum ac sponte sua subjecerit. Quare melius alii autumant, exspirasse vetus Testamentum cum ipso novi Conditore Deo-homine animam in cruce agente, clamanteque *consummatum est*, quando scilicet velum Templi scissum, translatum sacerdotium, & Testamentum novum confirmatum est, quum & alia testamenta morte confirmata quamprimum obligandi vim exerere soleant, uti argumentatur Apostolus (o): *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Optime omnium sentire videntur, qui docent legem novam ante Pentecostes diem obligare haud cæpisse: tunc enim velut e privata in publicam legem promulgationis ope transiit. Hinc Christus e terris discessurus Apostolis præcepit: *Euntes docete omnes gentes & prædicate Evangelium*, quod mandatum illi non poterant exequi, nisi postquam Spiritum sanctum ex alto submissum recepissent. Nam præcedente Pentecosten tempore jubebantur *sedere in civitate, donec induerentur virtute*

(o) *Ad Hebr.* 9.

*tute ex alto*, nimirum dotibus illis, quas tam ardua publice prædicandæ Legis Evangelicæ provincia requirebat. Neque etiam Christus institutionem Ecclesiæ suæ ante suum in cœlos ascensum complevit, quum paullo ante, ut patet e D. Joannis Evangelio (p) Sacramentum pœnitentiæ instituerit, ac potestatem sacerdotibus ad peccata remittenda dederit, quin & Apostolos ad Episcoporum, ac Petrum, in quo fundenda erat Ecclesia, ad summi Pontificis munus evexerit. Non autem verosimile videtur esse, quod Christus Dominus legem suam ut obligantem tulerit prius, quam esset Ecclesia constituta, pro qua illam legem ferebat. Itaque ipsa die Pentecostes in principe civitate Solymæa, quum in ea tam diversarum gentium homines divina ordinante Providentia congregati fuerunt (Parthi, Medi, Ælamitæ, & qui Mesopotomiam, Judæam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ habitabant, Judæi, Proselyti, Cretes & Arabes) ab Apostolis Spiritu sancto plenis solemni ritu publico, ita ut unusquisque nationum illarum lingua sua loquentes audiverit, lex nova promulgata fuit, ac obligare cœpit. Hæc de

(p) *Cap.* 20. & 21.

de jure divino tum veteris, tum novi testamenti, quod partim Theologi D. Thomas, Suarius, Dominicus Sotus, Molina, Lessius &c. doctissimis disputationibus, partim S. Scripturæ Interpretes Alphonsus Salmeron, qui undecim tomis in Evangelia, in reliquum S. Scripturam quinque commentatus est, Joannes Maldonatus, Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus, Cornelius a Lapide, Augustinus Calmet, aliique complures eruditissimis commentariis illustrarunt.

# CAPUT V.

## JUS HUMANUM ECCLESIASTICUM.

### XXI.

### *Procemium.*

Emenso Juris naturæ, gentium, ac divini stadio gradum faciamus ad Jus humanum, seu quod homines accepta a Deo potestate condiderunt ac promulgarunt, cujus ea est natura, ut omnem obligandi vim obtineat a libera voluntate hominis, publica auctoritate aliquid præcipientis vel prohibentis. Juris

ris hujus fundamentum est ipsa humana societas. Hæc autem triplex est: omnium prima conjugalis, quæ marem inter & fœminam intercedit, ad humani generis propagationem necessaria: altera paterna, seu filiorum cum parentibus, & parentum cum filiis: tertia herilis, seu servitutis, famulatus, & dominii; quum homines vitam agere absque aliorum ministerio & auxilio nequeant. Jam vero e tribus his primis societatibus coalescit integra communitas, intra limites tamen domesticos unius cujusdam *familiæ*, qualis œconomico regimine dirigitur. Quoniam vero hominum aucto numero augeri quoque familias ac in plures dividi necesse est, istæ vero sibi solis non sufficiant sine artium, opificiorum, & agriculturæ adjumento, neque etiam si separatæ degerént, diu pax conservari, ac injuriæ propelli queant, oritur alia grandior communitas, quam *civitatem* adpellant, quæque ex pluribus familiis componitur. Quod si quemadmodum ad vitæ commoda atque præsidia fieri solet, plures quoque civitates in unam societatem coeant, demum maxima consurgit communitas, puta *Respublica*, *Principatus*, *Regnum*, *Imperium*. Paucis rem totam M. Tul-

lius

lius (q) complectitur: „Nam cum hoc „ sit, inquit, natura commune animan„ tium, ut habeant libidinem procrean„ di, prima societas in ipso conjugio „ est: proxima in liberis: deinde una „ domus, communia omnia. Id autem „ est principium urbis, & quasi semina„ rium reipublicæ. Sequuntur Fratrum „ conjunctiones; post consobrinorum, „ sobrinorumque, qui cum una domo „ jam capi non possint, in alias domos „ tanquam in colonias abeunt. Sequun„ connubia & affinitates, ex quibus „ etiam plures propinqui. Quæ propo„ gatio & soboles origo est rerum pu„ blicarum. Magnum enim est eadem „ habere monumenta Majorum, iisdem „ uti sacris, sepulchra habere commu„ nia. „ Palam igitur est, caussam efficientem proximam civitatis ac reipublicæ haud aliam esse, quam tacitum hominum consensum, quem recta ratio dictat, & ad coeundum in societates ac communitates ejusmodi impellit, ob innumera quæ secum adferunt, vitæ commoda. Est enim reperire tres hominum classes, quæ in civili societate præcipua consideratione dignæ sunt: Mercatores, Milites, Judices seu Patres conscriptos. Primi

(q) *Lib. I. Offic. c. 17.*

Primi ea in civitatem inferunt, quæ vitæ sustentandæ sunt vel necessaria vel jucunda. Secundi arcent hostes, prædones, omnemque vim & injuriam repellunt, ultimi denique saluberrimis legibus & consiliis magna cum providentia & justitia rei communi prospiciunt. Jam vero constitutis semel hujusmodi communitatibus seu civitatibus, rebuspublicis, & regnis consequitur humanarum legum & supremarum potestatum necessitas; illarum quidem, ut ipsa communitas in officio contineatur; istarum vero, ut legum observantiam & regiminis formam sartam tectamque conservent. Sicut enim rectæ rationi nihil magis consentaneum est, quam societas, ita societati nihil magis quam regimen & leges, quibus bonum commune promoveatur. Egregie rem omnem, de qua hucusque dixi, explicat Doctor Angelicus (r) his verbis: „Et siquidem homini conveniret singulariter vivere, „sicut multis animalium, nullo alio di„rigente indigeret ad finem: sed ipse „sibi unusquisque esset Rex sub Deo „summo Rege, in quantum per lumen „rationis divinitus datum sibi in suis „actibus se ipsum dirigeret. Naturale „autem

(r) *Lib.* 1. *de regim. Princip. cap.* 1.

„ autem eſt homini, ut ſit animal ſo-
„ ciale & politicum, in multitudine vi-
„ vens, magis etiam quam alia anima-
„ lia: quod quidem naturalis neceſſitas
„ declarat. Aliis enim animalibus natura
„ præparavit cibum, tegumenta pilorum,
„ defenſionem ut dentes, cornua, un-
„ gues, vel ſaltem velocitatem ad fu-
„ gam. Homo autem inſtitutus eſt nul-
„ lo horum ſibi a natura præparato: ſed
„ loco omnium data eſt ei ratio, per
„ quam ſibi hæc omnia officio manuum
„ poſſet præparare: ad quæ omnia præ-
„ paranda unus homo non ſufficit: nam
„ unus homo per ſe ſufficienter vitam
„ tranſigere non poſſet. Eſt igitur ho-
„ mini naturale, quod in ſocietate mul-
„ torum vivat . . . ſi ergo naturale eſt
„ homini, quod in ſocietate multorum
„ vivat, neceſſe eſt, in hominibus eſſe,
„ per quod multitudo regatur. Multis
„ enim exiſtentibus hominibus, & uno-
„ quoque id quod ſibi eſt proprium pro-
„ vidente, multitudo in diverſa diſper-
„ geretur, niſi etiam eſſet aliquis de eo,
„ quod ad bonum commune multitudi-
„ nis pertinet, curam habens: ſicut &
„ corpus hominis, & cujuslibet anima-
„ lis difflueret, niſi eſſet aliqua vis re-
„ gitiva communis in corpore, quæ ad

„bonum

„ bonum commune omnium membro-
„ rum intenderet. Quod considerans
„ Salomon dicit: *ubi non est gubernator*
„ *corruet populus.* „ Hæc autem potestas gubernans forma est civitatum, estque potestas summa, quæ Majestas vocatur, quæque nullum alium se superiorem agnoscendo civium actiones dirigit ad communem & publicam felicitatem. Non tamen propterea adeo late patens nullisque constricta limitibus est, ut non illi, in quibus residet, seu Optimates seu Principes seu Reges sint, legum suarum vi dirigenti subjaceant, quantumvis a cogente aut vindicante sint immunes. Originem suam hæc ducit haud ab alio, quam a Deo ipso dicente: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt* (s). Et sane quemadmodum inferiores reipublicæ Principes a summa Majestate terrena, ita hæc a supremo Rege ac Dominantium Domino pendeat necessum est. An vero in Reges ac Principes nullo interveniente summa hæc potestas fluat, ita ut non a republica, sed a solo Deo ea conferatur, tam controversa quam salebris plena res est, una quidem ex parte, ne Principum regimen

(s) *Prov.* 8.

men in *despotismum* ut vocant, aut tyrannidem degeneret, ex altera vero ne populus semper varius & in seditiones pronus potestatem & jus quoddam extra ordinem super ipsum Caput suum ac Rectorem sibi arroget. Dixisse sufficiat, summam potestatem, quanta quanta est, a Deo in Reges ac Principes, superiori humano non subjectos, proficisci, ita ut populus semper meminerit verborum Paulli (t). *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ac D. Petri: *Subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum . . . sicut servi Dei . . . Deum timete, Regem honorificate* (u). Principes vero memores sint verborum Christi, quibus Pilato dicenti: *nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & dimittere te?* respondit: *non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (x). Profecto jam olim D. Chrysostomus quam vere tam circumspecte hoc in negotio locutus est, dum in verba illa Paulli: *Non est potestas, nisi a Deo.* sic commentatur: „Quid dicis? „ergo

(t) *Ad Rom.* 13. (u) 1. *Petr.* 2.
(x) *Joan.* 19.

„ ergo omnis Princeps a Deo constitu-
„ tus est? Istud non dico. Non enim de
„ quovis Principe mihi sermo est, sed
„ de re ipsa, id est, de ipsa potestate.
„ Quod enim Principatus sint, quod-
„ que non simpliciter & temere cuncta
„ ferantur, divinæ sapientiæ opus esse
„ dico. Propterea non dicit (Aposto-
„ lus) non enim Princeps est, nisi a
„ Deo, sed de re ipsa differit dicens;
„ non est potestas nisi a Deo (y).

## §. I.

## *Jus Canonicum.*

### XXII.

Jus humanum communi Jurisperitorum bene moratorum calculo in Ecclesiasticum seu Canonicum, & in Politicum seu Civile dividitur. Nec abs re Jus Ecclesiasticum Politico præponitur tum ob nobilitatem finis, dum non ad felicitatem hujus vitæ transeuntem, sed ad animarum salutem sempiternam legibus suis atque præceptis tendit, quemadmodum Gratianus in Decreto ex ore D. Hieronymi, loquitur (z): *Duo sunt gene-*
*ra*

(y) *Homil.* 23. *in epist. ad Rom.* (z) *C. duo sunt.* 7. *causs.* 12. *q.* 1.

*ra Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici . . . . . aliud vero genus est Christianorum, ut sunt Laici. His licet temporalia possidere &c.* Tum ob præstantiam Legislatoris, quam explicat Gelasius Papa scribens Anastasio Imperatori (a): *Duo sunt quippe Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem.* Tum ob amplitudinem rerum, ad quas se se extendit Jus istud sacrum. Hinc apud pios Imperatores tanta semper veneratio, tantaque fuit auctoritas SS. Canonum, ut quod contra eos sancitum fuit, nullius roboris esse voluerint, uti patet e verbis Impp. Valentini & Marciani (b): *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus.*

Verum

(a) *C. duo sunt.* 10. *dist.* 96. (b) *L. Privilegia.* 12. §. 1. *Cod. de SS. Ecclesiis.*

Verum heic ipso in limine litem movent Ecclesiæ Catholicæ, simul ac Hierarchiæ Ecclesiasticæ hostes, dum nomen Legis ac Juris Canonici velut a primorum seculorum usu alienum esse audacter non minus quam falso pronunciant, omnemque juris dicundi potestatem Pontificibus subtrahere conantur. Num hoc ex ignorantia faciant, aut ex malitia & odio dogmatum Ecclesiasticorum, aut ex utroque, nolim disquirere. Certum est, si antiquissimi etiam ævi monumenta consulamus, nunquam hominum communitatem aliquam, ne quidem inter Ethnicos sine sacris, nec sacra sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine potestate legis sanciendæ fuisse, aut sine auctoritate judicii statuendi circa ea, quæ vel ad ipsa sacra adtinebant, vel quæ cum sacris ratione aliqua connexa fuere. Apud Ægyptios Sacerdotes erant simul Judices (c), teste Æliano. Druidæ Gallorum sacerdotes fere de omnibus controversiis qua publicis qua privatis pronunciabant: & si quod facinus erat commissum, si cædes facta, si de familia erciscunda, aut limitibus ponendis lis mota, iidem pro potestate decernebant, ac

(c) *Lib.* 14. *hist.* *c.* 34.

ac pœnas præmiaque constituebant: quod si vero seu de plebe seu de Primariis unus aliquis eorum decreto non stetisset, sacrificiis illum interdixere, quæ pœna apud has gentes erat gravissima. Quippe hujusmodi homines interdicti in numero sceleratorum habebantur, eorum sermonem atque contubernium fugiebant omnes, ne quid ex contagione incommodi acciperent, ut fide dignissimus & oculatus testis omnium est Julius Cæsar (d). Apud Romanos Numa Pompilius Romanorum Rex sacris in rempublicam invectis Pontifiecem Maximum cum aliis sacerdotibus & Virginibus Vestalibus creavit, ut refert Plinius secundus (e), iisdemque condendarum legum, de sacris potissimum, pro arbitratu suo auctoritatem dedit, ipsosque Pontifices nullius potestati voluit esse obnoxios, ita ut nequidem senatui aut populo rationem reddere tenerentur, quemadmodum prodit Dionysius Halicarnasseus (f). Atque hoc tempore apud Romanos Jus Pontificium cœpit, partim a Numa conscriptum, partim a Pontificibus auctum. Versabatur autem jus hoc vel circa religionem, vel circa rem-

(d) *Lib. 6. Comment.* (e) *Lib. de Vir. Illustr. c. 3.* (f) *Lib. 2.*

rempublicam. Ex parte religionis tractabat de rebus divinis, de sacris, de ceremoniis, de personis deorum suorum cultui initiatis, horumque bonis ac fortunis: ex parte reipublicæ vero de pauperum & viduarum cura, de caussis piis, deque negotiis personarum, quæ ad illorum forum spectabant, uti Cicero & Livius testantur (g). Hæc erat vel apud barbaras nationes & gentiles legum ferendarum potestas & Jus Pontificum, cui inter cultas nationes etiam his temporibus male feriati quidam diem dicere non erubescunt.

Redeamus ad prima Ecclesiæ Catholicæ a Christo institutæ tempora, & reperiemus, jam Anacletum (qui quartus a S. Petro Pontifex erat circa A. C. 101. secundum Mussantii chronologiam) ecclesiæ decreta & canones adpellasse Leges, uti refertur in Decreto (h): *Leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate.* Neque ipsi Imperatores SS. Canonibus vim legis unquam negarunt, sed eos tanquam leges sacras observandas esse sanxerunt. Ita loquitur Justinianus (i): *A præ-*

(g) *Cicero pro domo sua*, & *Livius Lib.* 1. (h) *C. Leges.* 13. *caus.* 3. *q.* 6. (i) *In Novell.* 6. *c.* 1. §. 8.

*A praecedentibus Imperatoribus, & a nobis ipsis recte dictum est, oportere sacras Regulas pro legibus valere.* Et (k) *Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas.* Peregrinos igitur, immo caecos, esse oportet in Jure Civili eos, qui Pontificiae potestati circa leges ferendas litem intentare non dubitant, dum adeo experti & oculati esse videri volunt in Jure Canonico. Quis aequo animo ferret, si quis Imperatoribus, Regibus atque Principibus Imperii suis in territoriis hanc potestatem in dubium vocare auderet, quam in subditos suos Laicos, quantum ad politicum regimen adtinet, exercent? & isti paucorum dierum homines, ut ita dicam, impune ferant, si Pontifici supremo sacrorum Antistiti, cui etiam Imperatores & Reges Christiani per tot secula coronam & sceptrum inclinarunt, potestatem hanc, quae in Ecclesiae subditos ad animarum regimen ipsis competit, inanibus quibusdam ratiunculis in medium allatis eripere tentent? *Instar sacrilegii est disputare de Principis potestate*, ait Imperator (l). Triplex autem est potestas Ecclesiastica, una Ordinis, quae

(k) *Novell.* 131. *c.* 1. (l) *L. disputare* 2. *Cod. de crimine sacrilegii.*

quæ confertur ad sacramenta rite conficienda & administranda: altera Jurisdictionis interioris ad regendum populum Christianum in foro, ut ajunt, conscientiæ, quod fit absolvendo & ligando: tertia Jurisdictionis exterioris, quæ ad eundem populum circa publicas actiones regendum ordinatur, condendo leges, puniendo, cognoscendo causas, & controversias decidendo. Huic tertiæ qui bellum indixere, primi fuerunt facinore post tot secula, post tot hæreses antea non audito Wicleffus & Lutherus. Prior *Decretales Pontificum esse apocryphas docuit, & illos homines stultos, qui cognoscendis iis operam navarent* (m). Alter, *quo jure*, inquit: *Papa super nos leges constituit? quis ei dedit potestatem captivandæ libertatis nostræ, per baptismum nobis donatæ, cum neque Papa, neque Episcopus, neque ullus alius hominum habeat jus unius Syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi fiat ejusdem consensu* (n). Ut autem verbis suis pondus adderet Hæresiarcha iste insolente quodam facto, universum corpus Juris Canonici spectante Wit-

(m) *Art.* 38. *damnato in Conc. Constant. Sess.* 8.
(n) *In Lib. de captiv. Babylon.*

Wittenberga an. 1520. ultricibus flammis exussit, uti testatur in ejus vita Cochlæus. Videant heic, quos duces præclaros sequantur ii, qui nostris etiam temporibus Ecclesiæ potestatem ac jurisdictionem qua scriptis qua sermonibus eversum eunt, Jurisque Canonici contemptum extremum & suis & aliorum animis ingerere conantur. Quid enim sibi volunt voces illæ, etiam per Catholicorum quorundam ora volantes: Papam & Sacerdotes non habere potestatem ullam, nisi dum stant vel ad aras, seu sacramenta conficiunt & sacrificium offerunt, vel sedent in S. Tribunali, ubi vincula solvunt vel injiciunt animabus: cætera legum ferendarum impotentes esse atque inermes. His nihilo meliores sunt, qui quidem non omnem regendi ac gubernandi Ecclesiæ subditos potestatem abnegant, eum tamen cum civili ac politica jurisdictione confundunt, non sine turpi adulatione attribuentes Principibus seculi hujus promiscue jus in sacra & profana; quod palam faciunt tot horum decreta Ecclesiasticæ libertati, personis & bonis Deo dicatis adversantia. Et quid mirum? legunt in Goldasto, Conringio, & maxime in Pufendorffio (illo Juris oraculo) hierarchiam

Eccle-

Ecclesiasticam seu potestatem in sacra, sejunctam a potestate Politica figmentum Papistarum, monstrum politicum esse, quod imperia lacerat in partes, quod regimina pervertit &c. (o). Sed ecce Vertumnos! nihilominus in quibusdam Germaniæ Academiis & scholis Acatholicis Jus utrumque docent, immo quod mirere, Doctores utriusque Juris, Civilis nempe & Canonici (quod postremum jus Antichristi adpellant) utriusque inquam juris & Justinianei & Antichristi Doctores creant.

Verum uterque hic error meretur, ut brevi sed solida ratiocinatione & Catholicorum & aliorum, quid juris sit, non ignarorum animis eximatur. Primo quidem negari haud potest, Ecclesiam esse communitatem aliquam perfectam, & morale corpus quoddam, congregatum atque unitum eo fine, ut ad beatitudinem *supernaturalem* tendat; quemadmodum civitas & respublica ad pacem, tranquillitatem ac præsentis vitæ felicitatem. Nulla vero communitas, nullum corpus morale sine potestate ferendi leges & gubernandi subditos suos firma stare potest. In qualibet enim communitate

(o) *In libello de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem.*

nitate non paucos reperire est; qui vel non sciunt, nisi instruantur, vel non volunt nisi cogantur, bene ac ad finem communitati præfixum actiones suas ordinare. Principium hoc est & fundamentum, e quo ipso & solo potestatem ferendi leges ac gubernandi probant pro civitate ac republica profana omnes Jurisperiti, & qui hoc negat, rectæ rationi bellum indicit. Itaque necessarium est, ut in Ecclesia tanquam communitate perfecta & corpore quodam morali detur potestas ferendi leges ac gubernandi subditos, per quam ad finem illum *supernaturalem* ignari dirigantur, ignavi compellantur, refractarii coerceantur. Aut fors plus interest efficaciter obtinere finem miseræ hujus fluxæque vitæ, quam alterius omni ex parte beatæ, ac æternum duraturæ? Hæc consecutio plane legitima est, & ad omnes sani judicii regulas exacta. Num forte respondebunt, satis superque ad hunc finem *supernaturalem* esse legem Christi in Evangelio contentam, ita ut humanam & Ecclesiasticam superaddi necesse haud sit. Sed qui ita loquuntur, caveant, ne pari ratione totum Jus civile ac politicum pessumdent. Etiam Jus naturale ad eum finem, quem respublica

politi-

politica spectat, scilicet ad felicitatem naturalem sufficeret abunde, si quisque ductum rectæ rationis sequeretur: ad quid ergo opus civilibus legibus earumque appendice poenarum ac suppliciorum in transgredientes statutorum? Nimirum sicuti ad rite gubernandam rempublicam profanam necessariæ sunt ejusmodi leges, quæ sunt veluti conclusiones deductæ ex primis principiis juris naturæ, quod utpote nimis generale ad singulares casus adplicant, ita & ad ordinatum regimen Ecclesiasticum præter Evangelicam legem nimis late patentem oportet esse quasdam alias, quæ ex principiis Evangelicis deductæ magis eam explicent, & quid in his vel illis circumstantiis fieri opus sit, determinent. Ita jubet Evangelium Eucharistiam sumere, sed tempus ac modum Ecclesiæ statuendum reliquit; quemadmodum præcipit jus naturale fidem servare in *contractibus* & pactis, jus civile vero modum seu conditiones ac solemnitates eorum præscribit. Secundo, nullus est in Evangelio adeo peregrinus, ut non intelligat, a Christo Domino institutam fuisse Ecclesiam, hoc est, communitatem fidelium recte beneque ordinatam: an autem talis esse poterit absque regimine? Sed quale hoc esse cre-

dimus

dimus regimen? cæcutiat oportet, qui non videt, fuisse illud ad finem longe supra naturam positum, ad felicitatem & vitam sempiternam ordinatum. Hoc sane omnis doctrina, præcepta omnia a Christo privatim & palam data demonstrant. Habet itaque regimen Ecclesiasticum finem specie ac toto genere, ut ajunt, diversum a fine regiminis politici, qui est tranquillitas & felicitas naturalis ac præsentis vitæ. Si hoc ita est, leges ac præcepta, quin & ipsa potestas, quæ dirigit ad hos fines adeo diversos, diversa quoque debent esse ac distincta. Profecto dum Christus ex hoc mundo discessurus Ecclesiam suam, ejusque regimen alteri tradidit vicaria potestate adeundum, non Magistratui civili, Principi, Regi, vel Imperatori, sed Petro, & in Petro legitimis ejus successoribus disertis verbis dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claves regni cœlorum: Pasce oves meas.* Apostolis vero dixit: *Qui vos audit, me audit. Si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Non minus D. Paullus ad Episcopos: *Attendite vobis*, inquit, *& universo gregi, in quo Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acqui-*

*quisivit sanguine suo* (p). Neque refert, quod apud Ethnicos, præcipue Romanos, ut supra vidimus, jus sacrum atque profanum fuerit commistum, & utraque jurisdictio penes rempublicam aut principem steterit. Grande discrimen intercedit! Nam quum Ethnici deficiente baptismi sacramento veræ Christi Ecclesiæ membra non sint, sed foris in cæcitate sua relicti a Deo, Christo, & ultimo fine longe aberrent, mirum haud est, quod sacra profanis & profana sacris misceant. Aliter sentiendum de Christianis, quibus post prædicationem Evangelii finis ultimus, & supra terrena hæc positus luce clarius ob oculos versatur, ad quem ut homines felicius perducantur, Christus, Ecclesiæ Caput, præter politicam, quæ ad felicitatem præsentis vitæ tendit, aliam jurisdictionem sacram & Ecclesiasticam esse voluit penes illos, quos ipse præfecit Ecclesiæ, constitutam.

## §. II.

## *Decretum Gratiani.*

### XXIII.

Vindicata & stabilita Ecclesiastica potestate ad singulas Juris Canonicis tanquam vastissimi Corporis partes inspiciendas nos trans-

(p) *Act.* 20.

transferamus. Prima est, quam *Decretum Gratiani* vocant. Hoc grande opus præcesserunt velut antesignani quædam minoris nominis & auctoritatis. Nam multiplicatis per plura Concilia tam Universalia quam Provincialia Ecclesiasticis sanctionibus & Pontificum constitutionibus Eximii quidam doctissimique viri animum & manum admoverunt ad varias earum collectiones tum græco tum latino sermone faciendas, quæ & Ecclesiæ regimini & fidelium utilitati servirent. Primus erat Dionysius origine Scytha, cognomento Exiguus, Monachus, Vir in divinis æque ac profanis literis admodum peritus, qui tempore Theodorici Regis circa an 527. floruit, ac æram Christianam condidit, qua in annis a Natali Christi Domini computandis etiamnum Ecclesia Romana utitur. Hic veteres canones e græco in latinum idioma translatos collegit, initium ducens a Siricio Papa usque ad Hormisdam, & in ducentos quinque articulos opus divisit. His dein addita fuerunt Gregorii II. decreta decem & septem capitibus comprehensa, uti notat Petrus Marca (q) adpellaturque hæc collectio *Codex Canonum*, quem Adrianus I. Carolo M. dono dedisse circa an.

(q) *Lib. 3. Concord. c. 3.*

an. 787. & Carolus Episcopos Galliæ statim admonuisse fertur, ut Canonum horum observantiæ probe invigilarent. Animadvertunt heic non pauci Criticorum, Dionysio huic adscribendum quidem esse laborem, quo Græcos Canones in linguam latinam transtulit, ipsius vero collectionis opus vel a Stephano Episcopo Ephesino, vel alio adhuc Antiquiore Auctore Theodosii M. temporibus circa an. 385. susceptum adornatumque fuisse. Hujus suæ opinionis caussam adferunt, quod ipsa collectio desinat in Concilio Constantinopolitano I, quod Oecomenicum secundum erat, an. 381. celebrato.

Eodem fere tempore Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, & discipulus S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, aliam elucubravit Collectionem diversa methodo constructam, dum omnes variorum Conciliorum canones ita in sua quosque capita divisit, ut non tam recitaret eos, quam citaret; quod opus propterea Cresconius in Collectione a se facta *Breviarium* adpellat: ejus mentionem facit Gratianus sub nomine *Breviationis Canonum*.

Huic alia successit Collectio, an. 571. edita a Martino Benedictino, Braharensi Episcopo, qui Synodos græcas in lati-

num idioma transtulit ad usum utilitatemque potissimum Ecclesiæ Hispanicæ; quin & alios canones e latinis Conciliis congessit, maxime Toletanis, quos complures suo Decreto postmodum inseruit Gratianus, sed perperam nomine Martini Papæ insignitos. Reperitur hæc collectio in Tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracharensem.

Quarta Collectio est Isidori Hispalensis, vel ut nonnullis placet, Mercatoris seu Peccatoris (utroque nomine eum adpellat Possevinus (r) Episcopi Setubensis. Qui Isidoro Hispalensi collectionem hanc abjudicant, his nituntur fundamentis, primo quidem quod in ea mentio fiat de Concilio Toletano sexto, quod anno 638 celebratum fuit: ipse vero Isidorus vita excesserit. an. 636. Dein, quod insertæ reperiantur Epistolæ Gregorii II. & III. nec non Zachariæ Pontificis, qui primum post annum 700 Apostolicam sedem occuparunt. Demum quod Collectio ista inter opera S. Isidori Hispalensis, a SS. Braulio & Ildephonso edita non recenseatur. Contra qui S. Isidoro favent, Hincmari Remensis, qui duobus circiter post obitum Isidori seculis scripserat, auctoritate

(r) *In Apparat. fol.* 244.

tate se tuentur, dicentis (s): *Hæc sunt, quæ prædictus Isidorus in Collectario suo de Canonibus diligentissime perscripsit.* Suffragatur quoque Præfatio Corpori Juris Canonici, jussu Gregorii XIII. studiose correcti, præfixa, cui hæc verba sunt inserta: *Caterum inter privatos Collectores - - - perantiquus est Isidorus, cujus collectio protenditur a Canonibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense secundum.* Denique multa, quæ in libro quinto *Etymologiarum*, qui absque controversia Auctorem habet S. Isidorum Hispalensem, leguntur, etiam in Collectione ista est reperire. Verum lis hæc facile componi posse videtur, si asseratur, collectionem quæ in controversiam adducitur, inchoatam confectamque ab Isidoro Episcopo Hispalensi, a Setubensi vero, seu Peccatore (quod nomen Vir humillimus sibi proprium fecit) auctam & adjectis aliis Conciliis & epistolis amplificatam fuisse. Atque hæc ipsa mens est Antonii Augustini, Viri doctissimi, qui summa cum diligentia canonum collationes scrutatus est, & cum fontibus suis contulit. Nam in hanc sententiam ad Gregorium XIII. scribit: „ In primis laudandi „ sunt Isidori Hispani duo, qui & Pon- „ tifi-



(s) *in l. de variis capit. Eccles. c. 33.*

„ tificum Romanorum epistolas, & om„ nium conciliorum decreta collegerunt„. Cæterum collectio hæc Isidoriana titulis distincte additis & indice adjecto instructa est, ita ut unusquisque titulus certam quandam materiam complectatur una cum numeris canonum, ad illum pertinentibus.

Uberiorem locupletioremque instruxit Cresconius, sive Crisconius Episcopus Africanus, qui floruit eo tempore, quo de Saracenis in Africa trimphavit Patricius, an. scilicet 690, uti colligitur ex Codice Vaticano, quem allegat Baronius ad an. 527. Hic opus suum, quod exstat in Bibliotheca Maxima, in duas distribuit partes, quarum prima continet *Breviarium Canonicum*, ubi strictim adducuntur Canones & Decreta: altera, quæ *concordia Canonum* inscribitur, prolixius & Decreta & Canones recitat.

Sextæ Collectionis Auctor est Burchardus, primum Lobii Monachus S. Benedicti, tum Episcopus Wormatiensis, qui imperante Henrico an. 1020. Decretum composuit, e variis Conciliorum Canonibus, Pontificum epistolis, SS. Patrum sententiis, & Imperatorum sanctionibus collectis in viginti libros divisum. Complura quoque e Digestis, Codice, & Novellis

ellis transcripta huic suæ collectioni inruit, ita ut vestigia secutus Joannis Scholastici & Photii, Patriarcharum Constantinopolitanorum, jus civile cum canonico conjunxerit: Vitio tamen illi vertitur a memorato superius Antonio Augustini, quod collectionem suam non ex fontibus fis, sed ex rivulis & stagnis aliorum auserit.

Post istam comparuerunt duæ Collectiones, una Cardinalis Deus dedit, Victoris Papæ temporibus, methodo magis scholastica conscripta, cujus meminit Baronius ad an. 1086. Altera Anselmi Episcopi Lucensis, qui floruit ævo Gregorii II. ad annum 1088.

Octavo loco memoranda venit Collectio Ivonis, antea Præpositi Monasterii Quirini Bellovacensis, Ord. Can. Reg. Augustini, postea Episcopi Carnotensis regnante Urbano II. usque ad annum 1114. Extant autem duo volumina Ivonis hujus nomine insignita, & cum eadem præfatione in lucem edita, unum *Pannomia* quasi leges Ecclesiæ omnes complectens, alterum *Decretum* vulgo dictum, & in decemdecim omnino partes divisum. Hoc ultimum Critici satis periti tribuunt Ivoni, quodque per annos sexaginta ante Decretum a Gratiano conscriptum passim

in scholis & cathedris juridicis usui fuit: alterum vero seu Pannoniam opus esse contendunt Hugonis cujusdam Catalaunienfis. Verum huic postremæ opinioni obstare videtur præfatio, ut dixi, eadem utriusque voluminis, in qua Ivo ipse sic loquitur: *se ita materias congessisse, ut non sit quærenti necesse, totum volumen evolvere.*

Demum omissis aliis Photii, Harmenopuli, Syagrii, aliorumque, in lucem prodiit longe accuratior collectio Gratiani, cujus viri effigiem spectandam dedi Capite II. Num. XIII. Ejus Decretum in tres præcipue partes distribuitur, quarum prima complectitur distinctiones centum & unam, in canones seu capitula divisas. In his de varia Juris origine, partibus & speciebus differitur: item de iis, quæ ad Jura, dignitates, Gradus, Electiones, Ordinationes, & officia Personarum Ecclesiasticarum pertinent. Pars secunda continet triginta sex caussas seu controversias, quarum fere singulæ rursus in Quæstiones, & istæ in Canones & Capitula dispertiuntur, atque rerum Juridicarum, judiciorumque Ecclesiasticorum materiam pertractant. Tertia demum de Consecratione inscribitur, & distinctiones quinque cum priore canonum

n appendice numerat, ac totius Juris-
tionis & ministerii Ecclesiastici jura,
is, ordinationes &c. explicat. Totum
o opus quasi conflatur 1. e textibus
cripturæ. 2. e constitutionibus Apo-
icis, & Conciliorum Decretis. 3. e
ctionibus & dictis SS. Patrum. 4. e
tibus quibusdam juris Imperialis. 5. e
rationibus, quæ ex Historicorum, simi-
nque scriptorum monumentis desum-
sunt. 6. ex aliis quibusdam, quæ
tianus e penu sua depromta inse-
.

XXIV.

uanta autem sit auctoritas hujus De-
i, & an vim legis Ecclesiasticæ obti-
t, non levis est graves inter Doctores
Jurisperitos controversia. Qui pro
te affirmante stant, ajunt Decretum
ab Eugenio III. adprobatum, & in
olas Academicas, ut publice docere-
, introductum esse: præterea jussu
gorii XIII. a variis erroribus purga-
ac vulgatum fuisse præfixa Pontifi-
hujus epistola, in qua una cum re-
is libris illud adpellat Jus Canonicum;
*opportune providere volentes, ut hoc*
*Canonicum sic expurgatum ad omnes*
*ue Christi fideles sartum perveniat.*

Neque officere quidquam posse videtur, quin sit Authenticum, quod a Gratiano homine privato fuerit collectum quum etiam S. Raymundus de Pennafort *Decretales* Gregorii IX, & Trebonianus libros Institutionum Imperialium conscripserint ut privati Doctores, nec potestate ferendi legem præditi, quorum tamen libri absque controversia legis auctoritatem obtinent. Sed qui partem negantem sequuntur, asserunt exhiberi non posse ullam nec Eugenii III, nec alterius Pontificis Bullam, ut vocant, quæ Decreto huic vim legis publice adjudicarit, quamvis ob utilitatem ac præstantiam, qua gaudet, in scholarum cathedris explanetur: curam vero illam, quam Pontifex Gregorius XIII. aliique in se susceperunt, ut quam maxime correctum ac emendatum prodiret Gratiani Decretum, eo spectasse, ut Canones in illud relati, aliæque auctoritates, quæ ibidem adleguntur, suis fontibus & prototypis accurate responderent; cætera libros *Decretalium* ac Institutiones Justinianeas utique non ab illis, qui collegerunt, sed a Pontificis summi ac Imperatoris, quorum jussu compositi sunt, auctoritate ac potestate vim legis aquisivisse, ut ex Procemiis luce clarius adparet. Atque hæc sententia commu-

munior est, & hodie satis recepta inter Jurisperitos. Constat enim, multa in Decreto isto referri ex Conciliis Provincialibus, ex dictis SS. Patrum, ex jure civili, quæ omnia vim legis universe in Ecclesia non obtinent. Præterea vapulat Gratianus non parum primo apud Bellarminum (t), quod delectum Auctorum, e quibus decreta collegit, non habuerit, uti adductis quibusdam locis idem Bellarminus demonstrat: secundo reus agitur ab aliis scriptoribus, quod a Sigeberto Historiographo cæteroqui non ignobili, sed schismatis stigmate notato fabulam, cujus ille auctor est, de jure eligendi Pontificem Imperatori Carolo ab Hadriano Papa concesso in Decretum suum transtulerit: tertio quod similem aliam fabulam a schismaticis confictam Leonis VIII. nomine in gratiam Ottonis addiderit, ut in ipso Decreto legere est (u). Utramque more suo solidissime refutat Baronius (x), vehementer quidem a Goldasto impugnatus, sed strenue a Gretsero defensus (y). Fateri nihilominus

(t) *De Script. Eccles. ad an.* 1145. (u) *c. Hadrianus* 22. *& c. in Synodo* 23. *dist.* 63. (x) *ad an.* 774. *&* 964. (y) *in Apolog. Baronii, c.* 1.

nus oportet, magnam Decreto huic auctoritatem inesse, tantam scilicet, quanta competit fontibus illis, e quibus hoc derivatur. Quare quæ Gratianus refert e SS. Literis, auctoritatem habent divinam; quæ ex summorum Pontificum Constitutionibus, & Decretis Conciliorum, vim Juris Ecclesiastici sortiuntur; quæ e SS. Patribus adducit, magnam præ aliis Doctoribus merentur fidem, non tamen auctoritatem legis; quæ vero ipse addit propriam dicendo sententiam, judicium alterius gravis Jurisperiti non excedunt; quæ denique ex Constitutionibus Imperatorum & jure civili admiscet, in foro Ecclesiastico vim non habent nec robur, nisi quando juris Canonici defectus supplent, nec immunitati Ecclesiasticæ refragantur.

XXV.

Porro ad calcem Decreti a Gratiano editi referuntur Canones, quos *Pœnitentiales* dicunt, & post hos alii Canones Apostolorum. De utriusque breviter differere juvat. Sunt *Canones Pœnitentiales*, seu qui pœnas Ecclesiasticas pro diversis criminibus infligendas præscribunt, numero quadraginta septem. Fuerunt autem pœnæ istæ quædam privatim, aliæ publi-

iblice subeundæ priscis seculis pari
im rigore ac religione satis frequentes.
int, qui hunc pœnitentiam agendi mo-
m (quem Tertullianus vocat *humilifi-
ndi hominis disciplinam*) per duodecim
re secula viguisse in Ecclesia docent,
ıne aucta nunc imminuta severitate,
out tempora & delicta exigebant. Pa-
s illum describunt tanquam triste spe-
iculum, *quando apparebant rei conci-
iti, concinerati, ad omnium pedes pro-
'ati, omnium vestigia lambentes, om-
um genua detinentes, Dei & Ecclesiæ
isericordiam deprecantes.* S. Gregorius
ıavmaturgus describendo in suis Cano-
bus hunc ipsum antiquum pœnitendi
orem quatuor diversos pœnitentium
adus enumerat: primus scilicet erat
*letus* seu luctus, dum gravis noxæ reum
ttra templi portam stare, ac lugubri ha-
tu, & flebili voce intrantium opem im-
orare oportebat, ut ad impetrandam
isericordiam preces ad Deum & Eccle-
am funderent. Alter *Auditio* dicebatur,
ım pœnitens intra portam in ipsa por-
cu stare jubebatur non procul a Cathe-
ımenis; egredi vero, quando sacra scri-
tura legi, vel doctrina Christiana ex-
oni cœpit; si secus faceret, ejiciendus
ae spe precum obtinendarum. Tertius

Sub-

*Subjectio seu substratio*, quando intra templi portam stare quidem cum Catechumenis, non tamen egredi cum illis licebat. Quartus demum *Congregatio* seu *Consistentia*, dum pœnitenti una cum reliquis fidelibus in loco sacro consistere concedebatur. His gradibus velut pedetentim exantlatis denique Sacramentorum usui, & fidelium in precibus & bonis operibus communicationi restituebatur. Hæc primis illis aureisque Ecclesiæ seculis inter Christianos recenti religionis fervore calentes agebantur: mitius nonnihil in scelera sævitum est posterioribus, uti patet ex memoratis Canonibus quamvis & in his pœnitentia decem, duodecim, quadraginta annorum, immo & per totum vitæ tempus durans pro uno graviori crimine statuatur. Verum crescente fidelium numero, quum & pari velut passu peccatorum numerus cresceret, ac primus ille Christianorum fervor decresceret, usus quoque ac praxis pœnitentiæ istius sensim minui, ac demum vix non evanescere cœpit, ita ut jam de temporum suorum benignitate questus fuerit Pelagius Papa (z) scribens Florentino Episcopo denuncianti Clericum, qui cum ancilla scortatus est: *Et quamvis*

(z) *C. Fraternitatis* 7. *dist*. 34.

*vis multa sint, quæ in bujusmodi casibus observari Canonicæ jubeat sublimitatis auctoritas, tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram &c.* Hoc autem quod vivimus, tempore omnino antiquati & aboliti videri possunt. Et quamvis canones isti in Corpore Juris Canonici post Decretum Gratiani contineantur, nulla tamen auctoritate legis muniti sunt aut fuerunt, sed ut præfatio loquitur, illorum *notitia viris Ecclesiasticis est valde necessaria. Sunt enim quædam regulæ directivæ ad pænitentias delinquentibus imponendas.* Fuerunt equidem nonnulli, qui novissimis hisce temporibus, maxime in Gallia, nescio quo zelo, vel potius hypocrisis spiritu correpti, suscitare voluerunt hunc rigorem, quem antiquitus in pœnitentes exercuit Ecclesia; sed haud scio, quo animo illum ferrent isti, si propter gravissimam obstinationem, contemptum & irreverentiam Apostolicis mandatis & sanctionibus exhibitam, ac propter multiplices in rebus ad fidem & sanam doctrinam pertinentibus errores eodem rigore ac præscriptis pœnis in illos ipsos animadverteret Ecclesia.

Gra-

Gravior eſt controverſia circa Canones Apoſtolorum, ut vocantur. Satis equidem conſtat ex ipſis Actis Apoſtolorum, quod hi poſt glorioſum Chriſti in cœlos aſcenſum cœtus aliquot & ſynodos celebraverint, in quibus canones condiderunt, initio non ſtatim literis commendatos, ſed Traditionum inſtar in corde fidelium aſſervatos, quos tamen poſtmodum a Clemente Papa I. collectos atque conſcriptos fuiſſe, eſſeque hos ipſos, qui Gratiani decreto adpoſiti leguntur, atque ita omnino pro authenticis habendos contendunt ſatis concordi ſuffragio plurimi Juris Canonici Doctores. Sed ab his, quo minus genuinos agnoſcant, maximi nominis Critici vehementer diſcordant, præſertim quantum ad numerum horum Canonum adtinet. Quippe dum ſacri juris Periti 84 vel 85. legitimos agnoſcunt, Critici duntaxat 50 vel 52. e canonibus iſtis authenticos eſſe cenſent, ut Baronius & Bellarminus: Petrus de Marca vero Archiepiſcopus Pariſienſis, Antonius Pagius, & Ludovicus du Meſnil nec ab Apoſtolis eos manaſſe, nec a Clemente conſcriptos fuiſſe fidenter aſſerunt, gravibus omnino fundamentis nixi. Nam ſi, ajunt, Canones iſti forent vere Apoſtolici, graviſſima illa controverſia de tempore

pore Paschatis celebrandi, quæ inter Orientales & Occidentales Episcopos circa finem seculi secundi sub Victore Papa exorta est, quamprimum fuisset finita, exhibendo canonem septimum: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus sanctum diem Paschæ ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponitor.* Rursus ad terminandam famosam litem de baptismo hæreticorum, quæ seculo tertio excitata fuit ab Episcopis Africæ & Asiæ, Firmiliano Cæsariensi, & S. Cypriano contra Stephanum Papam, contendentibus illis, Baptismum ab hæreticis collatum nullum esse ac irritum; ad terminandam inquam litem illam non alia re opus fuisset, quam Canonem 45. in medium proferre: *Episcopum aut Presbyterum, qui hæreticorum baptisma aut sacrificium susceperit, deponi præcipimus. Quæ etenim conventio inter Christum & Belial, aut quæ particula fidei cum infideli?* & canonem 46. *Episcopus aut Presbyter, si eum, qui verum baptisma habeat, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitor.* Hæc porro, quæ nos Canones istos Apostolis abjudicare cogunt, antiquis scriptoribus, qui de illis meminerunt, atque ipsi Dionysio Exiguo primo eorum Editori suboluisse credimus, dum in sua ad

Stephanum Episcopum Salonitanum epistola ita scripsit: *In principio Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus.* S. Isidorus Hispalensis (a) & Hincmarus Rhemensis Episcopus (b) *Canones*, inquiunt, *qui vocantur Apostolorum, non ab ipsis Apostolis conscripti esse creduntur.* Photius etiam animadvertit, Canones istos *Apostolis adscribi.* Demum Fulgentius Ferrandus & Maximus Bracharensis in suis Canonum collectionibus illos neglexerunt, nulla omnino facta mentione. Quamvis autem Canones isti re ipsa Apostolici seu ab Apostolis conditi haud sint, antiquissimos tamen esse negari vix potest, quum jam Constantinus M. Canonis decimi tertii (c) mentionem fecerit, quo transitus ab uno Episcopatu ad alterum prohibetur, laudans propterea Eusebium, quod ab Episcopatu Cæsariensi ad Antiochenum, totius Asiæ Metropolitanum, ad quem fuerat electus, transire noluerit, & sic mandatum Domini & *Apostolicum Ecclesiæque Canonem* observaverit. Quapropter verosimilior esse videtur opinio illorum, qui Canones memoratos nec ab Apostolis traditos, nec a S. Clemente conscriptos, sed e diversis Conciliis ante Nicænum celebratis collectos

(a) *Apud Gratian. c. 1. dist. 16.* (b) *in opusc. 23. c. 24.* (c) *in ep. 2. ad Euseb. Cæsariens.*

ctos, & ex iis omnes quidem octoginta quatuor ab Ecclesia Orientali, a Romana vero quosdam, scilicet quinquaginta, receptos fuisse, atque ita vim legis obtinuisse arbitrantur. Certe ipse Gratianus (d): *Sciendum* ait, *quod Canonum Apostolorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia.* Eidem fato subjacent Constitutiones Apostolicæ, de quibus memini, quas ob easdem fere rationes Critici meliores ac Recentiores & ab Apostolis conditas & a Clemente scripto consignatas esse negant; & quamvis antiquæ admodum sint, valdeque utilia contineant, olimque puræ fuerint, postea tamen pluribus in locis ab hæreticis fuisse corruptas demonstrant Petrus de Marca, Ant. Augustinus, Baluzius, Albaspinæus, Alexander Natalis, Pagius, Annatus, du Mesnil, peritissimi in Canonicis & Conciliorum rebus Critici.

## §. III.

## *Decretalium Libri V.*

### XXVI.

Post Decretum a Gratiano compositum quamplurimæ *Constitutiones* & *Decretales epistolæ* emanarunt, præsertim post Con-

(d) *Dist.* 32. *Can.* 6.

Concilium Oecumenicum Lateranense III. sub Alexandro III. an. 1179. celebratum; quumque una ex parte a Gratiano multa fuerint omissa, ex altera vero vigilans & assidua sedis Apostolicæ cura novas quotidie pareret constitutiones editis in lucem epistolis & responsis Pontificum, aliis *Decretalium* collectionibus faciendis datum est initium. Primus erat, qui huic operi se se accingebat, Bernardus Balbus, Papiensis Præpositus primum, tum Episcopus, vir in Jure Ecclesiastico eruditissimus. Hic epistolas Decretales quorundam Pontificum, nec non diversos canones Conciliorum tam Generalium quam Provincialium perquam studiose collegit, atque in quinque libros distinxit. Opus illius ab Auctore *Breviarium Extravagantium*, id est, breve compendium *decisionum*, quæ extra corpus Decreti vagabantur; ab Hostiensi vero *prima Compilatio* adpellatum fuit.

Hunc secutus est Joannes Walensis seu Galensis, Volaterris in Tuscia natus, qui post annos duodecim secundam Decretalium collectionem edidit. Intervenere quidem primam inter & secundam aliæ Collectiones duæ Gilberti Abbatis, & Alani Episcopi Altissiodorensis, sed nunquam usu receptæ fuerunt.

Tem-

Tempore vero Innocentii III. Bernardus Archidiaconus Compostellanus Romæ degens aliud Decretalium volumen composuit, quod *Compilatio Romana* vocabatur: sed quia huic operi quædam inseruit, quæ Curiæ Romanæ minus probabantur, ejusdem Pontificis jussu Petrus Beneventanus tertiam collectionem condidit, publica adprobatione munitam.

Huic quarta successit, quam aliqui Magistro Galensi tribuunt, a quo decreta Pontificum, qui Innocentium præcesserant, velut e ruinis Collectionum Gilberti & Alani extracta fuisse memorant: alii vero Tancredo Bononiensi Archidiacono, Decretorum Magistro adscribunt. In hanc varii Canones Concilii Lateranensis IV. sub hoc Pontifice celebrati, pluresque illius epistolæ congestæ fuerunt: eam notis illustravit Joannes Teutonicus, & *quartam Compilationem* Innocentius III. nuncupari voluit.

Quinta ex epistolis Honorii III. quarum decem libros scripsit secundum seriem ac methodum aliarum collectionum, opera Innocentii Ciromii, Ecclesiæ Toletanæ *Cancellarii*, Viri in utraque palæstrá Juris exercitatissimi, confecta fuit.

Post hanc denique sexta prodiit in lucem ita jubente Gregorio IX. *His*, inquit Matthæus Parisiensis, *temporibus Gregorius IX. videns tædiosam Decretalium prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas solemniter per totius mundi latitudinem legi præcepit & publicari* (e). In hac expunctæ fuerunt aliæ quædam Constitutiones, aliæ vero recens additæ, præcipue quas ipse Gregorius edidit. Concinnavit eam S. Raymundus de Pennafort, Generalis postea Minister Ordinis Prædicat. sanctitate simul ac doctrina conspicuus, & intra octoginta plus minusve annos facta a diversis Pontificibus decreta complexus est. Vulgo *Decretales* Gregorii, quin & corpus Juris Canonici adpellatur opus istud, quod a se approbatum & publicæ luci datum an. 1230. idem Gregorius submisit Doctoribus, & Academiæ Bononiensis tunc florentissimæ scholas frequentantibus, ut publice prælegeretur. Exorsus est autem illud a Fidei Catholicæ professione ad normam Concilii Nicæni, & morem reliquorum. Quapropter necessarium haud erat, uti Wesembecius Juris Consultus heterodoxus mala fide criminatur,

(e) *In hist. Franciæ.*

tur (f), invocare Divinum Numen, quemadmodum alii Principes ab eo Constitutiones suas exordiuntur. Ita demum fuit completum Corpus Juris Canonici, quod quinque potissimum partibus constat, scilicet prima pars continet Decretum Gratiani supra memoratum: Secunda quinque libros istos Decretalium Gregorii IX. Tertia librum sextum Decretalium Bonifacii VIII. qui librum hunc a Viris doctissimis, præsertim opera Ricardi Petronii Card. & Dyni in Italia collectum reliquis quinque adjecit. Quarta Clementinas, sive Constitutiones a Clemente V. editas. Quinta Extravagantes Joannis XXII. & communes, sic dictas, quod antehac hæ Constitutiones extra Corpus Juris Ecclesiastici quasi incerta sede vagarentur; nunc autem, licet eidem insertæ sint, nomen tamen suum retinuerunt.

XXVII.

Jam vero horum quinque librorum Oeconomiam prodere juvat. Primus liber in titulos quadraginta tres divisus post jacta Juris Canonici fundamenta, expositaque principia ad Ordines, Gradus,

(f) *Thesi* I. *in princip.*

dus, Jurisdictiones, & Officia Magistratuum, qui Ecclesiastico regimini præsunt, transgreditur; tum viam sternit ad Judiciorum formam, præmittendo ea, quæ circa personas & res litigantium in ipso Judiciorum limine solent agitari, uti sunt *pacta*, *transactiones*, *postulationes*, *restitutiones*, & *arbitria*, quibus controversiæ ante litis ingressum pacis & amicitiæ conservandæ caussa non raro terminantur. In secundo libro, qui titulis triginta constat, totus judicii Ecclesiastici apparatus, ordo, progressus & exitus pertractatur præceptis utrique foro communibus, seu de civilibus negotiis seu de criminibus vindicandis agatur. Tertius liber quinquaginta titulis circumscriptus agit de vita Clericorum, eorumque Juribus & reliquis officiis, quibus obstringuntur tum ratione *Beneficiorum* Ecclesiasticorum, tum ratione communium cum Laicis *obligationum*, quæ e pactionibus, testamentis, sacrorum usu & jure sepulturæ oriri solent. Quartus liber, qui titulos viginti & unum numerat, totus occupatur in rebus, quæ ad sponsiones de nuptiis, ipsaque matrimonia, & his annexa officia pertinent. Quintus denique liber, qui titulis quadraginta & uno absolvitur,

caussas

caussas complectitur ad criminum vindictam spectantes, agitque late de accusationibus, deque ipsorum criminum ac poenarum diversa ratione. Synopsin omnium, quæ in his quinque libris exponuntur, antiquus versiculus brevissime complectitur:

*Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia,*
*Crimen,*

id quod nonnihil latius explicant alii quinque:

*Pars prior officia creat, Ecclesiæque*
*ministros,*
*Altera dat testes & cætera judiciorum.*
*Tertia de rebus & vita presbyterorum.*
*Nubendi formam dat sponsis quarta*
*decentem,*
*Ultima de vitiis & poenis tractat*
*eorum.*

Demum horum quinque librorum, & quos continet, textuum vis & auctoritas juris, qua pollent, in dubium vocari nequit. Hanc enim plenam illis attribuit

buit ipse, cujus jussu conscripti sunt, summus Pontifex Gregorius IX. ad quod faciendum ei nec potestas nec voluntas defuit: non potestas, quum tanquam legitime electus Papa eam a Christo supremo Ecclesiæ Capite D. Petro ejusque successoribus collatam hæreditario velut jure obtinuerit, extendentem se super universam Ecclesiam, omnesque illius oves, ad quas pascendas regendasque constitutus est. Non voluntas, utpote quam memoratus Pontifex in epistola Decretalium volumini præfixa satis declaravit, quum ait: *Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in Judiciis, & in scholis, districtius probibemus, ne quis præsumat aliam facere absque auctoritate sedis Apostolicæ speciali.* Ex quibus verbis patet, quod non solum ea, quæ in Decretalibus continentur, doctrinæ in scholis tradendæ, verum etiam rerum in Judiciis agendarum regulam ac normam esse voluerit, præcipue dum hos quinque libros corpori Juris Ecclesiastici inseruit, & in Ecclesia universa observari præcepit.

§. IV.

## §. IV.

### *Decretalium Liber VI. Clementinæ, ac Extravagantes.*

XXVIII.

Tertium Juris Canonici volumen constituit inprimis liber VI. Decretalium. Quum enim priorum Pontificum decretis & sanctionibus novæ semper sequentium constitutiones succedere soleant, quibus pro rerum & temporum varietate ac usu aliqua supplentur, alia emendantur, alia declarantur, ex eorum cumulo accrescente Bonifacius VIII. qui in locum Cœlestini Pontificiæ dignitati renunciantis suffectus est, anno 1294. vel ut quidam tradunt, an. 1300. hunc sextum librum confici jussit. Comprehendit autem partim Decretales posteriorum Pontificum epistolas, scilicet Innocentii IV. Clementis IV. Gregorii X. &c. immo ipsius quoque Gregorii IX. recentiores aliquas: partim & præcipue decreta e Conciliis Lugdunensibus primo & secundo desumta. Ordo idem, qui in libris quinque Decretalium, etiam in hoc sexto observatur, ita ut in plures libros, titulos, capita & paragraphos sit divisus, libros scilicet

quinque & titulos septuaginta septem. Ad eum conficiendum usus est Bonifacius opera Guilielmi de Mandagoto Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Fredelli, vel ut alii nuncupant Stredelii, Episcopi Bitterrensis, & Richardi de Senis, postmodum Cardinalis Diaconi S. Eustachii.

Sequuntur Clementinæ seu Constitutiones, quas quidem tum e Canonibus Concilii Viennensis circa annum 1311. tum e suis, quas edidit, colligendas curavit Clemens V. sed morte præventus cœptum opus absolvere nequiit; cui tamen perficiendo postea manum admovit successor illius Joannes XXII. illudque anno 1317. auctoritate Apostolica munitum promulgari jussit. Dividuntur Clementinæ in quinque libros, titulos quinquaginta duos, & capitula instar Decretalium.

Mon multo post idem Joannes XXII. quem ex obscuris parentum opificum natalibus velut extractum eximia virtus & doctrina per diversos Episcopi, Archiepiscopi, Cardinalis gradus ad supremæ demum dignitatis apicem evexit, viginti Constitutiones in 14. titulos distinctas publici juris fecit. Eo autem fatis erepto variæ aliæ per annos facile

cen-

centum & quinquaginta sequentium Pontificum constitutiones, quum antea incerta sede vagarentur, fuerunt collectæ ac promulgatæ, ita ut priores, quarum auctor memoratus Pontifex, *Extravagantes Joannis XXII.* posteriores autem aliorum plurium Pontificum *Extravagantes Communes* nuncuparentur.

Omnes vero tres istæ tertii voluminis partes recensitæ plenum robur & auctoritatem, vimque legis tum in foro tum in scholis communibus Jurisperitorum suffragiis obtinent. Nam sextus liber Decretalium a Concilio Lugdunensi, Extravagantes vero Joannis XXII. ab auctore suo Pontifice fuerunt approbatæ: Communes autem, licet non fuerint auctoritate Apostolica collectæ, eadem tamen in publicam lucem editæ, ac trium seculorum pacifica possessione sunt munitæ.

Ex tribus igitur veluti membris, ut vidimus, nimirum totidem voluminibus, quorum primus Decretum Gratiani, alter quinque Decretalium libros, tertius librum VI. Clementinas & Extravagantes complectitur, ex his inquam tribus veluti membris totum vastumque Juris Ecclesiastici seu Canonici Corpus componitur. Equidem in recentioribus ejusdem

dem editionibus liber VII. Decretalium, & Institutiones Lancelloti adjiciuntur. Libri hujus VII. auctor est Petrus Matthaei Juris Consultus Lugdunensis, in quem *Bullas* quasdam, ut vocant, & Constitutiones posteriorum Pontificum congessit, & secundum ordinem quinque librorum Decretalium distribuit, additis quibusdam titulis novis *de Cardinalibus*, *de Insulis novi orbis*, *de Annatis &c.* Alium librum VII. Decretalium condere coeperant curis Gregorii XIII. Flavius Ursinus, Franciscus Alciatus, & Antonius Caraffa Cardinales, & post Gregorium vita functum Pinellus Aldobrandinus & Matthaeus Columna item Praesules Purpurati: verum licet accuratione summa opus hoc perfectum fuerit anno 1598. jam jam in lucem edendum, mota quaestione, an liceret Jurisperitis quemadmodum in alios Juris Canonici libros, ita & in decreta Concilii Tridentini, quorum plurima libro huic inserta fuerunt, commentari, id quod a Pio IV. sub gravissimis censuris est prohibitum, mota inquam hac quaestione totum opus tantis laboribus & vigiliis lucubratum, tantisque votis ab orbe literato expetitum, est suppressum. Institutiones vero Juris Canonici a Joanne Paulo Lancel-

loto

loto Jurisconsulto Perusino, qui an. 1591. octogenarius obiit, in ipsa Romana Aul. conscriptæ, & in quatuor libros ad exemplum Institutionum Imperialium, variosque titulos divisæ, ac locupletissimo summorum virorum testimonio comprobatæ fuerunt; sed quum nec his, nec libro VII. memorato ullius Pontificis auctoritas accesserit, vim quoque legis in foro Juridico nunquam obtinuerunt.

Jam vero Jus Ecclesiasticum seu Canonicum hucusque expositum præstantissimos Auctores scriptoresque longa serie numerat, e quibus sane plurimis magis nominatos heic prodere juvat. Alexander III. & Honorius III. PP. primam colligendis Epistolis *Decretalibus* manum admoverunt, quod demum grande Opus in quinque libros distributum perfecit Gregorius IX . . . Bonifacius vero VIII. diu in Curia versatus, & doctrina experientiaque insignis sextum librum adjecit. . . . Usi sunt Pontifices isti laborum sociis doctissimis Viris, suo loco jam laudatis. . . . Nicolaus Tudescus, alio nomine Panormitanus, vel Abbas, ob singularem elequentiam & exquisitam juris peritiam omnibus admirationi fuit. Docuit jus Canonicum in schola Senensi ac Parmensi, postea causarum in Rota Ro-

mana

mana Auditor, tum Abbas Monacensis O. S. B. demum Archiepiscopus & Cardinalis: scripsit commentarios in jus Canonicum, & librum de potestate Pontificis, Imperatoris, & Concilii . . . Martinus Aspilcueta Navarrus, qui præter moralis ac Theologiæ Scholasticæ scientiam divini humanique Juris expertissimus erat, & insigne opus illud Consiliorum ac Responsionum post se reliquit.... Augustinus Barbosa, qui de jure Ecclesiastico & officiis Ecclesiasticorum plurima & doctissima scripsit. . . . Hostiensis Cardinalis, vir præstantissimæ in utroque Jure scientiæ . . . Card. Tuscus, novem Tomis Conclusionum. practicarum inclytus . . . . Henricus Zoesius J. U. Doctor, Prosper Fagnanus, Decius, Hieronymus Nicolius, Cajetanus Felix Veranus, & novissime Petrus Antonius Danieli J.C. Romanus, qui in Jus Canonicum universum, partim etiam in Civile commentati sunt . . . Jacobus Pignatellius, de Petra, Card. de Luca, Jacobus Menochius, Thomas Sanchezius, qui consultationibus & consiliis juridicis in lucem editis celebres sunt. . . . Gonzalez splendidum Juris Canonici adparatum adornavit . . . Henricus Wagnereck, Emricus Pirrhingius, Jacobus Wiestnerus,

erus, Franc. Schmalzgrueber, Vitus Pihlerus, Ferdin. Krimerus, Franciscus hœbeus, omnes e Societate Jesu. . . . rancisсus Schmierius & Ludovicus Engelius O. S. B. celebres Juris Canonici rofessores Salisburgi, & Anacletus Reifenstuelius Ord. S. Francisci, recentiore nethodo clara, & docta jus Canonicum iniversum, uti hodie traditur, illustrarunt, ut nihil in hoc studii genere desiderari posse videatur: quod ipsum in liquas Juris Canonici partes insigni cum aude præstiterunt Paulus Laymannus commentatione in tres libros Decretalium & Antonius Söllius S. J. lucubrationibus doctissimis de Legibus, de Judiciis, de Tributis, de Decimis & Novalibus de immunitate Ecclesiastica, Josephus Binnerus S. J. *Apparatu eruditionis ad Jurisprudentiam, præcipue Ecclesiasticam*, eruditissimo opere quatuor voluminibus constante. Alegambe & Sotvellus in Bibliotheca scriptorum Societatis ad sua usque tempora numerant quadraginta, qui de Conciliis, Jure Canonico, & Decretis Pontificum scripsere: sed horum longe plures post illud ævum fuere.

CAPUT

# CAPUT VI.

## JUS HUMANUM POLITICUM SEU CIVILE.

### XXIX.

*Procemium.*

Hominem a Deo optimo Maximo ad societatem & in hac mortali vita, & in altera semper duratura conditum fuisse res est adeo manifesta, & intime nota cuivis hominum, ut qui dubitare velit, ex hac ipsa societate humana exeat necesse sit. Ad istam vero conservandam, promovendamque naturæ Auctor indidit hominibus pignus quoddam æque pretiosum ac potens, nimirum propensam ad officia voluntatem, seu mutuam erga se *benevolentiam*; quæ fortissimum Societatis hujus vinculum esset, & re ipsa fuisset futurum, si non per naturæ ob peccatum originis corruptæ vitium nimis cito ex animis mortalium evanuisset, converso in se duntaxat, suasque utilitates nobilissimo hoc benevolentiæ dono, quod quisque in alios profundere debuisset. Profecto hac ratione primas illas nascen-

entis mundi colonias amplasque fa-
as, ubi nullus adhuc litium, judicio-
nullus strepitus audiebatur, fuisse
inistratas merito creditur, dum mu-
officiis & se & alios conservandi
regnabat, quemadmodum in fami-
*Filiorum Dei* nuncupata, scilicet Se-
Noemi, Abrahami contigisse admo-
i est verosimile. Hac vero sensim
ata necesse fuit, ne vix nata Socie-
periret, ut *benevolentiæ Justitia* suc-
eret, quæ a communi hominum re-
lica quodvis injuriæ genus pro virili
eret. Ut autem & hoc cœli munus
denuo vel ignorantia extingueretur,
pravis corrumperetur adfectionibus,
vidit Deus de Viris probis & sapien-
s, quorum cæteri veneratione ducti
*mitatem* illam, quam isti censuissent,
plecterentur. Cujus rei exemplum
rt S. Scriptura (g). Nam multipli-
Abrahami & Lot ejus Nepotis fa-
ia, auctaque plurimum re familiari,
ut una utrique capiendæ regio non
iceret, ac propterea lites orirentur non
domestici belli periculo, res tota ad
uitatis normam ab Abrahamo decisa
t, dicente ad Lot: *Ne quæso sit jur-
gium*

(g) *Genes.* 13.

*gium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede a me obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Acquievit quam primum æquissimo Abrahami pronunciato utraque familia, & Abrahami sententia in rem judicatam transiit. *Abraham habitavit in terra Chanaan: Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.* Postquam autem nec iste lites amice componendi modus hominum cupiditati atque lubidini satisfaceret, præsertim majoribus communitatibus seu civitatibus constitutis, demum Legislatores communi consensu in medium prodierunt, uti Phoronus in Græcia, Trismegistus in Ægypto, Solon Athenis, Lycurgus apud Lacedæmonas, Numa Pompilius Romæ, qui certas condiderunt leges, quibus quod æquum & bonum, statuebatur ac confirmabatur. Hinc jus finitur *Ars boni & æqui.* Nihil enim iniquius, quam leges quæ per æquum & bonum non teguntur. Patet igitur, qua ratione veluti per gradus in societate humana a benevolentia ad justitiam, ab hac ad æqui & boni æstimationem perventum fuerit.

XXX.

XXX.

Ut autem humana societas sarta tectaque servaretur, veteres totam Juris œconomiam in tres veluti partes accurate non minus quam ingeniose diviserunt, quarum prima complectebatur *vincula societatis* ut vocabant, scilicet jura personarum, rerum & actionum: secunda *Casus*: tertia *remedia*. Ad primam quod adtinet, jus personarum est potestas personæ in personam, vi cujus una præest, diciturque sui juris, altera subest, atque ita est juris alieni. Ad hoc juris genus spectat potestas mariti supra uxorem, & patria supra liberos: Tutorum supra impuberes pupillos, & Curatorum supra puberes: denique potestas Magistratus in subditos. Jus vero rerum in potestate, quam persona quæpiam in rem aliquam obtinet, positum est, idque vel titulo dominii, quemadmodum in res sibi proprias: vel possessionis, quando quis rebus alienis utitur salva earundem substantia: vel servitutis, quum persona vel res alteri obstricta est, ita ut ex ea aut fructum percipere, aut aliquid circa eam impedire possit, uti est jus stillicidii, luminis, tigni immittendi, itineris per prædium &c. Denique jus actionum, quod oritur vel ex *conventione*, quando

duo vel plures consentiunt in aliquid dandum vel faciendum, seque obligant ad illud præstandum, uti fit in *stipulatione*, *pollicitatione*, & quocunque pacto vel *contractu*, vel ex delicto, quo admisso pœnæ infligendæ jus nascitur.

Ad secundam pertinent Casus ii, qui ad dissolvendam vel labefactandam societatem humanam tendunt, quod contingit, si quis invadat alienum jus, aut deserat proprium, vel violet *contractus*, quorum summa est, ut cum Jurisperitis loquar: *do ut des*, *facio ut facias*, aut *do ut facias*, *facio ut des*. Ex triplici enim hoc casu omnes in communitate scaturiunt

Tertia demum pars remedia comprehendit, uti *possessionis*, *alienationis*, *nullitatis &c.* quibus omnia suum in locum restituuntur secundum Juris præscriptum, quod præterea est vel *Municipale* seu cujusque civitatis: *Provinciale* cuique provinciæ proprium: *Prætorium* seu *Honorarium*, quo Prætor corrigit vel supplet aliqua in Jure Civili, utilitati publicæ caussa: vel *Jus publicum* quod ad rei communis bonum, & *Privatum*, quod ad singulorum commodum spectat: *Jus Singulare*, quod contra communem Statutorum ordinem æquitatis naturalis gratia

tia est introductum, & *Privilegium* vocatur: vel *Jus consuetudinis*, quod vetustas publica adprobatione in morem perduxit: *Jus summum* seu strictum & apex juris, quod inflecti nequit: *Jus æquitatis*, quod est humanior & benignior juris interpretatio. Atque tres hæ partes, scilicet vincula, casus, & remedia, sunt velut elementa & cardines, intra quos tam sacrum & Ecclesiasticum, quam profanum & Politicum jus volvitur. Utrumque enim ad societatem humanam constituendam, bene gubernandam, ac conservandam tendit, illud præfigendo sibi finem supra naturam positum & felicitatem sempiternam, hoc pacem & tranquillitatem præsentis vitæ; quamvis minime negandum sit, Jus quoque Politicum, ipsasque leges civiles in Republica Christiana ordinari posse, optimeque ordinari ad altiorem finem, nempe ad bonum æternæ felicitatis. Nam ut ait S. Augustinus (h) de Imperatoribus Christianis: *Felices eos dicimus, si juste imperent. . . . Si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciant . . . & si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem feli-*

(h) *Lib.* 5. *de Civit. Dei.*

*felicitatis æternæ.* Non enim vivimus tempora Gentilium, aut veteris Reipublicæ Romanæ, cujus leges omnes erant de iis, quæ ad pecuniam, lucrum, & dominationem pertinebant, nullum vero caput de morum compositione, de animo ad virtutem formando, quum tamen tam multa ea de re in legibus Lycurgi & Solonis, unde sumtæ fuerunt duodecim Tabulæ, fuerint sapientissime præscripta: Neque Imperatorum Ethnicorum, qui vel ipsi leges tulerunt unice ad fovenvendam avaritiam suam, & ambitionem satiandam, vel iis adulandi studio sanxerunt Senatus & Magistratus usque ad divinitatis communicationem: Neque Tyranorum, qui leges sanguine scripserunt, quemadmodum de Dracone Atheniensi Solon dixit, omnia pœnarum timore atque sævitie a subditis extorquentes. Christiana vivimus tempora, ubi futurorum spe bonorum præsentium studia nitantur ac temperentur necessum est. Ad hoc autem vel maxime opus est, ut Jus Politicum nihil statuat, quod a fine supernaturali subditos abducat, quod cultui divino, & tum Evangelicis, tum S. Matris Ecclesiæ præceptis adversetur, quod Christianos mores, veræque virtutis culturam pessumdet. Nimis enim arctum inter-

intercedit vinculum inter felicitatem alterius, & hujus vitæ, ita ut si illa negligatur aut posthabeatur, etiam ut plurimum ista pessum eat. Si omnes ævi Christiani Annales perlustrare velimus, facile deprehendemus, nihil magis pacem, tranquillitatem ac felicitatem rerum publicarum, regnorum, ipsiusque Romani Imperii turbasse ac profligasse, quam religionis & justitiæ neglectum, Ecclesiasticæ potestatis violationem, corruptelam morum, & Imperii ac Sacerdotii dissidium. Cujus rei licet adeo manifesta sint exempla, malumus tamen pessimis imbuti principiis, & aurium tenus caducis hujus vitæ bonis immersi temporariæ felicitati contra jus & fas inhiando & hanc, & sempiternam illam perdere. Verum nunc ad singulas Juris Politici seu Civilis partes penitius inspiciendas nos convertamus, quales sunt præcipuæ: *Codex Justinianeus*, *Pandectæ* seu *Digesta*, *Institutiones*, & *Novellæ* seu *Authenticæ*.

## §. I.
## *Codex Justiniani.*
### XXXI.

Primus labor, quem Justinianus Imperator ad integrum Juris corpus condendum suscepit, fuit omnes Imperatorum

priorum constitutiones sacratissimas, quas jam antea veluti vagas atque dispersas Gregorius & Hermogenes Jurisconsulti privato studio, Theodosius vero Junior publica auctoritate in peculiares codices tam vastos quam ordinis expertes conjecerant, omnes inquam in unum codicem colligere, ita ut truncatis superfluarum, similium, vel contradicentium rerum loliis ac spinis luculenter omnia inter se consonarent; id quod etiam immensis laboribus & curis potissimum Triboniani, Quaestoris sacri Palatii, atque Theophili, aliorumque Juris Consultorum perfecit, suoque Codicem illum nomine, scilicet *Justinianeum* insignivit, ediditque A.C. 529. VII. Idus April. anno Imperii Tertio. Confectus autem fuit a Decemviris huic operi praefectis intra anni unius spatium, & abolitis prioribus tot voluminibus in Foro vim obtinere jussus. Verum Codex iste, qui ante omnes alios libros, quos posteritati reliquit Justinianus, in lucem prodiit, ad nostra usque tempora non pervenit. Nam triennio illo, quo alterum Pandectarum opus moliebatur, varias prout reipublicae utilitas postulare videbatur, Constitutiones idem Imperator edidit, & praecipuas Veterum Juris Consultorum controversias quinquaginta

*Deci-*

*Decisionibus* definivit; qua re factum est, ut non pauca prædicto in Codice immutata, correcta, abrogataque fuerint, quæ rursus extra corpus Juris Justinianei vagabantur. Quare providentia Imperatoris exigente, ut tam novæ *Constitutiones*, quam *Decisiones* prioribus adgregarentur, ne imperfectum quid relinqueret, primum Codicem a Triboniano aliisque quatuorviris sapientissimis emendari, & quibusdam rejectis, aliis additis locupletari, atque secundis curis in lucem dari mandavit anno 534. XVI. Kalend. Decembr. imposito huic novo Codici *repetitæ lectionis* nomine: cujus rei rationem ipse dedit in sua *de emendatione Codicis* Constitutione: *quoniam secundæ editiones a Priscis repetitæ lectiones adpellari consueverint.* Duo ingentia hoc Codice beneficia Jurispudentiæ præstitit Justinianus: primo quidem, quod Constitutionum Imperatoriarum ab Hadriano ad sua usque tempora veluti medullam singulis titulis secundum ætatis seriem, qua Cæsares Imperii fasces moderati sunt, distinctam hoc Opere suo complexus fuerit, tum quod quinquaginta *Decisiones* suas, de quibus dixi, eidem inseruerit. Accidit enim non multo post latas XII. Tabularum leges, ut Jurisconsulti, quibus eas

explicandi ac reſpondendi cura commiſſa fuit, in contrarias partes abierint, ita ut aliter Bruto, aliter Scævolæ, Servio aliter placuerit, uti Tullius animadvertit; quin eo res pervenit, ut ſub Auguſto Imperatore & ſequentibus temporibus latius ſemper ſe diffundente opinionum & ſententiarum divortio reſonaret Forum & Curia perpetuis Jurisconſultorum diſcordiis, utpote qui duas in ſectas ſe diviſerunt, quarum primæ caput erat Atteius Capito, alterius Antiſtius Labeo, Viri potentes ingenio, ſed indole & moribus multum diſſimiles: illo Aulicis officiis obnoxio & honorum adpetente, iſto ſtoicam adfectante ſeveritatem, & avitæ libertatis vindice: uterque magnam ſectatorum appendicem poſt ſe traxit. Neque æſtus hic Jurisconſultorum aperta fronte diſſentientium remiſit usque ad Antonini Pii tempora, quibus aliud hominum horum genus ſurrexit, qui mitiore indole præditi media inter opiniones contrarias via inceſſere, dicti *Erciſcundi* vel *Miſcelliones*. Juſtinianus denique hiſce velitationibus finem, & vitiligiatoribus ſilentium impoſuit, dum poſt primi Codicis editionem usque ad annum 532. quinquaginta *Deciſiones* promulgavit, ac in poſteriorem ſuum Codicem referri juſſit;

qua

qua de re Imperator ipse (i) ita loquitur: *Dedititios quidem per Constitutionem nostram expulimus, quam promulgavimus inter nostras Decisiones, per quas suggerente nobis Triboniano Viro Excelso, Quæstore nostro, Juris antiqui altercationes placavimus.* Circumscribitur autem totum Opus Codicis posterioris duodecim libris ad imitationem XII. Tabularum, quorum tamen ultimi tres longe post novem primos compositi fuerunt. Liber primus agit *de Jure sacro, Legibus, Rescriptis, & Magistratibus.* Secundus de iis, quæ ad *judicialia*, ad *restitutionem in integrum, ad satis dandum, ad juramentum calumniæ* pertinent. Tertius *de Judiciis, de vindicationibus, de damno, de actionibus agit.* Quartus *de condictionibus, obligationibus.* Quintus *de sponsalibus & aliis juribus maritum inter & uxorem: de Tutelis, ac Curationibus.* Sextus *de Servis & libertis, de bonorum possessionibus, ultimis voluntatibus, & successionibus legitimis.* Septimus *de manumissionibus, præscriptionibus, & usucapionibus, de sententiis & appellationibus.* Octavus *de interdictis, pignoribus, exceptionibus, stipulationibus, de patria potestate, consuetudine, donationibus.* Nonus *de judiciis publicis, &* cri-

(i) §. 3. *Inst. de Libert.*

*criminibus.* Decimus *de jure fiſci, & municipali.* Undecimus *de univerſitatibus & cenſibus.* Duodecimus *de dignitatibus, & diverſis officiis.*

§. II.

*Pandectæ ſeu Digeſta.*

XXXII.

Abſoluto Codice aliud Opus, & priore grandius eſt molitus Princeps hic immortali gloria dignus. Quum enim, ut erat ſagaciſſimi ingenii, vidiſſet veterum Juriſconſultorum volumina, e quibus oracula juris petebantur, ad eum aſcendiſſe numerum, ut iis pervolvendis (quod tamen neceſſarium erat ad cauſas decidendas) nulla hominum ætas ſufficeret, anno Imperii ſui quarto laborem hunc aggreſſus eſt, humanis viribus vix non ſuperiorem. Erant enim duo librorum millia, & in his trecenta millia verſuum ſive ſententiarum, quibus omnes Romanorum ſanctiones ab urbe condita usque ad Juſtiniani tempora continebantur. Curam vero huic operi perficiendo commiſit rurſus Triboniano, cujus felix ingenium, acre judicium, & indefeſſum ſtudium ſatis ſuperque perſpe-

ctum

ctum habebat, destinato ad laborem integro decennio. At Tribonianus adjunctis sibi sedecim aliis majorum gentium Jurisperitis, ac in ipso Cæsaris palatio Constantinopoli congregatis, intra triennii spatium totum absolvit negotium, hac quidem ratione: Illis, quæ absoleta jam erant, aut superflua & inutilia forent, rejectis atque expunctis, necessaria solum atque utilia collegerunt: tum quæ obscura implicataque videbantur, dilucide ac sine ambagibus aut explicarunt, aut commode sunt interpretati: porro ut sententiæ veterum Jurisconsultorum, quibus auctoritatem conscribendi leges suas ac interpretandi Principes Antecessores indulserunt, ordine ac sensu cohærerent, operam dabant: demum singulis legibus illius Jurisconsulti, e cujus scriptis lex depromta fuit, nomen præfixere. Ita confectum Opus nomen obtinuit *Pandectarum* & *Digestorum*: prius quidem ratione materiæ a græco πᾶν *omne*, & δέχομαι *capio*, quoniam omnes Disputationes *decisionesque* legitimas undique collectas, vel potius earum nucleum intra sinum suum continebat, unde *jus enucleatum*: alterum vero ratione formæ, quum antiquis sanctionibus & responsis in unum volumen collectis,

non

non temere ac confuse sed certo ordine in titulos, & his in leges; & legibus in paragraphos distributis cuncta probe digesta fuerunt. Atque sic oblatum a Triboniano lectissimum Pandectarum corpus, sententiarum gravitate, prudentia, antiquitatis eruditione, ac legum æquitate plenum, Justinianus publici juris fecit A. C. 533. VIII. Kal. Januarii, auctoritate vero Imperatoria eodem an. III. Kal. Janu. corroboravit.

Equidem duo illa voluminum priscorum millia, e quibus confecta fuerunt Digesta, in quinquaginta libros, quibus modo constant, contracta fuerunt. Sed Jurisperiti non tam ad istorum librorum numerum, quam ad septem Tractatus seu partes in divisione Digestorum attendunt. Harum prima inscribitur τὰ πρῶτα, quibus verbis significantur juris ac judiciorum primordia, quæ quatuor libris explicantur. Secunda doctrinam proponit de judiciis tam universim quam peculiariter spectatis, absolviturque septem libris a quinto usque ad duodecimum. Tertia diversis *contractuum* speciebus occupatur, numeratque libros octo. Quarta agit de Hypothecis, Emtionibus, Locationibus, usuris, probationibus, nuptiis atque tutelis; & *umbilicus*

*cus* Pandectarum vocatur, estque octo libris circumscripta. Quinta, quæ de Testamentis inscribitur, & continet explicationem ultimarum voluntatum, successionem, & legitimam libris novem. Sexta de bonorum possessione, interdictis, actionibus & exceptionibus tractat, & libros septem complectitur. Septima demum doctrinam de verborum *obligatione*, deque delictis tam privatis quam publicis comprehendit quinque libris. Porro aliam post restauratum in Italia Jurisprudentiæ studium partitionem machinatus est Bulgarus J. C. uti vulgo creditur, quo Auctore Digesta in tria volumina distribuuntur, quorum primo nomen Veteris Digesti viginti quatuor libros comprehendentis imposuit: Alterum Jus *Infortiatum* adpellat, quia multas fortes leges in se continet, eique quatuordecim libros tribuit. Tertium Digestum novum nuncupat, reliquis ad finem usque libris conclusum. Verum hæc partitio, quemadmodum ævo illo eam ut novam plures scholæ ambabus manibus fuerant amplexatæ, ita hodie parum recepta est, antiqua illa Justinianea in pristinam sedem restituta.

§. III.

## §. III.

## *Institutiones.*

### XXXIII.

Hæ ab instituendo sic dictæ aliud non sunt, quam prima totius Juris scientiæ elementa. Quippe Justinianus Codice in lucem emisso, ac Digestis jam jam compositis, ut ad gravioris momenti studia hæc, & Jurisprudentiæ arcana viam sterneret, ejusque alumnis planiorem commodioremque redderet, primá legum principia & velut Juris primitias, e diversis ac sincerissimis fontibus in compendium colligi jussit, constitutis ad hoc negotium peculiari mandato Viris Eximiis Triboniano, Dorotheo, ac Theophilo, quorum incredibilem solertiam summis Imperator ipse laudibus extollit (k). Fontes autem, e quibus hi Triumviri quasi succum totius doctrinæ hauserunt, fuere primo quidem Commentarii doctissimi Veteris Jurisconsulti Gaii, cujus Viri lucubrationibus adeo delectabatur Justinianus, ut eum licet ævo priorem *suum* adpellare non dubitaverit: Tum oracula e Romanorum legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis ac Respon-

(k) §. 3. *Inst. Proœm.*

Responsis Prudentum jam ante Digestorum libris inserta: Demum & Antecedentium Principum, & vel maxime ipsius Justiniani Constitutiones & Decisiones, quarum ingens in Institutionum volumine numerus recensetur. His igitur e fontibus prodiere Institutiones, de quibus loquimur, tanquam Epitome totius Juris Civilis, in quo breviter, dilucide ac justa ratione comprehenditur, quidquid ad cognitionem eorum, quæ in universo Corpore Juris copiosissime tradita sunt, pertinere videtur. Quamvis autem primum post Pandectarum Opus jam absolutum fuerint compositæ, nihilominus fere uno mense prius quam Digesta, nimirum an. 533. 21. Novembris promulgatas esse satis constat, ita ut compositionis tempore posteriores Pandectis, promulgationis vero priores his merito dici queant. Illud tamen fateri oportet, & Institutiones & Digesta non nisi III. Kalend. Januarii seu 30. Decembris plenam obligandi vim ex auctoritate Imperatoria obtinuisse. Totum opus quatuor libris absolvitur: Primus tractat de jure universim ac de personis, numeratque titulos 26. Secundus usque ad libri tertii Titulum decimum quartum de rebus & rerum dominio. Tertius

tius a titulo decimo quarto usque ad titulum sextum libri quarti de *obligationibus*, quæ ex *contractibus* vel quasi *contractibus*, ex delictis vel quasi delictis descendunt. Quartus a titulo sexto ad decimum sextum de actionibus, & tribus postremis de judiciis, ita ut universim titulos 99. totum opus Institutionum complectatur. Ipsi vero tituli rursum in *Rubricas* (ita dictas, quod inscriptiones cocco vel minio factæ fuerint, canente Juvenali *Satyr.* 14. *Perlege rubras majorum leges*) & in paragraphos dividuntur. Singularis autem prærogativa & proprium decus hujus Institutionum voluminis est, quod quum Pandectarum & Codicis opus post fata Justiniani sive per invidiam, sive per æmulationem a sequentibus Imperatoribus in varias formas pro cujusque libidine velut coctum atque recoctum fuerit, istud nullo quod passum esset vitio, in pristino natalium suorum splendore intactum ad nos usque pervenerit.

§. IV.

## §. IV.
## *Novellæ seu Authenticæ.*

### XXXIV.

Harum nomine veniunt Constitutiones, quæ post Codicem repetitæ Lectionis conditæ editæque, ac tanquam novellæ plantæ reliquo corpori Juris insertæ fuerunt. Maluit enim Justinianus Imp. in aliud separate volumen novas Constitutiones has transferri, quam toties faciem Codicis aliis atque aliis quotidie adjectis immutari, quemadmodum ipse indicat sequentibus verbis (1): „ Nulla alia extra corpus ejusdem Co„ dicis constitutione legenda, nisi postea „ varia rerum natura aliquid novi crea„ verit, quod nostra sanctione indigeat. „ Hoc etenim nemini dubium est, quin „ si imposterum melius invenietur, & „ ad Constitutionem necessario sit redi„ gendum, hoc a nobis & constituatur, „ & in aliam Congregationem confera„ tur, quæ Novellarum nomine Consti„ tutionum significetur.„ Quoniam vero novæ Constitutiones istæ a Justiniano conditæ jus ante promulgatum vel supplent, vel corrigunt vel confirmant, vel sub-

(1) *De emend. Codic.*

subinde novum constituunt, etiam *Jus postremum* seu *Novissimum* nuncupantur. Fere omnes illarum græce fuerunt conscriptæ dictæque διατάξεις καιναὶ, paucis exceptis, nimirum sex, quæ in lingua latina prodierunt: postmodum vero omnes in idem idioma translatæ sunt duorum Interpretum beneficio. Unus eorum celebratur Julianus, qui circa an. 570. vixit, *Epitomator* dictus ab epitome, in quam Novellas Justiniani plerasque omissis prologis & epilogis satis eleganti sermone contraxit: alter quorumdam judicio est vel Bulgarus, Irnero J. C. coætaneus, vel Berguntio Pisanus, vel quod verosimilius Græcus quidam Anonymus ætate non multo inferior Justiniano: hic quisquis fuerit, barbaro quidem stylo, usus est, servato tamen ad amussim verborum significatu & ordine, unde *versio latina vulgata*, quin *Authentica* dicitur, estque hæc relicta Juliana nunc in scholis & foro recepta. In numero Novellarum statuendo non conveniunt Auctores: Julianus centum viginti quinque, Vulgata octo supra nonaginta, alii centum quadraginta quatuor, quidam omnino centum sexaginta & octo producunt. Non minor est controversia circa vim obligandi, qua pollent novel-

læ Constitutiones istæ, seu Authenticæ. Sunt, quæ vim legis solum tribuunt illis, quibus *glossæ* sunt adpositæ, non item aliis, quæ glossis carent: alii vero sunt, qui utrisque illam vendicant, præsertim in Germania, ubi Novellæ tanquam pars Juris Justinianei sunt receptæ.

Atque hæc sunt quatuor illa volumina, quibus veluti membris componitur Corpus Juris Civilis vulgatum, Auctore vel Reparatore incomparabili Principe ac Imperatore Justiniano, qui licet in omnibus hisce operibus atque laboribus usus fuerit industria Illustrium Virorum, præcipue Triboniani, Dorothei ac Theophyli, tamen & ipse iis ordinandis recognoscendisque operam, ac plenissimo juris robore muniendis majestatem suam indulsit. Universe vero probe notandum est id, quod unanimi consensu Juris Doctores velut regulam certam statuunt, nimirum si occurrat, uti non raro contingit, antinomia seu contradictio quædam inter leges in corpore juris contentas, tunc posteriorem derogare priori (m), ita ut leges Institutionum Digestis, & leges Codicis emendati Institutionibus, & Novellæ tanquam posteriores derogent omnibus prioribus.

§. V.

(m) *L. 28. ff. de LL.*

## §. V.

## *Feuda seu Consuetudines Feudorum.*

### XXXV.

Memoratis quatuor partibus alia non minus insignis accessit, corpori Juris civilis inserta, scilicet *libri Feudorum* seu *Consuetudines Feudales*, ut vocant; partim ex Constitutionibus Imperatorum, qui in Occidente dominabantur post Carolum M. nempe Lotharii, Conradi II. & III. Henrici II. Friderici I. &c. partim ex observationibus, quas Gerardus Niger, & Obertus de Orto Consules Mediolanenses scripto adnotarunt, collectæ. Ut autem hæ consuetudines Corpori juris insererentur, rei magnitudo, utilitas, atque necessitas suasit: quippe Jus Feudale non solum circa agros & prædia fertilissima, pagos & oppida, verum etiam circa integros principatus, immo regna occupatur; neque tantum ad Laicos, sed etiam Clericos cujuscunque ordinis, & quavis Ecclesiastica dignitate fulgentes pertinet: quin quod causæ Feudales in ipsis Principum ac Regum Curiis, supremisque Imperii tribunalibus agitentur? Est vero Feudum, prout Jurisperiti finiunt, *contractus, quo alicui conceditur res im-*

*mobilis cum translatione dominii utilis cum onere fidelitatis & obsequii.* Nominis etymon derivant quidam a Germanica voce *Feida* inimicitiam & bellum signicante: prædia enim bello occupata & a victoribus inter milites suos distributa Feuda nuncupabantur: alii a Fide ac fidelitate, quæ Longobardis & Italis *Fede* dicitur. Origo quam antiqua, quemadmodum constat e libro primo Feudorum, tam diversis interpretationibus est obnoxia. Ut in medium proferam id, quod verosimilius hac in re videtur, primum & rude adhuc initium a gentibus plus bellicosis, quales Germani semper fuerunt, repetendum est, quæ jus omne, velut olim Spartani, ad disciplinam remque militarem transtulerunt. Igitur qui victores in bello exstiterant, subjugatæ nationis prata, prædia, vicos & urbes tanquam virtutis ac magnanimitatis præmia strenuis militibus ac belliducibus suis vel donarunt, vel ad utendum fruendum concesserunt, reservato sibi jure supremo, & exacto fidelitatis & obsequii præstandi juramento qua in re secundum variarum gentium mores variæ quoque consuetudines fuerunt observatæ introductæque. Tum ubi barbaræ gentes Italiam longe lateque inundarunt Longobardi e Germania, præsertim ea ex

parte, quæ Saxonia dicitur, prodeuntes magnamque Italiæ partem, quæ olim Longobardia, hodie Lombardia vocatur, occupantes circa A. C. 568. regnante Justino II. Imp. e patria sua Feudorum jura & consuetudines secum adtulerunt, iisque perinde ac in patria sua usi sunt, quæ tam firmas egere radices, ut everso etiam a Carolo M. Longobardorum regno (quod cum Alboino an. 568. incepit, & cum Desiderio Rege ultimo desiit an. 773.) extirpari neutiquam potuerint, sed ipsos victores in leges & jura sua pertraxerint. Quippe memoratas consuetudines tum Mediolanensium in Italia, tum Boiorum, Suevorum & Francorum in Germania moribus, tum Lotharii, Conradi, Friderici aliorumque Impp. Constitutionibus locupletatas privati quidam Jurisconsulti, maxime Gerardus Niger & Obertus de Orto, quorum memini, Consules Mediolani (quæ civitas regni Longobardici & in ea dominantis Juris Feudalis olim Metropolis erat) literis mandarunt, & in formam juris redigere sunt aggressi. Verum primi hi Architecti hujus operis rerum magis forensium quam scholasticarum periti satis confuse, hispide, ac sine decenti ordine rhapsodias hasce suas in volumina retulerunt, quas posteri Juris-

risconsulti, maxime Cujacius emendavit, ac breviore sed meliore interpretationis genere illustravit. Ita latius semper non solum per Italiam, sed etiam per Germaniam, Galliam &c, tam per forum Ecclesiasticum quam civile, ob insignem tum pacis tum belli tempore utilitatem Jus istud Feudale se diffudit, cujus consuetudinum ea modo est in Imperio Romano auctoritas, ut vim legis obtineant, & ad dicendas causas recte allegari queant, non quidem eam ob rationem, quod Longobardi eas introduxerint, aut quod memorati Jurisconsulti illas conscripserint ac sint interpretati (utpote qui jus condendi potestate caruerunt) sed quia tum communi omnium Imperii Statuum consensu, tam Profanorum quam Ecclesiasticorum, tum usu memoriam hominum excedente fuerint receptæ, ac demum a Friderico II. Imp. in Corpus Juris, quo utimur, referri jussæ sint. Dividuntur autem in duos libros, & hi rursus in titulos 86. & isti in capitula, & hæc in paragraphos: quibus adnexus est alius liber, qui adpellatur quintus de Feudis. In his recensentur diversæ species Feudi, ordinantur successiones in feudis, explicantur *obligationes* tum *Domini directi* tum *Vasalli* seu *Clientis fiduciarii*, ape-

riuntur fontes, ob quos amittitur feudum præsertim ex delicto *feloniæ*; & demum agitur de Judice in causa Feudali.

Jam expositis ordine partibus Juris Civilis, ejusque Oeconomia, æquum videtur esse, ut præstantes in scientiæ hujus palæstra Scriptores in medium producamus. Post primos illos veterum Imperatorum Jurisconsultos, eosque qui Justiniani ævo floruerunt (quorum in historia Jurisprudentiæ meminimus) quatuor sectæ seu scholæ Jurisperitorum surrexere, quarum prima fuit Irneri seu Werneri, e qua prodierunt præter alios Martinus Cremonensis, Bulgarus, Hugolinus a porta Ravennate &c. Hæc schola legibus velut recens sub Lothario renatis tanta religione adhæsit, ut non modo in administratione rerum civilium, sed etiam in docendi ratione atque ordine Justiniani præceptis quasi sacramentum dixisse videretur. Altera fuit Azonis, quem Baldus *fontem legum* adpellavit; asseclas habuit reliquis celebriores Balduinum Bononiensem, & Rofredum Beneventanum. Hi jam liberius nonnihil & velut in apertum juris campum excurrere cœperunt. Tertia Accursii, sub cujus disciplina eminuere Dinus Florentinus, Bartholomæus a Capua, Cinus Pistoriensis, & Albericus de Ro-

Rosata. Schola ista uberior fuit Irneriana; & in jure interpretando notis suis leges servire cogebat potius, quam notas legibus. Quarta demum erat, quam Bartolus erexit, quem multi ab ingenii subtilis præstantia & vasta Juris scientia magnis extollunt laudibus; apud non paucos tamen ob prolixitatem in commentando, contradicendi studium, & horridum dicendi genus non modice vapulat. Sequaces habuit Baldum, quo absente Bartolus scholam suam frigere arbitrabatur, Alciatum Mediolanensem, Budæum, Antonium Augustinum, Franciscum Hottomanum. Posterioribus seculis magnum sibi inter Jurisperitos nomen peperere Jacobus Cujacius, vir acuti ingenii & oris, sed varia fortuna usus, Petrus Faber, Joannes Udalricus Zasius, Franciscus Balduinus, Hugo Donellus, aliique viri doctissimi in Gallia ex illustri apud Bituriges schola . . . præterea Gregorius Tolosanus, Didacus Covarruvias, Bessoldus, Gothofredus, Andreas Vallensis, Manzius; Ferdinandus de Valentibus, Franzius, Gletleus . . . Gaillius, Schneidewinus, Mynsingerus, Lauterbachius, Samuel Stryckius, Brunnemannus, Müllerus, Heineccius, præter alios, qui utilissimam Jurisprudentiæ Civili operam hodie adhuc navant.

*CAPUT*

# CAPUT VII.

## JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.

### XXXVI.

*Procemium.*

Novum hoc fortaſſe Jus, immo noviſſimum eſſe alicui videbitur, quum nemo hactenus, quantum ſcio, illud in lucem ediderit, hoc nomine inſignitum. Verum mirari deſinet, quisquis quid rei ſit Jus publicum civile, cujus ſtudium tantis hoc ævo laudibus extollitur, tantoque ardore ſuſcipitur, attentius conſideraverit. Quemadmodum enim iſtud non circa leges & jura, quæ ad privatos cives eorumque commodum ac felicitatem pertinet (quod Juris civilis privati negotium eſt) ſed circa univerſum Reipublicæ ſtatum, hoc eſt, Imperium Romano-Germanicum, ejus Caput Auguſtiſſimum, præcipuaque membra, circa Comitia, Judicia, & Leges Imperii verſatur, ita & Jus publicum Eccleſiaſticum poſt conſtitutum Jus Canonicum, quo velut privato Jure ſubditi Eccleſiæ regun-

guntur, & ad felicitatem sempiternam ordinantur, ad ea quæ ad universum Hierarchiæ Ecclesiasticæ statum, nempe Ecclesiam Romano-Catholicam, ejus in terris supremum Caput Pontificem, diversaque membra, Cardinales Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos &c. item ad Concilia Oecumenica, Provincialia &c. ad Romanæ Curiæ Tribunalia, Legesque pro toto Christiano orbe latas spectant, singulatim explicanda pertractandaque sese convertit. Et vero juris hujus Publici Ecclesiastici studium non minus utile ac necessarium est, quam illud Juris Publici Civilis, quum & dignitate, amplitudine rerum, eruditione, majestateque isto longe superius esse videatur. Nec defuerunt unquam in Ecclesia Romana, qui de his ipsis, quæ recensui, Juris publici Ecclesiastici capitibus summo ingenio & pari ubertate doctrinæ scripserunt, ut ingentia de summorum Pontificum auctoritate, de hierarchia Ecclesiastica, de Conciliis, de Ecclesiæ regimine volumina testantur, quamvis non hunc ordinem, nomenque iis indulserint: Neque credo deerunt, qui quod negotium pro instituti mei ratione quam brevissime heic pertracto, etiam hoc charactere *Juris publici Ecclesiastici* insigni-

tum

tum doctius feliciusque illustrabunt. Quare rem totam ad quatuor capita referendam esse censeo, nimirum ad personas Hierarchiæ Ecclesiasticæ (harum enim omnium dignitas & officia publici Juris sunt) ad Concilia, ad Curiæ Romanæ tribunalia, & ad leges, quæ universam Ecclesiam afficiunt, quemadmodum hoc ipso ordine Jus Publicum Civile ab Auctoribus proponi consuevit.

## §. I.

## *Hierarchia Ecclesiæ.*

### XXXVII.

De Hierarchia, quæ Græcis sacrum Principatum significat, S. Dionysius Areopagita, qui tempore Apostolorum vixit, ita scribit: *Qui Hierarchiam dixit, omnium simul sacrorum ordinum dixit dispositionem* (n). Per ordines autem intelligit ipsas dignitates, officia & gradus illorum, qui tanquam membra insigne corpus hoc componunt. Doctor vero Angelicus (o) *Dicendum*, inquit, *quod Hierarchia est sacer Principatus; in nomine autem Principatus duo intelliguntur,*

(n) *Lib. de Eccl. Hier. c.* 1. (o) 1. *p. q.* 108. *a.* 1.

*tur, scilicet ipse Princeps, & multitudo ordinata sub Principe.* Quare graviter fallit, falliturque Petrus Suavis Polanus in sua de Concilio Tridentino historia, gravissimis erroribus æque ac fraudibus scatente, dum „ Hierarchiam vocem ac „ significationem alienam esse ait, ne di„ cam contrariam divinis effatis, & ve„ teris Ecclesiæ consuetudini, & vocem „ a quodam inventam, qui etsi alicujus „ antiquitatis, quisnam & quando exsti„ terit, haud satis constat, qui alioqui „ est scriptor hyperbolicus, & quem „ in usu illius vocis, aliarumque quas „ ipse excogitavit, nemo ex antiquis „ imitatus est „ ita ille. Verum nisi gravis simum SS. Doctorum, Oecumenicarum Synodorum, ac summorum Pontificum per decem jam secula judicium contemnere velit Suavis (vero nomine Paullus Sarpi) fateatur necesse est, Hierarchiæ nomen S. Dionysium, quem dixi, operi suo celeberrimo præfixisse: hujus enim libros hoc titulo insignitos S. Gregorius sub nomine Dionysii, quem antiquum & venerabilem Patrem adpellat (p), palam adducit, cujus exemplum postea secuti sunt: S. Martinus P. M. & Martyr in Concilio Ro-

mano:

(p) *Homil.* 34.

mano: S. Agatho item Pontifex in epistola ad Constantinum IV. Imperatorem: Nicolaus I. in quadam epistola ad Michaelem Cæsarem: Oecomenicum Concilium sextum in Act. 4. & Septimum in Act. 2. Porro S. Maximus Martyr, & D. Thomas eos libros tanquam genuinum Dionysii Areopagitæ partum reveriti sunt, ac interpretati. Quodsi ante S. Gregorium operis hujus vestigium reperire non licet (quæ criticorum quorumdam ratiocinatio est) quid mirum, quod ethnicis in Christianos eorumque scripta ubique sævientibus horum memoria librorum per plura secula velut sepulta jacuerit, quum compertum nobis sit, quid Aristotelis aliorumque præstantissimorum scriptorum operibus temporum injuria inter barbarorum incursiones acciderit. Partitur autem Dionysius Hierarchiam in Cœlestem seu Angelicam, in Legalem, & in Ecclesiasticam. De cœlesti sic loquitur (q): „ Quædam igitur Angelorum est, & Archangelorum hierarchia, & supermundialium Principatuum, & Potestatum, & Virtutum, Dominationumque, & divinorum Thronorum, aut æquipotentium Thronis Essentiarum, quas Theologia attente, & semper circa Deum esse, & post Deum tradit, Cherubim

(q) Cap. 1.

eas

„ eas hebræorum voce, & Seraphim no-
„ minans &c.„ De altera vero seu Le-
gali (r) hæc docet: „ Post illam vero
„ cœlestem, supermundanamque hierar-
„ chiam ad nostra quoque summa illa
„ Divinitas sua sacratissima munera, be-
„ nigne derivans, cum parvuli (juxta
„ eloquium) essemus, legale indulsit sa-
„ cerdotium, obscuris variarum rerum
„ imaginibus & figuris, a primitivis suis
„ remotissimis, signisque haud facile pe-
„ netrabilibus &c. „ Ac si diceret: post
hierarchiam Angelicam sacrosancta Trini-
tas, quæ triplicis Hierarchiæ principium
est, inter homines quoque hierarchiam
instituit; at imbecilli ceu parvulorum in-
telligentiæ respondentem, dum populo
electo lege per Mosen data Legale Sacer-
dotium condidit, quod tamen nonnisi
figura erat legis novæ veri Sacerdotii. De-
mum ad eam, de qua sermo mihi est;
Ecclesiasticam Hierarchiam progreditur,
his usus verbis: „ Porro profectiorem eru-
„ ditionem Hierarchicam nostram Theolo-
„ gia vocat impletionem hanc illius (sci-
„ licet Legalis) sacrumque adpellans
„ finem. Est autem tam cœlestis illa
„ perfunctio, quam legalis, quarum no-
„ stra

(r) *Cap.* 5.

„ ſtra hæc, quod ſit media, utriusque „ extremitates apprehendit ſocietate mi- „ rabili: ac ſuperiori illi quidem, ſpiri- „ tualibus intelligentiis fulgoribusque „ communicat; inferiori vero, quæ ſig- „ nis carnalibus variatur, perque ipſa „ ſacratius promovetur in Deum „. Quæ Dionyſii verba ſic interpretari licet: Quemadmodum homo corpore conſtans ac ſpiritu medius eſt Angelum inter & brutum, ac cum utroque participat, ita Hierarchia Eccleſiæ, legisque gratiæ media eſt inter Angelicam, quæ ſignis ſenſui ſubjectis penitus caret, ac inter Legalem, in qua univerſa per ſigna atque figuras peracta ſunt.

Jam vero hæc, de qua ultimo loco dixi Eccleſiaſtica Hierarchia, quamvis ab ipſis Eccleſiæ Catholicæ cunis unanimi SS. Patrum & fidelium conſenſu agnita probataque fuerit, nullibi tamen manifeſtius ſe ſe prodidit, quam in Concilio Tridentino. Quum enim hæretici, præſertim Anabaptiſtæ, qui Ordinem omnem, graduumque diſtinctionem in Eccleſia Chriſti abolere conati ſunt, eam ad concavum lunæ damnarent, ſummo ſtudio, ſummaque contentione in *Seſſione vigeſima tertia* res hæc agitata, & examini Theologorum ſubjecta fuit, quos inter Petrus

Petrus Sotus, Familiæ Dominicanæ decus insigne, ac Pontificis Theologus sententiam suam hunc in modum dixit: Esse in Ecclesia Hierarchiam, nimirum potestatem ac prærogativam gubernandi, dicente Apostolo: *Obedite Præpositis vestris.* Et alibi: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit regere Ecclesiam Dei.* Explicari hanc hierarchiam a S. Dionysio; eam videlicet esse sacrum quemdam Principatum ad imitationem cœlestis: quemadmodum ille in tres Angelorum gradus est partitus, ita quoque hanc dividi in Episcopos, Presbyteros, & in Ministros, sicut exponit idem Dionysius, præsertim *cap.* 3. *ac* 5. ostendens, quo pacto inferiores etiam Ordines ad ejusmodi Sacramentum pertineant: cum his consonare, quæ pronunciavit Apostolus: *ad consummationem sanctorum. ad opus ministerii quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Pastores & Doctores* (s). Hac Scoti gravissima sententia permotus Sacer ille Senatus collectis Patrum suffragiis in eadem *Sessione* sequentes duos canones, sextum ac septimum, promulgari jussit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse*

(s) *Ad Ephes. c.* 4.

*esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, annathema sit.* Item: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem &c. anathema sit.*

Ut autem clarius pateat, quid rei sit Hierarchia Ecclesiastica, ejus imaginem & schema quoddam veluti oculis spectandum subjicio. Quemadmodum cœlestem illam Hierarchiam varii gradus & munia distinguunt, *Angeli*, *Archangeli*, *Principatus*, *Virtutes*, *Potestates*, *Dominationes*, *Throni*, *Cherubim* ac *Seraphim* ad ipsum usque *Deum*, supremum Hierarcham, sic eam, quam dixi, Ecclesiasticam varia componunt membra, quorum unum altero vel officio vel dignitate superius est: Nimirum inferiores Ministri, seu *sex Ordines sacerdotio minores*: tum Viri quos vocant *Regulares*, & *Monachi*: dein *Presbyteri*, *Canonici*, *Parochi*: demum Præsules seu *Episcopi*, *Archiepiscopi*, *Patriarchæ*, *Primates*, & qui reliquos omnes supereminet, *summus Pontifex*, tanquam Hierarchiæ totius Caput. Ita nos docet S. Bernardus (t) „quod

(t) *Lib. 3. de Consid.*

quod ſicut illic (in cœlo) Seraphim ac Cherubim, cæteri quòque usque ad Angelos & Archangelos, ordinantur ſub uno Capite Deo, ita hic quoque ſub uno ſummo Pontifice Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum„. Sunt autem ex : Præſulum ordine alii inferiores, ſu-iores alii: Petrus enim Apoſtolus a riſto conſtitutus tanquam Caput to-s Eccleſiæ, ubi Antiochia Romam iceſſit, ibidemque an. Ch. XLV. udio Imp. ac Lucio Vitellio COS. em fixit, fideique arcem exſtruxit, llis inferorum armis expugnandam, ut dinem Hierarchicum per omnem late rarum orbem propagaret, diſcipulos s in diverſas ejus partes Epiſcopos mi-, e quibus illi, qui toti alicui regno pliori cum poteſtate in Sacris præfecti runt, Patriarchæ ſunt adpellati: qui o uni duntaxat provinciæ præeſſe ju-ntur, Archiepiſcopi ſeu Metropolitæ, ue inter hos ipſos aliquis Primas: teri vero ſimplici Epiſcoporum nomine gniti fuere, ac in cauſis gravioribus tropolitanorum arbitrio ſubeſſe juſſi. tituli omnes, velut diſperſi per reli-os, in uno collecti D. Petro fulgebant.

Fuit enim primis Pontificatus sui annis Romanæ Urbis Episcopus: subinde nonnihil extra Urbis colles potestatem suam tanquam Metropolita in totum Latium exercuit: denique ultimis vitæ suæ annis quum jam auctus esset per Europam & Asiam non minus Episcoporum, quam cæterorum Christianorum numerus, Petrus officium Patriarchæ totius Orientis & Occidentis gessit.

Jam vero descriptæ hactenus Hierarchiæ Caput supremum esse illum, quem Papam, & Pontificem, id est, Patrem & summum sacrorum Antistitem nuncupamus, agnoverunt debitaque veneratione coluerunt cuncta a Christo nato secula, octodecim scilicet, paucis exceptis, qui vel schismate vel hæresi veræ Christi Ecclesiæ se subtraxerunt. Primus horum erat D. Petrus tanquam Christi Vicarius, cui oves suas pascendas regendasque, & claves regni cœlorum ad ligandum & solvendum ipse Servator commisit, atque supra hanc petram Ecclesiam suam ædificavit, contra quam ne portæ quidem inferi essent prævalituræ (u). Qui autem S. Petro successerunt non interrupta serie ad hæc usque tempora Pontifices, eodem in munere, eademque potesta-

(u) *Matth.* 16. & 19. *Joan.* 21.

testate collocatos universus orbis Catholicus (Imperatores, Reges, Principes, reliquique Ordines) semper agnovit, semperque veneratus est. Prærogativæ autem Pontificis maximi sunt: primo, quod Primatum inter omnes Præsules in Ecclesia obtineat. Ita jam olim D. Cyprianus, cui reliqui quoque Patres & Concilia adstipulantur, pronunciavit (x): *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.* Ita S. Augustinus (y): *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Ita D. Bernardus (z) Eugenium Papam alloquitur: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisidech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus .... nec modo ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor es.* Quin & Ecclesia, ut vocant, Gallicana in conventu Parisiensi an. 1681. profitetur: „ Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ ... centrum unitatis: obtinere „ Primatum auctoritatis & jurisdictionis „ ipsi

(x) *Epist.* 162. (y) *Lib. de unit. Eccles.*
(z) *L.* 2. *de Consid. c.* 8.

„ ipsi a Christo in persona S. Petri
„ latum: & eum, qui ab hac ver
„ dissentiret, schismaticum, immo &
„ reticum fore „. Secundo, quod
nescius sit in rebus ad fidem pertin
bus definiendis, quæ dos ad Eccles
cujus Pastor & Rector a Christo Pe
& Successores in Petri persona consti
fuerunt, in fide vera retinenda fin
necessaria est. Hinc ipse Imperator
stinus (a) pronunciare palam non
bitavit: *Hoc enim credimus esse Cat*
*cum, quod vestro religioso responso*
*fuerit intimatum.* Et quamvis non
Catholicorum Pontificem extra C
lium errori obnoxium esse posse
ment, nihilominus D. Augustinus,
tanta apud ipsos est auctoritas, jam
Pelagianis ad Concilium Generale
vocantibus respondit (b): „ An
„ congregatione synodi opus erit,
„ aperta pernicies damnaretur? quasi
„ la hæresis aliquando nisi synodi
„ gregatione damnata sit, cum p
„ rarissimæ inveniantur, propter
„ damnandas necessitas talis exstite
Talis tantaque quum sit supremi
rarchiæ Capitis dignitas atque pote

(a) *In ep. ad Hermisdam Pap.* (b) *Li*
*cap.* 12.

non minor est illius eligendi cura & adparatus. Plerique qui vitas Pontificum literis consignarunt, eos initio eligi a Clero & Populo Romano cousuevisse tradunt, atque hunc morem per mille & amplius annos in Ecclesia viguisse, quod autem ita intelligendum esse censent sacri juris Doctores, ut primis temporibus populus quidem designaverit, quem sibi vellet Pontificem dari, non tamen idcirco Clerus jure fuerit obstrictus ad eum admittendum eligendumve, id quod ex ipso Jure probant (c) dicente: *Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adbibendus est; quin docendus est populus, non sequendus.* Hinc quoque Gratianus ait: in Ecclesia Dei recte præficitur Antistes, quum populus in eum acclamaverit, quem Clerus communi voto elegerit (d). Quandonam vero populus ab electione Pontificis omnino fuerit exclusus, non ita pro comperto est. Plurimi existimant, id factum fuisse decreto Nicolai II. qui anno 1059. Stephano X. successit. Verum satis constat, etiam postea Pontificum aliquos a Clero, sive a Clericis Cardinalibus electos fuisse, ita

(c) *C. Nosse. dist.* 63. (d) *In c. cum longe ead. dist. §. Elect.*

ita ut in hoc electionis negotio populi quoque adſenſus ſeu petitio, deſiderium & votum interceſſerit. Satis hoc prodit ipſum Nicolai II. decretum, quod (e) refertur, & ut lectoris conſpectui ſiſtatur, præſentis negotii magnitudo poſtulare videtur: *Inprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſime ſimul de Pontificis electione tractantes, mox Chriſti Clericos Cardinales adbibeant: ſicque reliquus Clerus & populus ad ſenſum novæ electionis accedat; nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat .... Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperiatur idoneus; vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur; ſalvo debito bonore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum Rex babetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur; ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab bac Apoſtolica ſede perſonaliter boc jus impetraverint.* Non ſolum autem Clerus & populus ea, qua dictum eſt, ratione in electionis Pontificiæ conſortium venerunt, verum etiam Imperatores olim aliquam in illa partem ſibi vendicarunt, quod quomodo, quove jure factum fuerit, grave ac magnum inter profanos & Eccleſiaſticos ſcriptores ac

(e) *In C. in Nomine diſt.* 23.

ac Jurisperitos divortium excitavit. Videri hac de re possunt Baronius, Bellarminus, Pagius, Azor, Gretserus, aliique: ac Dissertationes Theologicæ a me olim Oeniponti, postea secundis typis editæ Viennæ Austriæ an. 1750. (f) At vero Alexandri III. tempore tota tandem electionis cura & potestas legitima ad solos Cardinales est devoluta.

Hæc electio ut majore integritate, simul ac securitate perageretur, certæ leges fuerunt statutæ, quæ in sexto *Decretalium* libro (g) recensentur: *Prima* est, ut ad Romanum Pontificem eligendum Comitia celebrentur in loco, in quo Papa decessit: mos tamen obtinuit, ut Romæ, ubi Pontifex plerumque degit, & in Palatio Apostolico tanquam propria sede instituantur. *Secunda*, ut vita functo Pontifice non habeantur Comitia, nisi decem ut minimum dierum spatio interjecto, quo tempore & Cardinales absentes expectari, & per præsentes exequiæ novendiales celebrari debent. *Tertia*, ut Cardinales omnes, quavis ratione a Conclavi absentes, nullum ferendi suffragii jus vindicare sibi queant. *Quarta*, ut non solum Cardinales absentes, sed omnes

nes

(f) *Dissert.* 6. *num.* 112. (g) *Ubi periculum* 3. *in* 6.

nes cujusvis ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem eligi possint, nec ulli porta ad Petri Sedem sit occlusa. *Quinta*, ut finitis novendialibus exequiis, sacrisque die decimo Spiritui S. rite factis omnes, qui adsunt, Cardinales in Palatio, quod mortuus Pontifex inhabitabat, loco tuto undique concluso, & optime custodito, quod *Conclave* vocant, congregentur admissis duntaxat duobus famulis, qui a servitiis sint, & necessaria subministrent: nec alicui praeterea fas sit, locum ingredi exceptis certis quibusdam personis ad id destinatis, vel egredi, nisi afflictae valetudinis ratio exigat. *Sexta*, ut Cardinalibus e conclavi nulla ratione progredi liceat, nisi Romano Pontifice jam electo, & constituto: quod si re infecta exierint, ab his qui custodiae praesunt, iterum ingredi cogantur. *Septima*, ut Cardinalibus iis, qui serius accedunt ad urbem, conclave ingrediendi potestas fiat, & cum caeteris suffragium ferendi, nullusque eorum quavis ratione, etiam si anathematis vinculo sit adstrictus, ab electione ipsa arceri queat. *Octava*, ut elapso ab ingressu in Conclave memoratum triduo, nisi collatis Patrum suffragiis novus Pontifex prodeat, Episcopi, Reguli Romani, & qui

con-

conclavis custodiæ præsunt, maxime in epulis & cibis, qui ad Cardinales inferentur, rationem habeant, nec nisi unum ferculum subministrent. Hujus tamen legis Gregorianæ rigorem mitigavit Clemens VI. *Nona:* ut in Comitiis habendis, pœna anathematis constituta, nemini fas sit, largitione munerum aut pollicitatione eligentium animos solicitare, aut alii interea negotio, præterquam huic gravissimo, vacare. *Decima*, ut nemo censeatur Romanus esse Pontifex, nisi duarum partium e tribus Cardinalium in conclavi præsentibus servata suffragiorum integritate fuerit electus. *Undecima* tandem, ut mortuo Pontifice quamprimum omnes Ecclesiastici Magistratus cessent, & a muneribus suis abstineant, exceptis S. Pœnitentiæ tribunalis, ac Cameræ, ut vocant, Apostolicæ Præsidibus. Atque his legibus saluberrimis Conclave, ipsaque Pontificis electio circumscribitur. Est autem conclave, si personas spectemus, conventus Patrum Purpuratorum defuncto Pontifice, in eam, quam hodie obtinet, formam in Concilio Lugdunensi II. a Gregorio X. redactus: si vero de loco sit sermo, est hic sacris istiusmodi comitiis destinatus in Palatio Pontificis ad D. Petri Basilicam Vaticanam adsito, continetque

aulas quasdam superiores tumcon ventibus celebrandis, tum cameris singulorum Cardinalium, quæ e tignis & cortinis defluentibus parantur, servituras. Ita firmis undique repagulis, muroque clauditur, ut ostia nulla, fenestræ nullæ, nisi altissimæ, exitus nullus, introitus tamen unus supersit. Hæc omnia ipse præsens spectavi, quando felicissime regnans Clemens XIII. e familia Rezzonicorum 6. Julii an. 1758. in summum Pontificem electus fuit.

Proximum post Pontificem dignitatis locum obtinet Purpuratus Patrum Senatus, seu sacrum Cardinalium Collegium, Pontificiæ auctoritatis & ornamentum & subsidium. Id enim mutuum inter summum Pontificem & S. R. E. Cardinales vinculum intercedit, ut solus Papa Cardinales, & soli vicissim Cardinales Papam e gremio suo eligere soleant. De horum origine diversæ sunt scriptorum opiniones. Quidam existimant, repetendam esse a Gregorii I. alii vero a Sylvestri I. tempore: non nulli referunt ad Marcelli, ac demum ad Pontiani P. P. ævum. Eugenius IV. in epistola ad Cantuariensem Archipræsulem Cardinalium nomen, ait, non fuisse initio nascentis Ecclesiæ expressum: munus tamen & officium a B. Petro Apostolo, & ejus successoribus evidenter institutum. Onuphrius vero putat, Cardi-

nales

nales cœpisse a Cleti & Evaristi ætate: „Nam
„ Cletus, inquit, teste Anastasio Biblio-
„ thecario ex Damaso, Presbyteros Ro-
„ mæ ad viginti quinque numerum au-
„ xit: Evaristus vero Apostolorum insti-
„ tuto ad septenarium numerum in Eccle-
„ sia Romana Diaconos redegit, & titu-
„ los in urbe Presbyteris divisit, ut unus-
„ quisque suæ paræciæ terminis & limi-
„ tibus destingueretur . . . . & tunc Pres-
„ byterorum Cardinalium nomen effluxit,
„ ut is scilicet diceretur Presbyter Car-
„ dinalis, qui cæteris Presbyteris ejusdem
„ tituli præesset „. Verum salva Eugenii
& Onuphrii sententia Cardinalium nomen
in Annalibus Ecclesiasticis ante Sylvestri
ævum non legimus, quo in Concilio Ro-
mano Can. 6. sancitum fuit: *ut Diaconi
non essent plures per Parochiarum examen,
quam duo, & Cardinales urbis Romæ se-
ptem.* Atque hi septem prioribus Eccle-
siæ seculis *Cardinales* & *Regionarii* voca-
bantur: Cardinales quidem, quia licet di-
versis in locis agerent, in uno tamen con-
tinebantur principis Ecclesiæ cardine, a
qua pendebant, ut a cardine janua: Re-
gionarii vero, quoniam e S. Fabiani Pon-
tificis instituto quatuordecim urbis regio-
nibus præerant, ita ut singuli binis regio-
nibus præpositi pauperum in iis degentium
cu-

curam gererent, eisque eleemosynas a fidelibus corrogatas summa fide erogarent. Non equidem inficias eo, ab Evaristo & Fabiano summis Pontificibus Urbem in titulos certos seu regiones fuisse divisam, quarum cura Presbyteris & Diaconis demandata fuit, (erat autem *Titulus* urbis regio, vel potius domus aut ecclesia ad agendos conventus Christianorum destinata, cujus foribus præpendebat cortina, vel tabula imaginem aut alias notas præferens, ut eas domus & ecclesias quivis Christianorum agnosceret) his tamen Presbyteris ac Diaconis primum Sylvestri tempore Cardinalium nomen impositum fuisse assero. Nihilominus pauci fuerunt tunc, quibus nominis hujus honor obtigit. At Gregorii I. seculo frequentius esse cœpit, ac pluribus etiam Episcopis tribuebatur. Unde patet, triplicem esse Cardinalium gradum ac ordinem: Alii enim sunt & dicuntur Episcopi Cardinales, alii Presbyteri, Diaconi alii; atque ex hac triplici membrorum classe sacrum illud corpus, seu Patrum Purpuratorum Collegium componitur, uti Canonicorum Collegia e Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & aliis inferioribus Clericis conflantur. Non est autem certus ac definitus Cardinalium numerus, sed Romani Pontificis arbitrio

auge-

augeri minuive solet, vel certe potest, quum temporum ac negotiorum varietas ita postulaverit. Bonifacio VIII. ad clavum sedente numerabantur viginti: ea tempestate, qua Avenione sedem aliquamdiu fixere summi Pontifices, fuerunt triginta: ne plures quam triginta quatuor inposterum forent, statuerunt Constantiensis Concilii Patres (h): aevo tamen Leonis X. qui unica vice ad hunc secundae a Papa dignitatis gradum promovit triginta & unum, sacra insignes purpura sexaginta quinque simul comparuerunt: Pauli IV. septuaginta: & Pii IV. septuaginta sex numerati sunt. Tandem Sixtus V. peculiari constitutione decrevit, ne plures pauciores ve deinceps forent purpurati Patres, quam septuaginta, exemplo e sacris Literis depromto (i), ubi Deus Mosi praecepit: *Congrega tibi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac Magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Atque hic Cardinalium numerus a Sixto

(h) *Sess.* 40. (i) *Num.* xi.

Sixto V. ut dixi, definitus etiamnum hodie perseverat, & instar Cœtus septuaginta senum, uti olim Mosi in regenda Synagoga, ita nunc Pontifici summo in gubernanda Christi Ecclesia adsistit, ita ut ex Ordine Diaconorum seligi soleant quatuordecim, e Presbyterorum quinquaginta, ex Episcoporum sex: nimirum antiqui Romanæ Urbis Episcopi Ostiensis & Veliternus (quorum Episcopales sedes Eugenius III. conjunxit) Portuensis, Tusculanensis, Sabinensis, Prænestiensis, Albinensis, quos omnes D. Bernardus Seniores populi & orbis Judices adpellat. Quod vero ad Purpuratorum Patrum istorum dignitatem ac prærogativas adtinet, ex quo tempore jus ac potestas Romanum Pontificem eligendi in eos solos translata fuit, cœperunt administrationis auctoritate cæteris Præsulibus anteferri, quamvis potestate Ordinis Cardinales Presbyteri, & Diaconi Episcopis sint inferiores. Etenim Patrum horum est Pontifici, quem elegerunt, a consiliis esse: eosdem Papa Fratres adpellat: hi in Comitiis publicis primi a Romano Pontifice in eminentioribus subselliis sedent: primi suffragium ferunt. Atque hic præcedendi honor, quo Eugenius IV. eos insignivit, re ipsa in Conciliis duobus Lugdunen-

dunensibus, Florentino, Lateranensi quinto, ac demum in Tridentino Oecumenicorum postremo ipsis habitus est. Præter hæc Cardinales a cæteris Prælatis distinguit præcipue *ruber Galerus*, qui ab Innocentio IV. in signum fundendi pro libertate Ecclesiastica sanguinis in Concilio Lugdunensi I. an. 1245. iis impositus est: titulo vero *Eminentiæ* Innocentius X. illos honoravit edita hanc in rem publica Constitutione an. 1644. qua sancivit, *ut absque ullo sæcularis dignitatis additamento non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quam Eminentissimi & Reverendissimi, nec non Eminentiæ Reverendissimæ.* His autem prærogativis non ante frui licet, quam (ut Ecclesiastica phrasi utar) Pontifex iisdem *os aperuit* solemni ritu, quod hac ratione fieri consuevit. In primo ut vocant Consistorio Papa recens promotis Cardinalibus interdicit, ne quid tum in Præsulum conventibus aut consiliis prius loquantur, quam percepta reliquorum Cardinalium sententia ipse os illis aperuerit: in sequenti vero, aut tertio Consistorio Patribus omnibus, antiquis & novis simul congregatis ac considentibus, idem Pontifex ad novos conversus eos excedere loco jubet ac expectare, donec antiqui de aperien-

do ipsis ore interrogati mentem suam explicarint: Si consenserunt, advocantur novi, jubenturque suo quisque considere loco, quos deinde surgentes ac stantes paternis monitis instruit Papa, modumque tradit, quem in Consistoriis, domi, publice ac in omnibus suis functionibus observare debeant: tandem finem dicendi his verbis facit: *Aperimus vobis os tam in collationibus, quam in consiliis, atque in electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus, tam in Consistorio, quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere, in nomine Patris &c.* Hæc de Purpuratorum Patrum Senatu, qui unum cum Papa tanquam Capite corpus peculiare ac eminens constituit.

XXXVIII.

Sequuntur Patriarchæ, qui in jure dicundo Archiepiscopis Superiores sunt. Nam uti Episcopus uni tantum civitati, Archiepiscopus vero uni Provinciæ præsidet, quæ multas civitates, quarum singulis suus est Episcopus, complectitur; sic Patriarcha multis præest provinciis, neque solum in Episcopos, verum etiam in Archiepiscopos potestatem exercet. In prima Ecclesia pro temporum illorum & locorum angustiis tres fuerunt hac digni-

gnitate conspicui: Patriarcha Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus, quibus postmodum auctoritate Concilii Nicæni accessit Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus. Horum trium priorum originem ac excellentiam Philippus Berterius (k) repetit ex amplitudine trium illarum urbium, quæ Patriarchali sede fuerunt donatæ. Et quidem de urbe Roma res extra dubium est, quam Tullius vocat *Orbis Dominam*: Ammianus *Templum totius mundi:* Palæmon apud Athenæum *orbis universi Epitomen.* Hieronymus vero inscribens Eustachio Commentarios suos in Ezechielem: *totum orbem* ait *in ea Urbe interiisse, quum excisa est;* tanta erat illius amplitudo. Alexandrinæ urbis magnitudinem Eunapius in Ædesio his verbis celebrat: „ Erat autem populosa Civitas Alexandria, & propter „ Serapidis fanum alter quidam orbis „ terrarum: innumeri confluebant gre„ gatim„. De eadem Dio Prusæus (l) ipsos alloquens Alexandrinos: *Civitas vestra,* inquit, *magnitudine & loco immensum quantum differt, & aperte secundas obtinet partes inter omnes, quæ sunt sub cælo.* Ammianus vero *verticem civitatum*

(k) *Diatriba* 2. *Pithan. c.* 1. (l) *Orat.* 32.

*tum* adpellat. Tandem Antiochiam Syriæ Josephus (m) ita celebrat: „ Antiochia Syriæ metropolis est, quæ propter magnitudinem & rerum copiam „ tertium locum inter omnes orbis Romani civitates obtinet „. D. autem Chrysostomus inter alia Magni Ignatii encomia hoc recenset; quod eum populum (scilicet Antiochenum) rexerit, qui ducenta contineret hominum millia.

Ex his ergo Philippus, de quo dixi, Berterius probare conatur, tres urbes istas a S. Petro Patriarchatus prærogativa donatas fuisse habita magnitudinis & præstantiæ super omnes Orbis urbes ratione. Verum hæc auctoris istius sententia rerum peritis non probatur, quibus non ad magnitudinis mensuram dignitas Patriarchalis collata fuisse videtur. Vera igitur ratio, cur solis tribus illis urbibus eo tempore honor iste habitus fuerit melius inde petitur, quod S. Petrus illarum fuerit peculiaris Episcopus. Nam quum omnes eum Ovilis Christi summum Pastorem agnoscerent, quidquid ad ipsum quoquo modo adtinuit, præcipua semper veneratione dignum credebatur. At memoratis tribus Patriarchis postmodum auctoritate Concilii Nicæni (saltem ali.

(m) *L. 3. de bello Judaico. c. 3.*

aliqua dignitatis parte) accessit Hierosolymitanus ob reverentiam loci, quem Servator ipse præsentia sua, tantisque mysteriis & miraculis illustravit: dein & Constantinopolitanus, quoniam eam in urbem antiqua Roma a Constantino M. translata fuit. Inter istos tamen quatuor Patriarchas semper obtinuit primas Romanus, eique cæteri ceu supremo totius Ecclesiæ Capiti se submiserunt, donec circa annum 856. Photius Constantinopolitanus famoso illo schismate Græcam Ecclesiam a Romana separavit. Illustris quoque fuit in Occidente Patriarchatus Aquileiensis, quo postmodum diviso in Gradensem, & Aquileiensem (Utini civitate Venetæ ditionis collocatum) prior nempe Gradensis a Nicolao V. sublatus Venetias migravit; posterior vero nimirum Aquileiensis an. 1751. a Benedicto XIV. suppressus, ac in duos Archiepiscopatus, Goriciensem & Utinensem, mutatus fuit. Cætera maximam Patriarcharum dignitatem amplissima quoque jura comitantur, quorum quatuor potissimum enumerat Glossa (n), scilicet: quod Pallium, postquam id a Pontifice acceperunt, suis Metropolitanis illud jure conferant: quod iidem

(n) *In c. Antiqua de Privil.*

iidem Metropolitani recepto pallio juramenti religione Patriarchis se obstringant ad obedientiam ipsis & Ecclesiæ Romanæ præstandam: quod ante se Crucis signum argenteum deferri jubeant, præterquam in Urbe Romana, & ubicunque Romanus Pontifex præsens fuerit vel ejus Legatus Pontificiis insignibus decoratus: quod Episcopi suis Metropolitanis prætermissis jure ad ipsos primo adpellare possint.

Patriarchis proximi sunt Primates, qui præsunt Civitatibus, quibus subjectæ sunt aliquæ Provinciæ. Amplior eorum est dignitas & potestas, quam Archiepiscoporum. Nam Anicetus Papa decrevit, ne Episcopus crimen Metropolitani sui ad alium, nisi ad Primatem aut ad sedem Apostolicam deferret: idem Pontifex (o) vetuit, ne Archiepiscopi Primates nuncuparentur.

Post hos summe conspicui veniunt Archiepiscopi. Græco idiomate Archiepiscopus idem sonat ac Princeps Episcoporum, seu is Episcopus, qui in una Provincia præest civitati primariæ ac metropoli, cui subjectæ sunt aliæ civitates, totidem habentes Episcopos, unde & Metropolitanus dicitur. Insigne autem Archiepisco-

pa-

(o) C. Nulli. dist. 99.

palis potestatis ac dignitatis est Pallium, de quo in Jure Canonico exstat Titulus *de auctoritate & usu Pallii*, quod vestis candida est, ex lana alba contexta, atque per modum circuli humeros constringens, duabus fasciis a fronte & a tergo defluentibus, & quatuor crucibus purpureis distincta, quarum una pectori, altera sinistro humero, dextro tertia, quarta scapulis insidet. Origo illius quam antiqua, tam incerta est. Rupertus (p) scribit, Maternum a S. Petro Trevirin missum hæreditatem pallii suis in ea Ecclesia successoribus reliquisse. Eusebius Cæsareensis primam Pallii institutionem D. Lino tribuit, ita ut sicut Ephod insigne fuerat auctoritatis sacerdotum in Synagoga, sic Pallium esset in Ecclesia insigne potestatis Pastoralis: alii a Clemente I. Archiepiscopos hoc ornamenti genere circumdatos fuisse tradunt, quod peti solere hac verborum formula refert Auctor Rituum Ecclesiasticorum (q): *Ego* NB. *electus Ecclesiæ* NB. *instanter, instantius, instantissime peto mihi tradi, & assignari mihi pallium de corpore sancti Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontifi-* *cia-*

(p) *Lib.* 1. *de div. offic. c.* 27. (q) *Lib.* 1. *Tit.* 10. *c.* 5.

*cialis officii.* Dicitur autem *assumi de corpore S. Petri*, quia nimirum super aram, ubi corpus D. Petri sepultum jacet, Romani Pontificis auctoritate consecratur, & ex ara illa sumtum ad Archiepiscopos mittitur.

XXXIX.

Præsulum in Ecclesia ultimi sunt Episcopi, quod nomen e Græcia in Latium, & ab Ethnicorum secta in Ecclesiam translatum fuit. Nam græcum ἐπὶ latinis *super*, & σκοπὸς *Inspector* sonat, ita ut Episcopus idem sit, ac qui super alios intendit veluti speculator & excubitor. Unde Cicero ad Atticum scribens ait: *vult me Pompejus esse, quem tota hæc maritima ora habeat ἐπίσκοπον, id est, speculatorem & custodem.* Apud Ethnicos autem veteres nomen fuit Magistratus, cujus erat panis & cœterarum rerum ad cibum & victum pertinentium curam habere. Translatum est igitur nomen hoc a profano civili Magistratu ad sacros Ecclesiæ Præsules & Antistites, quod illorum præcipuum munus sit, gregis sibi commissi moribus ac vitæ invigilare, eique de Verbi Divini & Sacramentorum pabulo prospicere. Præterea proprium Episcoporum officium est, baptismate ablutos confirmare, Dei ministros ordinibus sa-

initiare, Diœcesin obire, in eaque
ei cultum & animarum salutem cun-
cite ordinare &c. De *Institutione*
oporum celebris olim fuit contro-
a in Concilio Tridentino, uti refert
vicinus (r): num ea proficiscatur
o sine interventu alius, uti assere-
Episcopi Hispani; vel per Pontifi-
Romanum, tanquam Christi Vica-
, quemadmodum sentiebant alii,
ificis studiosiores. Fervebant partis
sque studia fere usque ad contentio-
At Jacobus Lainius S. J. Præpo-
Generalis extra ordinem postremus
tavit, & integrum tempus solus ex-
t. In exordio sermonis commemo-
, ter se illi Synodo interfuisse, sub
o, sub Julio, & sub Pio Pontifici-
semperque se usum sinceritate lo-
di absque fuco, eaque etiam in præ-
negotio se usurum professus est.
a quæstionem ipsam ingressus ejus
lem explicare cœpit, aliorum opi-
em refellere, suam proferre senten-
, multisque illam argumentis confir-
. Tenuit autem, ac diserte non
is quam solide propugnavit senten-
, qua in Episcopos proxime a Deo
vari potestatem Ordinis demonstra-
vit,

) *Lib.* 18. *c.* 15.

vit, non item Jurisdictionis, de qua potissimum lis erat, absque interveniente Christi Vicario, ac D. Petri Successore. Omnia tanta vi rationum, tantaque eloquentia pertractavit, ut multi Patrum oppositam secuti sententiam vel aperte eam deseruerint, vel mentem suam uberius & accommodate ad sensum Lainii declararint. Cæterum Insigne Episcoporum semper fuit cathedra seu Thronus, qui sedes est Augustior in Ecclesia, & cæteris aliorum Presbyterorum sedibus excelsior, scilicet: „ ut in mentem revocarent, ait S. Au- „ gustinus, *in Psalm.* 126. altiore se in „ loco tanquam in specula constitutos, „ quo oculorum acie pervigili atque in- „ defessa in tutelam gregis incumbant, „ tanto cæteris virtute & probitate cla- „ riores, quanto magis essent sedis ho- „ nore ac sublimitate conspicui „. In multis Ecclesiis argentea fuit, quemadmodum observat Mabillonius (s), tantusque honor illi habebatur, ut instar sacri pignoris asservaretur. Talis erat Hierosolymis, quæ fuit S. Jacobi Fratris Domini, & Alexandriæ B. Marci Evangelistæ.

Præsulum ordinem in Hierarchia Ecclesiastica excipit Parochorum ordo. Est autem

(s) *Tom. I. Vet. Analect. in pass. S. Demetrii. M.*

autem Parochus quasi Parœcus ἀπὸ τοῦ παρέχειν τὰ ἀναγκαῖα, seu ab administrando incolis necessaria sic dictus. Initium suum ordo hic Parochorum debere videtur divisioni Urbis Romanæ in viginti quinque regiones (hodie in quatuordecim *Rioni*, ut vocant, dividitur) factæ a Marcello Papa, Marcellini successore, quamvis jam prius operi huic manus admoverint inprimis S. Clemens, qui primus septem urbis regiones in totidem Notarios divisit, ut Martyrum Acta calamo exciperent: dein Evaristus & Dionysius Pontifices. Quare Presbyteri illi, quos memoratus Papa regionibus istis præfecit, a munere sacramenta verbumque divinum administrandi Parochi dicebantur. Erat autem regio illa tunc id, quod hodie Parochia, quæ duobus modis considerari potest: primò quidem integra diœcesis Parochia nuncupatur (t). Secundo Parochia vocatur alicujus diœcesis Ecclesia, cujus populus certis limitibus est circumscriptus (u) & (x). Atque hac ratione accepta Parochia uni Presbytero committi solet, ut in ea baptismum, & reliqua sacramenta populo

(t) *Distin.* 92. *cap. si quis ordinatus.* (u) *Archid. in cap. licet Canon. de elect. in Sexto.*
(x) *Abbas in Rubrica de Parochiis.*

lo ministret, ita ut Parochiale beneficium habere dicatur in Jure Canonico, cui Parochialis Ecclesia curanda regendaque traditur. Ut autem Ecclesia Parochialis a quavis alia discerni possit, satis non est, quod sacri baptismatis fons in ea sit collocatus, in quo salutaribus undis abluantur Christo initiandi: neque quod coemeterio cingatur, ubi certo Ecclesiae ritu fideles defuncti sepulturae mandantur. Horum enim utroque Ecclesia, quae in Parochialium numerum neutiquam venit, gaudere potest vel consuetudine, vel privilegio, aut superioris Antistitis auctoritate. Opus est igitur, ut populum habeat limitibus suis ac finibus distinctum, qui Sacramenta in gremio illius percipere, & ad sacram Synaxin, praecipue Paschali tempore, accedere ipso jure teneatur. Jus vero istud Ecclesiae Parochialis novem capitibus constituitur, uti docet Abbas (y) & Hostiensis (z): Primo, ut in ea populus Parocho subjectus baptismum recipiat. Secundo, ut quisque in ea semel in anno conscientiam a peccatis expiet. Tertio, ut sanctissimum Christi corpus quot annis in Paschate percipiat. Quarto, ut ju-

(y) *In rubr. de Paroch.* (z) *In summ. tit. de parochiis* §. 2.

justo ac debito tempore extremam sacri Olei unctionem ab ea petat. Quinto, ut eorum, qui matrimonio junguntur, nuptiæ in illa solemni ritu celebrentur. Sexto, ut in ea mortui sepeliantur. Septimo, ut ibidem populus diebus festis rem divinam audiat. Octavo, ut ei decimam fructuum partem singulis annis pendat. Nono, ut primitias itidem fructuum, & alias, quæ de more fiunt, oblationes præstet, quæ omnia disertis verbis præcipiuntur in diversis Juris Canonici Capitulis. Jam vero Parochi functiones proprias Concilium Tridentinum velut in compendio exponit (a). *Quum præcepto*, ait, *Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura comissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastorialia incumbere &c.* Varia heic imperantur: primo quidem, ut Pastores oves suas agnoscant, id quod fit per continuam in sede sua præsentiam, quam SS. Canones *Residentiam* vocant: dein ut pro suis ovibus sacrificium offerant: porro ut easdem

(a) *Sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.*

dem verbi divini pabulo reficiant: demum ut exemplo præluceant, curam pauperum suscipiant &c. Hæc si rite faciant, duplici honore dignos pronunciat Paullus in epistola prima ad Timotheum (b) ubi honoris nomine duo complectitur, reverentiam scilicet, & subsidium seu alimentum. *Non* enim, pergit Apostolus, *alligabis os bovi trituranti:* &, *dignus est Operarius mercede sua.* Nam olim Deus in veteri Testamento præcepit, ut bobus, quibus Hebræi in Palæstina ad trituram utebantur, non clauderent os, quo minus de sua tritura comedere possent. Voluit itaque indicare, multo amplius Pastores animarum, qui laborant ut boves in area Domini, fructuum participes esse debere; quam rem magis explicat alibi, dum ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, parum est, carnalia vestra metamus:* utpote quæ semini per nos jacto comparata nullius sunt pretii. Mercedem autem vocat, quia justitiæ titulo debetur, non quidem tanquam pretium, quod operi sacro respondeat (hoc enim *Simoniam* saperet) sed ut necessarium ad vitam sustentandam subsidium; quamvis Presbyter pro labore, cura, itinere ac defatigatione mercedem pro-

(b) Cap. 5.

proprie dictam recipere valeat, uti animadvertit Adrianus, (c) & D. Bonaventura (d).

Post Parochos memorandi veniunt Canonici, ita dicti vel a Canonica pensione ipsis præberi solita, vel a Canone seu certa vivendi regula & disciplina iisdem præscripta. Utramque opinionem scite inter se conciliat Suarius (e) docens, primam originem usumque vocis *Canonicus* petendam esse a Clericis sub regula viventibus, communemque in Choro Ecclesiastico vitam degentibus: ubi vero Canonici vitæ communi valedicentes *Canonias* quas vocant, & *Præbendas* inter se partiri cœperunt, vocem Canonicus relicta velut prima statione ac etymologia ad alteram deflexisse, scilicet pensionis Canonicæ. De antiquitate Canonicorum major est inter Eruditos controversia, quorum aliqui negant ante Seculum VIII. in Ecclesiis Cathedrariis, vel ut nunc adpellant Cathedralibus ullos fuisse Canonicos; alii ante seculum III. rara Canonicorum vestigia detegi posse existimant. Nemo tamen facile inficiabitur, jam ab Apostolorum ætate Clericos in Ecclesiis laudes divinas

(c) *Quodlib.* 9. *art.* 1. (d) *In* 4. *dist.* 25.
(e) *Tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *c.* 9.

vinas decantare solitos esse, non secus ac hodie Canonici faciunt, & cum Episcopo præfuisse reliquo fidelium gregi instar Ecclesiastici cujusdam Senatus, qui *Presbyterium* dicebatur. Unde dignitatem ac munus Canonicorum adparet esse in Hierarchia Ecclesiastica antiquissimum, quamvis nomen posterioribus primum seculis invaluerit. Diversi autem Ordinis sunt Canonici, alii Ecclesiæ *Cathedralis*, alii *Collegiatæ*: quidam *Seculares*, *Regulares* alii Ex his qui in Ecclesia Cathedrali sunt constituti, cæteros Clericos & Canonicos didignitate antecellunt. Quapropter summus Pontifex eis causas delegare solet, non minus quam Clericis dignitate præditis (f). Canonicos autem omnes ab origine sua fuisse *Regulares* non vana est conjectura, quum simul in eodem loco habitare consueverint, in communi dormitorio somnum capere, in eodem triclinio ad communem mensam prandere ac cænare, ut facilius & commodius ad laudes divinas in choro canendas surgerent & convenirent, atque ut vitæ ac morum præceptis imbuerentur, ut legimus in Concilio Moguntino (g) Turonensi (h) & Aquisgranensi I. sub Ludovico Pio Impera-

rato-

(f) *C. statutum. de rescript. in 6.*
(g) *Can. 9.* (h) *Cap. 23.*

... officium, in choro ..., quas dicunt *Horarias*, seu statis decantare, & sacris in Ecclesia ope-

... sacro dicendi plura paullo post occa- ... se offeret: per horas autem Cano- ... intelliguntur eæ preces, quæ ad ... laudandum, opemque illius divi- ... implorandam certis statisque horis ... dum Canones Ecclesiæ fundi, reci- ... aut cantari solent ac debent. Ori- ... hujus rei Polydorus Vergilius (k) ... dam alii, ut Maurolycus in Marty- ... ad 27. Augusti, ac Supplementum ... torum ad Pelagium I. vel Pelagium ... erunt, a quibus legem Ecclesiasti- ... de septem Horarum Canonicarum ... a Clericis persolvendo latam fuisse

Chrysostomum, Athanasium &c. consulamus, fateri necesse est, jam inde ab Apostolorum temporibus Clericos certis diei ac noctis temporibus in Ecclesiam convenire consuevisse, ut psalmos preces, hymnosque Deo decantarent. Quare verosimillimum est, Pelagium I. aut II. legem tulisse, qua Clerici preces horarias septies in die persolvere jubebantur, ita ut quod antea usu & consuetudine antiqua servabatur, lege dein lata perpetuo in Ecclesia custodiretur. Ad numerum horarum quod adtinet, in duas sententias abeunt Auctores, quibusdam horas octo adsignantibus, quum in psalmis Regius Propheta profiteatur: *Septies in die laudem dixi tibi*: postquam eodem psalmo dixerat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, ubi diem a nocte videtur distinguere. Aliis contra numerus septenarius placet, innixis auctoritati Concilii Cabilonensis II. (l): ubi septem duntaxat numerantur: ac Cassiodori versum illum *septies in die* sic exponentis sententiæ: „ *Septem* illas „ significat vices, quibus se Monachorum „ pia devotio consolatur, Matutinum, „ Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, „ Lucernariam (id est Vespertinam) Com„ pletorios & Nocturnos, videlicet psal-

„ mos

(l) C. 59.

„ mos. „ Sed litem hanc optime composuisse videtur Turrecremata (m), dum asserit: olim in multis Provinciarum ecclesiis nocturnas vigilias divisas fuisse atque sejunctas a Matutinis laudibus, proinde tum temporis Officium Divinum vere in horas octo fuisse distributum: at vero nostro ævo usu receptum esse, ut Matutinæ Laudes simul cum Nocturnis Vigiliarum psalmis decantentur, atque ita septem duntaxat horas numerari. Suffragatur huic sententiæ Glossa, (n) ubi versus sequentes a pietate commendandos in medium producit.

*Hæc sunt, septenas propter quæ psallimus horas:*
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat:*
Prima *replet sputis: caussam dat* Tertia *mortis:*
Sexta *cruci nectit: latus ejus* Nona *bipertit:*
Vespera *deponit: tumulo* Completa *reponit.*

XL.

Aliud genus, quod Hierarchiam constituit, sunt Sacerdotes seu Presbyteri. Primum

(m) *Tract.* 73. *in c. Presbyter. dist.* 91. *q.* 1. *Conclus.* 2. (n) *In Cap.* 1. *de celebr. Missæ.*

mum nomen a ſacris ſeu ſacrificiis, quæ offerunt, ortum ſuum habet, jamque in uſu fuit longo ante Chriſtianam legem tempore, quum Numa Pompilius Sacrorum apud Romanos Auctor nomen hoc iis indiderit, qui Romæ ſacra curabant; Alterum græco idiomate ſeniorem, velut ætate ac dignitate venerabilem ſonat. Nam uti animadvertit Durandus (o), in Evangelio & fere usque ad tempus Irenæi Sacerdotes Presbyteri & Patres dicti fuerunt. Perperam heic agunt, qui Epiſcopi, ac Sacerdotis ſeu Presbyteri munus ac dignitatem inter ſe confundunt, partim hæretici, ut Aerius, Wiclefus, Calvinus, partim mali Critici. Quamvis enim initio Epiſcopis ac Sacerdotibus nomen Presbyteri commune videatur fuiſſe, functio tamen & poteſtas utriusque ſemper erat peculiaris. Ita definit Tridentinum (p) „ Præter cæteros Eccleſiaſticos Ordines, „ Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum „ ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum „ Ordinem præcipue pertinere, & po„ ſitos, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu S. „ regere Eccleſiam Dei, eosque Presby„ teris ſuperiores eſſe. „ Demonſtrat hanc Ordinis utriusque diverſitatem Hierarchia

(o) *De Rit. Eccleſ. Cath. l.* 1. *c.* 1.
(p) *Seſſ.* 23. *c.* 4.

rarchia Legalis, quæ umbra posterioris fuit, tanquam imaginis, ut vocat Apostolus (q). Quippe in lege veteri unus erat Sacerdos summus Aaron, & qui huic in munere successerunt: præterea minores erant Sacerdotes, videlicet filii Aaron, & qui ab istis descenderunt; denique Levitæ, qui a Levi originem duxerunt, sed non per Aaronem. Atque hos tres Pontificum, Sacerdotum, & Levitarum gradus jure divino diversos fuisse, ita ut Pontifex major esset Sacerdotibus, & Sacerdotes Levitis, palam est legenti librum Exodi (r) Levitici (s) Numerorum (t) ubi eos consecrandi ritus, vestes, & officia ipso Numine dictante satis clare distinguuntur. Hinc perpetua quoque lege cautum fuit in Conciliis etiam antiquissimis, ut penes solos Episcopos definiendi auctoritas esset, non item penes Presbyteros, nisi Episcoporum fuissent Legati. Porro proprium Sacerdotis munus in Hierarchia Ecclesiastica est, incruentum illud Sacrificium offerre, quod cruentum in ara crucis pro humani generis salute obtulit Christus, Sacerdos Maximus secundum ordinem Melchisedech. Sacrificium hoc vocant

(q) *Ad Hebr.* 10. (r) *Cap.* 28. (s) *Cap.* 8. (t) *Cap.* 3.

vocant græci *Liturgiam*, Latini *Missam*, cujus quam antiquus, tam varius fuit usus ac ritus, ut patet ex diversis Liturgiis, quarum quinque præcipue occurrunt Græcorum, Armenorum, Coptorum, Æthiopum, & Syrorum, quos inter soli Græci quatuor numerant reliquis celebriores notioresque, scilicet Liturgiam S. Jacobi Apostoli, S. Basilii M. S. Chrysostomi, & D. Marci Evangelistæ. Illa quam describit S. Dionysius Areopagita (u), qui tempore Apostolorum vixit, sane in plurimis ei, qua hodie Catholica Ecclesia utitur, quam simillima est. Operæ pretium esse videtur, Liturgiam hanc seu *Missam* Apostolorum conceptis Dionysii verbis in conspectum dare: „ Pontifex quidem perfecto pre„ cum sacro ad Dei altare, cum ab eo „ incendendi odorem initium fecit, sa„ crum obit locum. Reversus autem ad „ divinam aram, sacros psalmos canere „ incipit, canuntque cum eo omnes Ec„ clesiastici Ordines. Deinceps a Mini„ stris Sanctorum librorum lectio ordine „ recitatur. Ea recitata, extra templi „ ambitum collocantur catechumeni, & „ una cum eis energumeni, atque ii, „ quos superioris vitæ pœnitet: manent

„ autem

(u) *Lib. 3. Hier. Eccles. in Bibl. PP. edit. Colon.*

„ autem ii, qui divinarum rerum & aspe-
„ ctu digni sunt, & communione. Mi-
„ nistrorum vero alii stant pro templi
„ foribus, quæ occlusæ sunt: alii autem
„ aliquid aliud eorum, quæ illorum or-
„ dinem attingunt, perficiunt. Electi
„ porro ex ordine eo, qui ministrat cum
„ Sacerdotibus, in divino altari propo-
„ nunt panem, benedictionisque calicem,
„ cum antea universus fidelium cœtus
„ generalem fidei confessionem pronun-
„ ciarit: ad hæc Pontifex sacras pre-
„ ces rite perficit, sanctamque pa-
„ cem omnibus nunciat. Cum omnes
„ se inter se salutaverunt, mystica San-
„ ctorum in sacris tabulis conscriptorum
„ recitatio fit. Cumque manus aqua ab-
„ luerunt & Pontifex & Sacerdotes, Pon-
„ tifex quidem in medio altari colloca-
„ tur: circumstant autem eum soli cum
„ Sacerdotibus Ministri selecti. Pontifex
„ laudatis sacris Dei operibus, ea quæ di-
„ vinissima sunt, rite perficit, & ea, quæ
„ laudata sunt, per adiacentia sacra sym-
„ bola (seu species) in conspectum ad-
„ ducit. Bonis divinorum operum mon-
„ stratis, ad sacram eorum Communio-
„ nem & venit ipse, & invitat cæteros.
„ Accepta dataque divina communione,
„ in sacram gratiarum actionem desinit:

„ cum interea multi quidem sola divina „ signa considerent, ipse autem divino „ Spiritu semper ad sacra principia eo„ rum, quæ perficiuntur, beatis mentis„ que contemplationibus, ut Pontificem „ decet, in Divini status puritate duci„ tur. „ Hucusque S. Dionysius de sui temporis, atque ipsorum adeo Apostolorum Liturgia, in qua mutato paullum ordine vix non omnia, quæ hodie adhuc in *Missa* solemni fiunt, facta jam tunc fuisse observo; & utinam hæretici quoque observarent, ac rituum sacrorum mastyges, vociferantes *Missam* recentiorum Ecclesiæ temporum esse inventum. Cætera S. Gregorius Papa (x) auctor est, in primordiis Ecclesiæ ordinante S. Petro duas duntaxat fuisse partes Missæ, quas *integrantes* vocant, Consecrationem nimirum ac Orationem Dominicam. Idem Petrus Apostolus, teste Lindano (y) Antiochiæ tres addidit orationes; *Collectam*, ut dicitur, *Secretam*, & *Postcommunionem*. Crescente vero cultu Christianæ Religionis adjecta sunt alia, quæ magis devotionem fovere visa sunt: alia subin dempta; alia meliorem in ordinem redacta. Id certum est, *Missam* ob querimoniam populi

(x) *In Epist. ad Joan. Episc. Syracus.*
(y) *Ad Liturg. S. Petri.*

puli breviorem esse redditam, uti observat Baronius ad annum 418. ex Augustino (z). Nihilo tamen minus Lindanus in Apologia pro Liturgia D. Petri græca ( quæ Gregorianæ admodum similis est ) conatur ostendere, a D. Petro jam designatam fuisse totius *Missæ* Latinæ oecononomiam, paucis exceptis: Successores autem illius vel firmasse aliqua novis decretis, vel restituisse neglecta; quandoquidem adolescente Ecclesia sub tyrannis in eam sævientibus tutum non erat, moras longiores in sacrificio trahere; quæ Lindani sententia displicere non poterit consideranti descriptam paullo ante a S. Dionysio *Missæ* ideam.

Aliud quoque membrum Hierarchiæ conspicuum est, quod componunt Monachi & Viri, ut vocant, *Regulares*, quos ab ea procul arcere conantur nonnulli, etiam Catholici; sed male, ut pridem adversus librum calumniis in Ordines Religiosos plenum, quem Lutetiæ Parisiorum quidam *Baccalaurei* cum Sigerio in lucem ediderunt, demonstravit. S. Thomas (a) his verbis: „ Papa non destruit „ Ecclesiasticam Hierarchiam, cum mittit „ Monachos ad prædicandum; quod enim „ potest

(z) *Serm.* 251. *de Temp.* (a) *Opusc.* 19. *c.* 4.

„ potest inferior ut Curatus concedere, „ committendo curam alicui, hoc potest „ ejus Superior ut Episcopus & Papa„. Quare licet Hierarchiam ex Episcopis Parochisque componi, ceu veris Apostolorum ac Christi discipulorum successoribus Pontifices & Concilia uno velut ore pronuncient, nihilo tamen secius iidem *Regularium* opera usi eos Hierarchiæ suæ quasi ramos recentes arbori Ecclesiæ insertos esse voluerunt, & exercitui suo tanquam conducticias selectasque copias aggregarunt, quas eundem in finem quinquaginta Pontifices longa serie privilegiis armisque instruxere. Plurium loco juvat Bullam *Etsi Mendicantium* a Pio V. datam inspicere: *Attendentes*; ait Pontifex, *etiam illos, qui diei & æstus tam in prædicationibus quam cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent . . . omnia & singula privilegia* (Mendicantibus indulta) *auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus & confirmamus*. Equidem Monachi primi ab hominum turba & mundi tumultu semoti in locis desertis solitariam degebant vitam: neque sacris erant initiati, sed Superiores Monachorum Sacerdotem ab Episcopis accipere solebant, qui certis temporibus Missæ Sacrificium iis faceret, ac Sacramenta ad-

ministraret. Verum S. Basilius M. in Oriente teste D. Gregorio Nazianzeno (b), ne Monachorum institutum vagaretur & fluctuaret, neque sibi solum sed & aliis prodessent, primus cœnobia ædificari jussit, ritumque antiquum & agrestem ad ordinem quemdam formulamque Religioni propiorem reduxit. Idem in Occidente molitus est S. Benedictus, si fides Trithemio (c). Magnus enim hic Patriarcha non modo vitam cœnobiticam in commune instituit, sed & Ordini suo *Clericatum* proprium voluit, dum de sacerdotibus Monasterii sic præcipit (d): *Si quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eliget*, memor credo mandati Syricii Papæ, quo Monachis injungitur, ut sacris deinceps oridinibus initiarentur, quo non sibi solis sed aliorum quoque saluti vacarent. Ita factum, ut Religiosi Ordines non solum psallendo & contemplando intenti, sed etiam strenue laborando in Vinea Domini, docendo, verbum Dei prædicando, profligando hæreses, animarum curam domi forisque exercendo, sanginem etiam pro vera Religione fundendo, per hosce labores suos & obsequia Apostolicæ sedi & orbi

(b) *In Monodia.* (c) *de script. Eccles. in Benedicto.* (d) *in Regula c. 62.*

orbi christiano exhibita honorificum in Ecclesiastica Hierarchia locum occuparint. Quapropter & Patribus Societatis Jesu Paulus III. in Bulla *Cum inter.* ea privilegia adtribuit, quæ nonnisi Hierarchis conveniunt. Patet id ex duplici ratione, quam pro munifica largitione sua Pontifex adfert, quarum una hæc est: *Ne gregi Dominico animarum cura desit; & illum antiquus serpens indefensum & impræparatum invadat.* Altera *Attendentes ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis vestra religione, integritate, scientia, doctrina, moribus & experientia &c.* Quare tantum abest, ut viri Religiosi ab Hierarchia Ecclesiastica iniquo nonnullorum & invidiæ pleno judicio excludendi esse censeantur, ut potius honorificum in ea locum summorum etiam Pontificum ac Præsulum testimonio mereantur.

## XLI.

Infimum denique in Hierarchia Ecclesiæ locum occupant Ministri, quorum nomine veniunt, quotquot ad cultum divinum ita ordinantur, ut necdum ad sacerdotii gradum ascendant. Hoc certe innuit Concilium Tridentinum, dum (e) ait:

(e) *Sess.* 23. *cap.* 2.

ait: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consectaneum fuit, quo dignius & majore cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures essent, & diversi Ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad Majores ascenderent.* Quinam autem sint horum Ministrorum Ordines minores; quinam majores (quos omnes perperam rejiciunt hæretici, præsertim Calvinus in suis Institutionum libris) dudum jam declaravit Cornelius Papa (f) ita scribens: „ In Ecclesia Catholica „ Presbyteros esse quadraginta sex, Dia„ conos septem, Subdiaconos septem, „ Acoluthos quadraginta duos; Exorci„ stas & Lectores una cum Ostiariis quin„ quaginta duos „. Primus itaque ac infimus ordo est Ostiarii seu Janitoris, cujus præcipua functio olim fuit, fores templi aperire ac claudere: claudere quidem infidelibus & quibuscunque ipso jure prohibitis; aperire vero fidelibus ad sacra mysteria propius inspicienda percipiendaque aptis & abunde instructis. Alter est ordo Lectorum, quorum munus quondam fuit.

(f) *In epist. ad Fabian. Antioch. apud Eusebium l. 6. Hist. c. 35.*

fuit, legere ex pulpito in Ecclesia, quidquid legendum fors occurrebat utraque ex Lege; nam Evangelia quoque legi ab iis consuevisse Auctor est S. Cyprianus (g). Tertius Ordo Exorcistarum est, cui instituendo præbuit occasionem frequentia energumenorum ad Ecclesias concurrentium, ut antiqua monumenta tradunt. Supra hos ab Ecclesia præscriptos exorcismos legere, eosdemque ut ad sacrificium divinum idonei redderentur, præparare proprium fuit officium Exorcistarum. Quartus ordo Acoluthorum, quasi pedissequorum, qui etiam a cereo, quem gestant *Ceroferarii* dicuntur. Eorum est, Sacrificio Missæ ministrare, vinum, aquam, lumen, & thus præparare, portare urceolos atque ampullas, ac Subdiacono porrigere. Per hos quatuor veluti gradus ad Ordines Majores & Sacros ascendunt, scilicet Subdiaconatus & Diaconatus, qui generali nomine Levitarum dicuntur, quod antiquis Ministris e Tribu Levi respondeant, qui Sacerdotibus familiæ Aaron in[illegible] Hi proxime adsistunt sa[illegible] [illegible]ficio, suisque ma[illegible] [illegible] ipsimet cu[illegible] [illegible] in [illegible]

(x) [illegible]

(y) [illegible]

Duplex autem Subdiaconorum est ministerium: primum, Diacono ministrare in Missæ Sacrificio; quem in [illegible] dum ordinantur, [illegible] namque accipiunt: [illegible] D. Paulli sub [illegible] Synodus Remensis [illegible] *præsentibus* [illegible] *li, qualiter* [illegible] *eundem Apostolum* [illegible] aliud olim [illegible] ut in gestis [illegible] nos juvarent, [illegible] bro de [illegible] sub nomine Damasi [illegible] ferebatur, [illegible] non Pontifici [illegible] biano Papa legitur: [illegible] *Diaconibus,* [illegible] qui *septem* [illegible] *Martyrum* [illegible] coni supremi [illegible] hujus gradu, [illegible] tur munus: [illegible] tes frequens erat [illegible] colligendis, [illegible] dis fieret [illegible] [illegible]

[illegible] (i, Ca. [illegible]

[illegible] XI, [illegible]

Sacrum facienti proxime adsistunt, eique ministrant teste S. Clemente, vel quisquis Auctor est Constitutionum (k), & sacrificii tempore Evangelium legunt, ut tradit S. Gregorius (l). Demum Episcoporum ac Presbyterorum vices obibant, si Corporis Dominici consecrationem excipias, baptizando exemplo Philippi Diaconi (m), prædicando exemplo Stephani & Philippi Diaconorum (n), & Laicis Eucharistiam administrando, ut docet Concilium Nicænum (o).

Hæc de Hierarchia Ecclesiastica, quæ ad primum Juris & Status Politici Ecclesiastici caput atque personas pertinet, curatius exponere visum est, ut agnoscant, quotquot ab Ecclesiæ Catholicæ Sacris alieni sunt, quanta sit Majestas, Antiquitas, sublimis ordo, quamque amplæ sint functiones Hierarchiæ in Ecclesia Catholica, a qua se ipsos novissimis temporibus sponte sua & violenter separarunt, malueruntque Pseudo-Ecclesiæ suæ tot habere Pontifices, quot Principes & Magistratus; Antistites & Ministros, qui nullo jure, nec legitima auctoritate in divini Verbi & Ecclesiæ administrationem temere involarunt: Sacra, (si tamen talia

(k) *lib. 2. Const. c. 14.* (l) *lib. 4. epist. 44.* (m) *Act. 8.* (n) *Act. 7. & 8.* (o) *Can. 14.*

lia sint, & non potius profana) a quibus omnem ordinem hierarchicum, & ceremonias vetustissimas ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos transmissas proscripserunt: contra vero immensum chaos sine ordine, sine symmetria, sine decore ullo introducere non dubitarunt, passim contempti a suis & ignobiles, postquam Ecclesiam veram contempsere.

## §. II.

## *Concilia.*

### XLII.

Alterum juris Ecclesiastici caput esse diximus Concilia, quæ ut Tertullianus loquitur (p), *aguntur certis in locis ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Atque horum Conciliorum, si legitima fuerint, summa est & auctoritas, & in rebus fidei definiendis potestas, eorumque decreta, ut D. Ambrosius adpellat, sunt *hæreditaria signacula*, nullius temeritate violanda. Duplex autem Conciliorum genus distinguere

(p) *Lib. de jejunio c. 13.*

guere oportet: *Universale* seu Generale, quod totius Ecclesiæ nomine celebratur, & ad quod omnes ex toto orbe Christiano Episcopi vocantur: hoc si quoque legitimum fuerit, Oecumenicum dici solet. Constat enim ex Annalibus Ecclesiasticis, plura fuisse Concilia Generalia, uti Mediolanense an. 355. in causa Athanasii coactum: Ariminense an. 359. in quo per fraudem damnata fuit Nicæna fides: Ephesinum II. an. 449. in quo Præside Dioscoro confirmata est Eutychis hæresis, hisque similia, quibus tamen Oecumenici Concilii nomen nemo tribuit, nemo honorem habuit, quum nec a summis Pontificibus probata, nec ab Ecclesia tanquam legitima unquam recepta fuerint. Unde Concilia Generalia in tres classes, scilicet in legitima seu Oecumenica, quorum octodecim, in Reprobata, quorum septem, & in partim Approbata partim Reprobata, quorum sex communius recensentur, dividendi mos inolevit. *Particulare* est, in quo vel integræ cujusdam Nationis, vel certæ cujusdam Provinciæ Præsules, aut dioeceseos alicujus animarum Pastores congregantur. Unde hoc Conciliorum genus in *Nationale*, *Provinciale*, ac *Diœcesanum* plerisque partiri libuit. Origo Conciliorum

Ec-

Ecclesiasticorum ab ipsis Apostolorum temporibus repetenda est. Quippe hi priusquam in omnem terram dividerentur, Spiritus sancti impulsu & Christi promissione nixi (*ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*) (q) convenerunt, ut fidei tradendæ breve compendium, quod Symbolum Apostolorum dicimus, conciperent, omnibus deinceps fidelibus proponendum: deinde ad substituendum alium in Judæ locum: tum ad constituendos, qui mensis & eleemosynarum distributioni servirent: demum exorta Antiochiæ de *Legalium* observatione controversia Jerosolymis Concilium coegerunt iidem Apostoli, & *seniores videre de verbo hoc* (r). Atque ab eo tempore Conciliorum mos in Ecclesia invaluit, quæ pro necessitatum impendentium diversitate diversa singulis pene ætatibus celebrata fuerunt. Neque humanum duntaxat inventum est convocare Concilia, ut perperam censuit Albertus Pighius (s); alias enim male tribuissent Apostoli Spiritui S. id, cujus ipse nec Auctor esset, nec Actor, dum palam in Concilio professi sunt: *Visum est Spiritui*

(q) *Matth.* 18. (r) *Act.* 15. (s) *Lib.* 6. *de eccleſ. Hierarch. c.* 1.

*tui S. & nobis.* Quamvis autem non sit ea Conciliorum ineluctabilis necessitas Ecclesiæ imposita, ut absque his fides Catholica & animarum regimen salvum esse ac incolume nequeat, quum plures hæreses sine Concilio, quam in Concilio proscriptas fuisse jam olim ætate sua observavit S. Augustinus (t), summæ tamen utilitatis ac prope necessitatis rem hanc censuerunt omni tempore supremi Antistites & Patres: Nullibi enim, ait Ill:mus de Marca (u) fides universalis Ecclesiæ solet apertius explicari, vel splendidius eminere, aut securius prædicari, quam in compendio universæ Ecclesiæ, quæ Conciliis Generalibus repræsentatur. Caussas autem convocandi Concilia Bellarminus sequentes recenset (x): Prima esse solet nova & recens orta hæresis. Sic in Nicæno primo damnatus est Arius, in Constantinopolitano primo Macedonius, in Ephesino Nestorius, in Chalcedonensi Dioscorus & Eutyches &c. Altera, si quod forte schisma inter Romanos Pontifices oriatur, ad id in cunis suffocandum, quemadmodum contigit tempore Cornelii, Symachi, Innocentii II. Alexandri III., & in Concilio Constantiensi. Ter-

(t) *Lib. 3. ad Bonif. c. ult.* (u) *lib. 5. de concord. c. 8.* (x) *l. 1. de Conc. c. 9.*

Tertia, si a Turcis aliisque Ecclesiæ hostibus orbi Catholico periculum immineat, ut communi consilio, subsidiis, collectisque viribus avertatur. Ob hanc Urbanus II. Calixtus II. & Eugenius III. Concilia olim congregarunt. Quarta, suspicio hæresis, si Pontifex Romanus eam incurreret, alia via non tollendam. Ita coactum fuit Romanum in caussa Damasi, Sixti III. Leonis III. nullum tamen ex his Conciliis sententiam damnationis in Papam tulisse legitur. Quinta demum, ad tollendos abusus, extirpandaque in Ecclesiam forte irrepserunt vitia, & Ecclesiasticam disciplinam in vigore suo conservandam, quem præ reliquis laborem sibi vindicavit sacrosancta Synodus Tridentina.

XLIII.

Ut vero Concilia vim suam auctoritatemque falli nesciam obtineant, tria potissimum sunt observanda: Primum est, quod antecedit, ut Concilium legitime congregetur: opus igitur erit, ut a Romano Pontifice Christi vices gerente indicatur, ac convocetur, isteque tanquam Ecclesiæ universæ Caput vel per se, vel per Legatos suos quocunque demum modo præsideat: Episcopos quoque totius orbis Catholici, si Generale Concilium

fuerit, vocatos adesse necessum est, (si non legitimum intercedat impedimentum) ut universæ Ecclesiæ imaginem exhibeant, cui Christus se adfuturum promisit. Frustra heic clamant hæretici, (uti tempore ultimæ Synodi Tridentinæ contigit) oportere ut Concilium legitimum sit, non solos Episcopos, qui decidendi auctoritate pollent, ac Presbyteros, quibus cura examinandi controversias committitur, verum etiam *Laicos*, saltem peritos & in SS. Literis eruditos, nec non Principes, Reges, ac Imperatores vocari, ut suffragium ferant, & judices adsint, quum non minus hi quam illi membra sint Ecclesiæ, quam exhibet Concilium Oecumenicum. Sed aliud nos docet novum ac vetus Testamentum: istud quidem, dum in Deuteronomio legimus (y): *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris . . venies ad Sacerdotes Levitici generis . . . sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Illud vero, ubi D. Lucas tradit (z): Quum venissent Paullus & Barnabas, & quidem alii Hierosolymam, susceptisunt quidam omnes ab Ecclesia, quæ erat Hierosolymis: sed quum proposita fuisset quæstio, *convenerunt* ait, non juvenes, non fœminæ,

non

(y) *Cap.* 17. (z) *Act.* 15.

non laici, non Principes, sed *Apostoli & Presbyteri videre de verbo hoc.* Solvere igitur quæstiones circa fidem exortas latoque in Conciliis judicio ligare fideles, & obligare ad credendum non quorumlibet est, sed eorum tantum, qui ut claudendi & aperiendi, ita ligandi solvendique potestatem acceperunt a Christo (a). Et quamvis Conciliis interesse posse, ac nonnunquam interfuisse alios quoque, præter Episcopos & Ecclesiasticos doctrina præstantes, historia Ecclesiastica prodat, nihilominus solis Episcopis, & qui jus suffragii obtinuerunt, his verbis subscribere licet: *Definiens subscripsi.* Cæteri vero vel non subscribunt, vel hac solummodo formula utuntur: *Consentiens subscripsi.* Alterum est, quod comitatur, scilicet ut in ipso Concilio res, quæ ad fidem ac mores pertinent, ea industria, cura & zelo Patrum agantur, quem adhiberi voluit Christus, dum dixit: *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio eorum sum.* Certa utriusque rei nota partim cum Bellarmino ex fide humana, partim cum Melchiore Cano ex divinæ providentiæ recta gubernatione petenda est. Prior (b) ita ratio-

(a) *Matth.* 16. (b) *l.* 2. *de Concil. c.* 9.

tiocinatur: „ Iis enim, qui concilio præ-
„ sentes adsunt, evidens esse potest sine
„ alia probatione, Concilium istud esse
„ legitimum. Vident enim convenisse
„ in unum Episcopos, qui habentur ab
„ omnibus veri Episcopi, & convenisse
„ ex variis Provinciis, & vocatos ab
„ eo, qui habet auctoritatem; & si quid
„ aliud requiratur ad legitimum Conci-
„ lium, id etiam videre possunt . . . Po-
„ steris autem vel absentibus id ipsum
„ est notum ex humana fide, sed certis-
„ sima, & quæ evidentiæ naturali ali-
„ quo modo comparari possit „. Poste-
rior vero, nempe Canus, ita de re præ-
sente loquitur (c): „ Deum suaviter om-
„ nia disponere, simulque prospicere &
„ finem & media ad finem necessaria . . .
„ cum ergo Ecclesiæ firmitatem fidei fue-
„ rit pollicitus, deesse non potest, quo
„ minus tribuat Ecclesiæ preces, cæte-
„ raque præsidia, quibus hæc firmiter
„ conservetur . . . Quodsi semel Hære-
„ ticis licentiam permittimus, ut in quæ-
„ stionem vocent, num Ecclesiæ Judices
„ eam diligentiam & curam exhibuerint,
„ qua opus erat, ut quæstio via & ra-
„ tione finiretur, ecquis adeo cæcus est,
„ qui non videat, omnium mox Ponti-
„ ficum

(c) *De Loc. Theol. l. 5. q. 3.*

„ ficum & Conciliorum judicia labefa-
„ ctari? „. Tertium est, quod subsequitur: nimirum si Concilium Oecumenicum, actaque illius vel præsentis vel absentis Pontificis auctoritate, ac tacito vel expresso consensu firmentur; tunc enimvero certam fidem facit, & numeris omnibus absolutum censetur. Est enim Pontificiæ confirmationis æqua conditio cum definitione illius, e cathedra, ut ajunt, loquentis, quæ nulli errori obnoxia est, ut totus paucis exceptis Catholicus orbis fatetur. Concilium autem una cum Pontifice id ratum habente fidei vel morum dogmata definiens totam repræsentat Ecclesiam, e membris simul & capite compositam, quæ quum Dei nomine loquitur, fallere non potest, nec falli, utpote Spiritus S. Magisterio imbuta, nisi eam a Christo conditore male materiatam, & inferorum portis evertendam fuisse relictam dicere velimus. Unde Nicænæ synodi Patres, quamvis eidem Pontificis Legati interfuerint, nihilominus datis ad Sylvestrum Papam literis: *Quidquid constituimus, precamur, ut oris vestri consortió confirmetur.* Quod ubi factum est, tantam apud orbem Catholicum auctoritatem obtinuit, ut D. Cyrillus (d) ejusdem Syno-

(d) *Lib.* 1. *de Trinit.*

Synodi decreta adpellare non dubitarit *sanctissima & divina oracula*: non minus D. Gregorius (e) palam professus est, se quatuor Concilia Generalia, quæ ipsum præcesserunt, velut *quatuor Dei Evangelia* suscipere ac venerari.

XLIV.

Jam vero imaginem Concilii, quo modo, quave forma celebrandum sit, simplicem quidem sed omnino perfectam S. Scriptura suppeditat in Actis Apostolorum (f). Initio proponitur quæstio, qualis fuit orta inter Apostolos & fideles, nimirum an qui e Gentibus conversi ad fidem veram fuerunt, oporteat circumcidi, & præcipere eis legem Mosis? *Convenerunt Apostoli & Seniores* (Presbyteri) *videre de verbo hoc.* En! Apostoli & Presbyteri, non vero Laici ad decidendam hanc quæstionem convenerunt. *Cum autem magna conquisitio fieret.* En! accurate discutitur & examinatur causa a Patribus conscriptis. *Surgens Petrus dixit ad eos.* En! Petrus tanquam Præses concilii sententiam dixit primus, nempe Christianis non esse imponendum legis Mosaicæ jugum. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Barnabam & Paullum narrantes &c.* & *postquam*

(e) *Cap. 1. epist. 24.* (f) *cap. 15.*

*quam tacuerunt, respondit Jacobus &c.* En! populus omnino tacuit, & soli loquebantur Apostoli, accedentes Petri sententiæ, ubi scilicet ad sententiam definientem ventum est; licet Presbyteros, non vero populum prius ad ineundum consilium ac veritatem inquirendam admiserint. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere Viros &c.* En! Sententiæ Apostolorum acquiescunt Seniores cum tota Ecclesia, suamque operam conferunt, ut ea opere ipso compleatur, atque aliis etiam Concilii hujus decretum promulgetur, quod erat hujusmodi: *Visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris &c.* Atque hæc de Conciliis, eorumque origine, caussis, forma & auctoritate universe dicta sufficiant. De illorum numero, Actis, & legibus seu Canonibus quam plurima exstant volumina, summa diligentia, fide, ac eruditione conscripta.

## §. III.
## *Tribunalia.*

### XLV.

Tertium Juris Publici Ecclesiastici caput constituunt Curiæ Romanæ Tribunalia, per quæ intelligo Congregatio-

nes, illas, quibus præesse ac interesse solent Eminentissimi Cardinales cum aliis Prælatis, Theologis & Doctissimis Viris Ecclesiasticis. Quum enim immensa negotiorum & curarum moles sit, quæ Romam velut in centrum ex omnibus per orbem totum diffusis Ecclesiis, & a diversi ordinis fidelibus undatim confluere solent, pro rerum tractandarum varietate in varias classes, quas Congregationes vocant, provido consilio divisum est sacrum Cardinalium Collegium. Harum facile præcipua est *Congregatio Concilii*, ad cujus tribunal dubia & quæstiones circa Concilii Tridentini decreta & morum disciplinam occurrentes deferri consueverunt. Hanc Pius IV. instituit anno 1563. vel ut Bullarium Cherubini censet, an. 1564. ex octo S. R. E. Cardinalibus, aliisque Adjutoribus conflatam, quorum est invigilare, ut decreta sacrosanctæ hujus Synodi inviolate observentur, & effectui dentur. Declarationes eorum nihil aliud sunt, quam interpretationes decretorum præfati Concilii, ad reformandos mores pertinentium. Nam illa, quæ ad fidei dogmata adtinent, interpretanda per Constitutionem Sixti V. an. 1587. editam ipsa Sedes Apostolica sibi reservavit. Communior Doctorum sententia est, declara-

tio-

tiones has, si *comprehensivæ* sint atque consulto Pontifice fiant, & si de iis authentice constet, jus constituere, quod omnes obligat, quamvis non promulgentur, quemadmodum aliæ leges Pontificiæ promulgari consueverunt.

*Congregatio S. Officii* seu *Inquisitionis* erecta fuit a Paulo III. an. 1542. per Constitutionem *Licet ab initio* &c. a Paulo IV. confirmata, a Successoribus aucta pluribus privilegiis & facultatibus, cujus est Catholicæ fidei sartæ tectæque conservandæ prospicere. In hoc Tribunali omnes caussæ ac materiæ versantes circa Hæreticam pravitatem, Schismata, Apostasiam a fide, Magiam, Sortilegia, Divinationes, Sacramentorum abusus summa accuratione discutiuntur, reique judicantur, ac debitis afficiuntur pœnis. Atque huic tribunali nescio quam crudelitatis speciem adfingunt hæretici, ac maleferiati quidam Catholici, collectas e priorum libris mendacissimas narratiunculas, immo fabulas plenis buccis crepantes. Dolet nimirum iis, quod per fortissimum hunc murum & custodiam erroribus suis falsisque dogmatibus oppositam penetrare nequeant in Ecclesiæ viscera, quemadmodum in Germania, Gallia, Suecia, Dania &c. fecerunt cum maximo rei Catholicæ damno.

Certe

Certe videmus ab omni hæresum labe intactas regiones illas, in quibus tribunalia hæc erecta vigent.

Alia est *Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium*, auctore Sixto V. per Constitutionem, quæ incipit *Immensa æterna* Dei &c. Hæc primum in duas Congregationes erat divisa, postea vero ab eodem Pontifice in unam conjuncta, & ex viginti quatuor Cardinalibus composita, quorum munus est diffinire controversias tum eas, quæ inter Episcopos & alios Prælatos aut Vicarios una ex parte, ex altera inter subditos vel *Regulares* exortæ sunt, tum illas, quæ inter Religiosos sive ejusdem sive diversi Ordinis, uti etiam inter Religiosum & ipsam Religionem agitantur, absque tamen forma judicii.

*Congregatio Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticæ.* Hanc condidit Urbanus VIII. eo Cardinalium & Prælatorum (qui plerumque etiam sunt Auditores Rotæ, ut vocant) numero, qui Summo Pontifici placuerit. Huic incumbit tueri pro viribus Jurisdictionem & immunitatem, tam quæ personas Ecclesiasticas, quam quæ loca & res illarum afficit: controversias hac super re exortas dirimere, illosque qui eam violare ausint, in officio continere.

Con-

*Congregationi Sacrorum Rituum* initium & auctoritatem dedit rursum Sixtus V. solemni Constitutione promulgata, eamque in duplicem quasi classem distribuit: una est ordinaria, cui cura sacrorum Ecclesiæ rituum, ceremoniarum, & consuetudinum incumbit: altera velut extra ordinem, quæ merita eorum expendit, qui ut inter Beatos & Sanctos referantur, proponi solent.

*Congregatio Indicis librorum* prohibitorum, itidem a Sixto V. erecta fuit eum in finem, ut libri hæresis veneno infecti stigmate notentur, vel de doctrina sana suspecti, aut noxia aspersi prohibeantur, vel corrigantur, quales Indices cum certis regulis jam plures in lucem prodierunt.

Alia porro est *Congregatio de propaganda fide Catholica*, quam Gregorius XV. per Constitutionem suam *Inscrutabili* an. 1622. fundavit. Hujus officium est, modos omnes investigare, ut fides Catholica & in terris, ubi recepta jam est, illibata conservetur, & in aliis etiam regionibus, a quibus adhuc exulat, per viros Apostolicos & zelo divinæ gloriæ propagandæ plenos introducatur.

*Congregatio de Indulgentiis & SS. Reliquiis*, quam instituit Clemens IX. Consti-

ſtitutione *In Ipſis.* an. 1669. edita. Illius eſt, cunctas difficultates & dubia, quæ circa *Indulgentias* & Sanctorum Reliquias occurrunt, nec tamen ad fidei dogmata pertinent, expedire, tollere abuſus, qui forte irrepſerunt hoc in negotio, falſarum exemplaria recognoſcere, & ad ſummi Pontificis Tribunal vel ut confirmentur, vel ut proſcribantur, deferre.

Sunt & plures aliæ ſimiles Congregationes tum perpetuæ, uti *Dataria*, *S. Pœnitentiaria*, *Signaturæ Gratiæ & Juſtitiæ*, *rerum & cauſſarum Conſiſtorialium*, tum non perpetuæ, quales exigente rerum neceſſitate, & occurrentibus negotiis gravioribus ad tempus eriguntur.

## §. IV.

### *Leges univerſales.*

XLVI.

Quartum Juris Publici Eccleſiaſtici caput Leges, vel potius Legum, quæ univerſam Eccleſiæ gubernationem afficiunt, fontes comprehendit. Facile princeps horum eſt Concilium Tridentinum, inter oecumenicos decimum octavum, & hucusque poſtremum, quod & temporis, quo duravit, diuturnitate, & Patrum

virtute ac doctrina præstantissimorum copia, & rerum gestarum magnitudine longe celebratissimum, reliquorum omnium præcedentium conciliorum plendorem auctoritatemque in se uno, velut in compendio quodam complexum fuisse videri potest. Inchoatum est Tridenti a Paulo III. imperante Carolo V. an. 1545. post duos vero annos ab eodem Papa ob metum pestis Bononiam translatum, inde a Julio III. Tridenti rursus continuatum, sed ob bellicos tumultus abruptum, & sub Marcello II. & Paulo IV. per decem fere annos suspensum, denique post decem & octo annorum intervallum a Pio IV. regnante Ferdinando I. Cæsare Tridenti instauratum, & communi orbis Catholici emolumento an. 1563. fuit absolutum. Duplex erat caussa, immo necessitas convocandi hoc Concilium, scilicet tum hæresis a Luthero longe lateque per Germaniam, & a Calvino per hanc ipsam & per Galliam sparsa, atque pestifera doctrina omnium fere præcedentium hæresiarcharum erroribus conspersa: tum depravatis in clero & populo moribus disciplina Ecclesiæ propemodum collapsa. Utrique morbo ut mederetur, hæc synodus sacrosancta, geminum sibi scopum præfixit, nimirum

condemnare hæreſes, ac mores emendare, ut hac ratione quies, pax, & ſanitas Eccleſiæ reſtitueretur. Hoc ut fieret, Inſtituti ſunt viginti quinque conventus, quas *Seſſiones* vocant, in quorum plerisque duo promulgata fuerunt decreta, unum ad res fidei, alterum ad reformandos mores pertinentia. Decretis autem fidei ſubnectebantur plures Canones, in quibus hæreſes damnatæ, & qui eas tuerentur, vel iisdem adſenſum præberent, anathemate perculſi ſunt. Subſcripſere ad finem Concilii decretis hi Patres præſentes numero ducenti quinquaginta quinque: videlicet Legati quatuor, Cardinales duo, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi viginti quinque, Epiſcopi centum ſexaginta octo, Abbates ſeptem, abſentium Procuratores triginta novem, Ordinum Religioſorum ſummi Antiſtites ſeptem; quamvis longe plures diverſis temporibus Synodo huic interfuerint, nimirum Cardinales Legati ſeptem, non Legati duo, Archiepiſcopi tres, Epiſcopi ducenti triginta quinque: præterea Oratores & Legati Imperatoris Ferdinandi, Regis Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, ſeptem *Cantonum* Helveticorum, Bavariæ, Sabaudiæ, Florentiæ,

tiæ, aliorumque Principum Ecclesiastico-rum, ita ut Nicolaus de Ponte, Venetæ Reipublicæ inclytus Senator, & ejusdem ad Synodum Orator in sua de Concilio historia asserere non dubitarit, majorem illuc confluxisse hominum doctorum numerum, quam forsan in quavis alia Synodo, etiam in prima Nicæna fuerit. Jam vero auctoritas hujus Concilii tanta est, quanta aliorum oecumenicorum, & ab Ecclesia receptorum, ita ut omnia ejus decreta *dogmatica*, seu canones, ut articuli fidei firmissime retinenda, ea vero, quæ ad mores reformandos pertinent, tanquam commune ac novissimum jus Ecclesiæ custodienda & observanda sint, ubicunque legitime promulgata, nec per desuetudinem aut consuetudinem contrariam (si non forte potius morum corruptela sit) abrogata fuerint. Est enim Concilium hoc auctoritate Apostolica in Spiritu S. congregatum, ejusque decreta omnia a memorato Pontifice Pio IV. in *Consistorio* secreto per Constitutionem, quæ incipit *Benedictus Deus* 7. Calend. Februar. an. 1563. fuerunt confirmata.

XLVII.

Sequitur *Magnum Bullarium* Romanum, cui initium dedit collectis Ponti-

ficum Bullis & Constitutionibus Laertius Cherubinus, præstantissimus Jurisconsultus Romanus, ut privato usui serviret: Sed Sixti V. auspiciis publici juris factum est. Laertio autem e vivis erepto ejusdem filius, Monachus Cassinensis, Angelus Maria Cherubinus Patris vestigia secutus magno incremento opus hoc auxit, Urbano VIII. dedicatum. Successere alii, inter quos Angelus a Lantusia, & Joannes Paulus a Roma Ord. Min. *strictioris observantiæ*, qui recentiorum Pontificum Constitutiones hactenus promulgatas tam ample collegerunt, ut insigne opus istud usque ad annum, 1757, ad Tomos novemdecim excreverit. Equidem fateri oportet, tantam esse Bullarii hujus fidem, usu Curiæ Romanæ comprobatam, ut temeritatis notam incurreret, qui vel universe, vel nulla facta exceptione suspectam redderet: nihilominus quum neque peculiari summi cujusdam Pontificis mandato fuerit compositum, seu collectum hoc opus, neque postmodum auctoritate Apostolica confirmatum, inter libros canonicos recenseri haud potest: quumque sæpius debito modo non constet, an ejusmodi Bulla in eo contenta sit rite promulgata, vel usu recepta, vel primogeniæ in omnibus respon-

spondeat, in Judicio plenam probationem non facit, ubi de re magni momenti vel præjudicii agitur, nisi authentica producatur.

*Decisiones Rotæ* Romanæ, quamvis magnæ auctoritatis sint, & in Curia Romana, si plures exstent super eadem quæstione conformes, secundum illas in similibus caussis judicari soleat, extra illam tamen vim Juris universalis non obtinent, quoniam illis, qui tribunali huic assident, non condendi leges, sed solum judicandi secundum eas data sit potestas. Ut autem quid rei sit *Rota Romana* intelligatur, nosse oportet, quod olim e toto terrarum orbe nedum causæ Ecclesiasticæ, sed etiam profanæ, privatorum hominum non minus quam Principum, Romam & ad Sedem Pontificiam deferri sponte consueverint, ut Annales Ecclesiastici passim docent: eæ vero ad celebranda sacra, quæ *Missas* vocamus, pergenti Pontifici, quo facilior aditus pateret, offerebantur, quas postmodum iste eximiis quibusdam & insignibus Jurisconsultis, qui sacra operanti adsistere solebant, discutiendas commisit. Atque hi sunt, qui hodie *Auditores Rotæ* vocantur ob eam caussam, quod in orbem sedentes, controversias ad se delatas *ro-*

*tent* seu examinent, & secundum jura, prudentiam & æquitatem dirimere satagant. Constat hæc Rota e duodecim Prælatis partim Italis & Hispanis, partim Germanis & Gallis, iisque in jure versatissimis.

Superest, ut de Regulis *Cancellariæ* dicamus. Sunt hæ, uti nomen ipsum præsefert, certæ ordinationes Pontificum, quæ potissimum ad causas, quas vocant *Beneficiales* spectant, & circa Literas Apostolicas versantur, quales in Cancellaria expediri ac promulgari solent. Harum priores tractant de *Reservationibus* tum generalibus tum singularibus Beneficiorum, quæ conferenda sibi reservare Papa consuevit: posteriores vero agunt de Literis Apostolicis expediendis, & de forma illarum, atque clausulis, nec non de *Dispensationibus* ac *Indulgentiis* obtinendis. Cancellaria hæc jam antiquis temporibus erat celebris, utpote cujus mentio sæpius in Jure Canonico occurrit (g): vivæ solum vocis mandato tunc peragi solebant negotia, usque dum Joannis XXII. jussu circa annum, 1330. certæ quædam regulæ fuerint conscriptæ, & in eadem Cancellaria, ut sancte observentur, promul-

(g) *C. ad hæc. c. de Rescriptis. item c. porrectis 6. de confirm. utili &c.*

mulgatæ, demum a Nicolao V. in eam, qua hodie gaudent, formam redactæ. Porro singuli Pontifices ejusmodi regulas sui regiminis initio condere solent, renovando, augendo, vel minuendo eas, quas Antecessores præscripserunt; unde quandoque majorem, quandoque minorem earum numerum esse contingit: immo cum morte Pontificis exspirant, & S. Sede vacante nullam habent vim, donec a Successore iterum velut resuscitentur, id quod mox altero ab electione die fit arbitrio novi Papæ. De his jam Regulis, utrum Jus commune constituant, magna est in utramque partem opinandi diversitas: mediam viam tenent, qui discrimen faciunt inter regulas, quæ formam præscribunt rebus in Cancellaria tractandis, & eas, quæ generatim *ad beneficia reservata, ad annualem & triennalem possessorem, ad infirmos resignantes &c.* sese extendunt. Prioris enim generis regulæ solum in Cancellaria, posterioris vero etiam extra curiam vim & auctoritatem juris obtinere videntur.

## XLVIII.

Ex his quatuor capitibus hucusque brevi calamo delineatis perspicuum esse po-

test omnibus, præsertim heterodoxis, tum quam ordinata, exacta, & numeris omnibus absoluta sit gubernatio & respublica Ecclesiastica, nisi contra jus & fas, ac contra omnem prudentiam & conscientiam criminari velint, hæc & similia solum ad speciem & pompam, aut fucum in negotio gravissimi momenti faciendum ab Ecclesia & Summis Pontificibus fuisse ordinata & stabilita, non attendentes, quid simili ratione ac maledicentia de Principum & Imperatorum regimine atque Curiis conviciari liceret: tum etiam, quam amplum & late patens, eruditione plenum & scitu dignissimum sit Jus Publicum Ecclesiasticum, ita ut ab aliis fusiore calamo illustrari omnino mereatur. Huic autem labori servire possunt eruditissimorum virorum libri, quos de potestate Pontificis, de Hierarchia Ecclesiæ, de Conciliis, de Curia Romana &c. in lucem ediderunt, cujusmodi sunt præter eos, qui in Jus Canonicum commentati sunt ac supra recensiti, Card. Bellarminus de potestate Pontificis, Conciliorum, Ecclesiæ, de Clericis ... Franciscus Zypæus J.C. Duvallius, Augustinus de Ancona de jure novissimo & jurisdictione Ecclesiastica Franc. Anton. de Simeonibus de Romani Pontificis judiciaria potestate ... Felicia-

nus

nus de Oliva e Souza, Lusitanus, de foro Ecclesiæ, Tomis tribus. Dionysius Areopagita, Deyerus, Jacobus Sprengius & Franc. Xav. Zechius S. J. de Hierarchia Ecclesiastica . . . Gabriel Cossartius & Petrus Labbe S. J. de Conciliis Tomis XVII. . . . item Cabassutius, Fronto Ducæus, Jacobus Sirmondus S. J. de Canonibus Apostolorum, Conciliis tum generalibus tum Provincialibus. Emanuel a Schelstrate S. Th. Doctor Antwerpiensis de Antiquitate illustrata circa Concilia, Decreta Pontificum, & totam historiam Ecclesiasticam. Dionysius Petavius, & Card. Sfortia Pallavicinus S. J. de Concilio Tridentino: sacræ vero Congregationis Concilii *Resolutionum Thesaurus* exstat a variis auctoribus collectus Tomulis XIV. . . Haunoldus, Plettenbergius S. J. de notitia Curiæ Romanæ. . . . . Prosper Farinaccius J. C. Romanus de Decisionibus Rotæ. . . Hieronymus Gonzalez J. C. Hispanus, Joan. a Cockier Canonicus Leodiensis, & novissime Joan. Bapt. Rigantius J. C. Romanus de regulis Cancellariæ. . . . Theodoricus Amydemius Advocatus Romanus de officio & jurisdictione *Datarii* & Stylo *Datariæ &c.* . . . Abundantissimam denique pro jure Publico Ecclesiastico materiam subministrare poterit eruditissimi

Viri

Viri ac Scriptoris Josephi Binneri S. J. Apparatus eruditionis ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam.

# CAPUT VIII.

## JUS PUBLICUM POLITICUM.

### XLIX.

### *Prooemium.*

Jus hoc natales eosdem habet, quos quævis Respublica, utpote quam ad finem sibi præfixum, scilicet pacem, tranquillitatem, ac felicitatem hujus vitæ non solum per leges, quibus privatæ actiones membrorum Reipublicæ ad se invicem diriguntur, verum etiam, & vel maxime per leges, quibus actiones publicæ ad totius corporis conservationem ac incolumitatem ordinantur, perduci oportet. Optime hoc agnovit Imp. Justinianus, dum in Institutionibus suis ita loquitur (h): *Hujus studii duæ sunt positiones* (seu objecta) *publicum & privatum. Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Privatum, quod singulorum utilitatem.* quamvis illius ac co-

(h) *§. hujus studii 4. Instit. de J. & J.*

posterioris temporis Jurisconsulti parum vel nihil huic studio tribuisse reperiantur, vel quia Principum interdictione iis non licuit disceptare de statu publico (i), vel quia alterum studii genus, scilicet juris privati, ac forum contentiosum plus emolumenti ac lucri adferebat. Non vero ubivis gentium eadem juris publici forma est, sed pro temporum & rerum diversitate diversum fuit introductum. Ita in Gallia regiminis Politici ac publici fundamentum est Lex Salica, in Anglia Jus Normannicum a Guilielmo Conquæstore conscriptum viget: Dani utuntur eo, quod Waldemarus Daniæ Rex condidit ac promulgavit; Imperium vero Romano-Germanicum (*ibi enim nostra Roma, ubi Imperator* (k) tot mutationes passum, postquam a Democratia in Monarchiam, ab hac in Aristocratiam, & ab ista rursus in Monarchiam, tum a Romanis ad Græcos, a Græcis ad Germanos transiit, denique proprium sibi jus Publicum constituit, nimirum illud, quod Imperatorum auctoritate atque unanimi Electorum ac Statuum Imperii consensu in Comitiis Generalibus fuit adprobatum ac confirmatum.

§. I.

(i) *Per l. disputare* 3. *cod. de crimine sacrilegii.*
(k) *Arg. c.* 24. *d.* 93.

## §. I.

## *Caput & membra Imperii nobiliora.*

### I.

Jam vero Jus hoc publicum Romano-Germanicum quatuor potissimum capitibus comprehendi commode potest, quorum primum de personis in Imperio considerandis agit, alterum de Comitiis & Conventibus Imperii, tertium de tribunalibus ejusdem, & quartum de Imperii legibus. De his omnibus ut quam brevissime differam, quod ad personas adtinet, suprema & cunctarum Apex est Imperator, qui Germanus, Catholicus, (ut ex *Capitulatione* satis patet) ac ejusmodi esse debet, qui grandes ditiones possideat, ut sustinendæ Majestati par sit. Initio eligitur tanquam Rex Romanorum, vel vivo adhuc Imperatore, ut eidem auxilio sit, & defuncto absque nova electione succedat, vel jam e vivis erepto, ut mox Imperator promulgetur, ac coronetur. Eligitur hic per plura Electorum, quos Archiepiscopus Moguntinus & inter eos dignitate primus Francofurtum convocat, suffragia: corona vero olim Romæ a Pontifice (uti S. Leo III. Occidentis Imperium, trecentis annis amplius

plius capite orbatum, ac diadema in Carolum M. transtulit) imponi solebat: post Carolum V. vero munere hoc fungitur Moguntinus Elector, allatis Norimberga Insignibus, scilicet Caroli M. corona, ense, ac sceptro cum Pomo Imperiali. Inter alia, dum coronatur, promittere debet: *Sanctam fidem Catholicam & Apostolicam tenere, & operibus justis servare;* nec non *SSmo in Christo Patri & Domino Romano Pontifici, & S. Romanæ Ecclesiæ subjectionem debitam & fidem reverenter exhibere.* Amplissima est Imperatoris uti dignitas, ita & potestas: solus Imperii legibus est solutus, nulli pœnæ obnoxius, nec se superiorem recognoscit: solus privilegia & immunitates confert, Magistratus qui universo Imperio jus dicunt, constituit, Reges Duces Principes ac Comites creat, civitatis jura concedit, Feudis Imperii Electores, Duces, Principes &c. investit; ad eum ab omnibus in Imperio judiciis ad extremum provocatur: ab Imperatore vero nec ad Tribunal aliquod, nec ad Comitia provocare licet. Demum etiam *primarum* ut vocant *Precum* beneficio gaudet ad personam idoneam in quavis Ecclesia ad *Canonicatum* præsentandam &c. Quantumvis tamen ampla sit hæc potestas Imperatoria, non paucis

tamen

tamen limitibus circumſcribitur tum in legibus, quæ univerſum Imperium obligent, ferendis, novis vectigalibus imponendis, in re monetali immutanda, tum in vendendis, permutandis, oppignorandis Imperii bonis, in cogendis Comitiis, in antiquandis Tribunalibus, in proſcribendo aliquo Statu Imperii, ſeu in *bannum* ut vocant mittendo. In his enim graviſſimis negotiis omnium Statuum, aut majoris partis Electorum conſenſus accedat, neceſſe eſt. Hæc de Capite vaſtiſſimi hujus Corporis: ejus membra in certos Ordines, Status, & Collegia diſtribuuntur. Primum ac dignitate præcipuum eſt Collegium Electorum. Olim quidem ſingulis provinciarum Præfectis, Ducibus, Comitibus &c. integrum erat intereſſe Imperatoris electioni, ac in ea ſuffragium ferre: poſtmodum potentiores ſolum Principes hanc ſibi poteſtatem arrogarunt: denique totum electionis negotium ad Septemviros delatum eſt: Moguntinum, Colonienſem; ac Trevirenſem Archiepiſcopos, Regem Bohemiæ, Comitem Palatinum, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgenſem: fuitque hæc eligendi forma, & Eligentium numerus ampliſſime confirmatus Aurea Bulla, a Carolo IV. edita an. 1356. auctus vero poſteriore tem-

tempore duobus capitibus, Duce nimirum Bavariæ, ac Brunſuico - Hanoverano ad Electorum dignitatem evectis. Horum poteſtas ampla eſt; ſoli enim Cæſarem vel Romanorum Regem eligunt: ſoli *Capitulationem*, ſeu ea, in quæ jurare debet novus Imperator electus, concipiunt: Coire poſſunt inter ſe, quoties Imperii bonum id poſtulat, ac Comitia ſuadere Cæſari, ut indicat: ab eorum ſententiis adpellari non poteſt, niſi denegatæ juſtitiæ cauſſa. Dignitas vero illorum tanta eſt, ut Regiæ æquiparetur. Nam in Imperii terris certant de priore loco cum Regibus: eorum Legati Regiis præferuntur, & in Aula Cæſarea ſi præſentes ſint, ſimiliter regiis honoribus excipiuntur. Præterea Moguntinus Elector eſt *Archicancellarius* per Germaniam: Trevirenſis per Galliam, Colonienſis per Italiam: Bohemus *Archipincerna*, Bavarus *Archidapifer*, Saxo *Archimareſcallus*, Brandenburgenſis, *Archicamerarius*, Palatinus & Hanoveranus *Architeſaurarii*. Vicarii autem Imperii ſunt Saxo & Comes Palatinus Rheni, qui tempore interregni rebus proſpiciunt. Alterum inferius priore Collegium eſt Principum. In horum numerum veniunt e perſonis Eccleſiaſticis *Primas* Germaniæ, ſeu Archiepiſco-

pus inter reliquos præcipuus, qualis olim erat Magdeburgicus, nunc Salisburgensis: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, quamvis aliqui eorum Principes haud ſint: e *Laicis* Archidux Auſtriæ, Ducum ſupremus, Duces alii, Principes, *Landgravii*, Comites ac *Barones* Imperii, quorum ambo duplex in Comitiis ſubſellium occupant, ſcilicet Wetteravii, qui per Franconiam & Rhenum ditiones occupant, & Suevici. Tertium eſt Collegium Civitatum liberarum ſeu Imperialium, quæ ſoli Imperatori ac Imperio ſubjiciuntur: nam reliquæ Municipales vocantur. Originem ſuam illæ debent Carolo IV. Imp. ac Bohemiæ Regi, qui dum ſumtibus immenſis Electorum ſuffragia coemiſſet, ad incitas prope redactus multis civitatibus libertatem auro vendidit; hanc quæ obtinuerunt, Imperii *Statibus Immediatis* ſunt accenſæ. Dicuntur autem Status Imperii, qui ſeſſione ac ſuffragio in Comitiis Generalibus gaudent. Eorum jura ſunt ſane conſpicua, nimirum jus ſeſſionis & ſuffragii, jus pangendi fœdera, quæ inter ſe & cum exteris (non tamen contra Imperium) inire poſſunt: jus *Superioritatis* in ſuis territoriis: jus *Regalium* ſeu legum ferendarum, nundinarum, puniendi ac pœnas remittendi &c. porro ex-

extra Germaniam in jus vocari nequeunt.

## §. II.

## *Comitia & Conventus Imperii.*

### LI.

Alterum ut diximus caput Juris Publici sunt comitia & conventus Imperii. Heic nosse oportet, post Maximilanum I. a Carolo V. Imperium Germanicum in decem Provincias, quas *Circulos* vocari jussit, fuisse divisum, ita ut nomine *Statuum*, qui quovis in Circulo siti sunt, una cum dimensione pecuniarum, quas Imperio pendunt, libro seu Albo inscribantur, qui *Matricula* adpellari consuevit. Singulis duo Principes *Directores* præsunt, qui reliquos Status ad Conventum convocant: his additur Dux, qui militiæ illius Circuli Præfectum agit, atque duo ad negotia politica gerenda, quæstor ad Ærarii, & alius ad monetæ curam & administrationem adjunguntur. Jam vero Conventus vel sunt Circulorum, in quibus cujusvis *Deputati* semel quot annis aut sæpius congregari possunt, ut de rebus & obsequiis, quæ a quovis ejusmodi Circulo ad commune bonum Imperii præstare convenit, in medium consulant. Atque ad hos conventus plerum-

que Cæſar ſuos mittit *Commiſſarios*, qui tamen ipſis deliberationibus non interſunt: Vel ſunt conventus Electorum, qui ab his, quando lubet, cogi poſſunt: nullus tamen in iis modus negotiis publicis poni poteſt, aut quid decerni, niſi reliquorum Imperii Statuum conſenſu & adprobatione, ac Cæſaris auctoritate interveniente: Vel ſunt conventus *Deputatorum*, ad quos ſe conferunt *Commiſſarii* Imperatoris, Electorum, & quidam alii tum Principes, tum Abbates, Comites & Civitates, tam e Catholicorum quam Acatholicorum gremio ſelecti, quemadmodum cautum fuit an. 1559. Atque in his de occurrentibus gravioribus Imperii negotiis deliberatur. At Comitia generalia, quæ cum conſenſu Electorum Cæſar ipſe convocat, ex omnibus Imperii Statibus ſeu per ſe, ſeu per Legatos præſentibus congregantur, in quibus de cauſis tantummodo publicis, nempe bellis, fœderibus, re *monetaria*, expeditionibus in Turcas, proſcriptione ſeu *banno* Imperii conſilia agitantur. Locus in quo celebrabantur olim hæc comitia, fuit Norimberga, uti Aurea Bulla præſcribit: nunc Ratisbonam translata fuerunt. Ordo autem ſuffragiorum hic eſt, ut poſt negotia per Legatum Imperatoris (*Principalem*

*lem Commissarium* vel *Plenipotentiarium* dicunt) proposita rebus deliberatis singula collegia suffragium suum privatim ferant: Electores quidem & Principes seu Ecclesiastici seu *Seculares* viritim: Abbates vero & Comites ac Civitates curiatim, ita ut Abbatum ac Civitatum coetui duo, Comitum vero Ordini quatuor vota conveniat. Rebus ita comparatis in unum coeunt omnia hæc tria Collegia, suaque quæ prius seorsim conceperant suffragia, in commune conferunt: Tum sententia, in quam plures Statuum classes iverint, Imperatori adprobanda offertur, qui si non annuat, utut omnia conspirassent collegia, concludere aut decernere quidquam fas non est: At ubi inter Caput & membra convenit, Tabulæ solemnes conscribuntur, quibus postquam Cæsar atque Ordines subscripsere, *Recessus Imperii* nuncupantur. Atque hæc de quibus postremo loco dixi, comitia præstitutum tempus haud quidem habent, nihilominus ea, quæ an. 1662. coacta fuerunt, in hanc usque diem continuantur Ratisbonæ, vix aliquando finienda.

## §. III.

### *Tribunalia Imperii.*

### LII.

Tertium caput Juris Publici sunt, Tribunalia, pro rerum, quæ ibidem tractantur, varietate varia. *Primo*, Consilium Intimum Cæsareum, in quo de negotiis politicis ad *rationem Status* ut ajunt pertinentibus decernitur: *Secundo*, Consilium *Imperiale* Aulicum, quod antiquis jam temporibus semper in Curia Imperatoris celebratum fuit, quamvis in ordinem, quo hodie utitur, a Ferdinando I. Maximiliano II. Mathia & Ferdinando III. redactum fuerit. Primaria hujus Tribunalis officia, uti Præsidentis, & eorum qui huic a consiliis sunt, Imperator distribuit, cui juramentum præstant, se Imperii utilitatem ac jura semper præ oculis habituros esse: minora Elector Moguntinus tanquam *Archicancellarius*. Componitur ex octodecim personis, quarum sex ut ex Acatholicorum gremio assumantur, pace Westphalica cautum est. Agitur heic de causis & litigiis componendis, quæ inter Imperii Status sunt exorta, & quidem sine legum ambagibus brevissima, qua fieri potest, via: ubi lata

eſt hoc in tribunali ſententia, nec ea corrigi a Conſilio Intimo, licet ſuperiore, nec ab illa ad Cæſarem appellari conceſſum eſt: aperta tamen relinquitur porta gratiæ per ſupplicem libellum obtinendæ, quo porrecto Cæſar ſumma poteſtate rebus proſpicit. *Tertio* Judicium *Cameræ Imperialis*, quod eſt conſeſſus multorum Nobilium ac Doctorum, ad privatas Statuum lites componendas inſtitutum a Maximiliano I. an. 1495. in Comitiis Wormatienſibus, poſtquam *diffidationes*, triſte illud bellorum privata auctoritate geſtorum ſeu potius latrociniorum genus, e medio ſuſtulit. Erectum eſt Tribunal hoc primum Francofordiæ, tum Norimbergam, inde Wormatiam, Spiram, demum Wezlariam an. 1693. translatum. Conſtat autem Judice, binis Præſidibus, viginti Aſſeſſoribus, partim Catholicis partim Acatholicis pari numero, Procuratore & Advocato *Fiſci*, Notariis &c. Summa in eo accuratione omnia ad juris apicem & juſtitiæ bilancem, quamvis lento gradu, expenduntur. Hinc lata ſemel ſententia provocare ab illo nefas eſt; conceditur tamen *Reviſionis* remedium in cauſis, quæ ſaltem duobus millibus *Imperialium* æſtimantur. Peculiare huic judicio eſt, quod

vacante throno Cæsareo non sileant oracula fori hujus, utpote quod totum Imperium, non solum Imperatorem (uti Aulicum Judicium) repræsentat. Præter hæc sunt alia quædam Tribunalia, quemadmodum Judicium Comitis Palatini, in quo secundum veterem consuetudinem ab Aurea Bulla confirmatam ipse Imperator judicio conveniri potest, quum æquitati maxime consonum sit, ut Principes orta inter se & subditos controversia rem per alios quosdam Judices cognosci patiantur; Item Judicium Rottwilanum a Conrado III. Romanorum Rege an. 1147. uti creditur, institutum, cui solus Imperator supremam auctoritatem indulget. Ejus potestas valde exigua est, & hoc ævo rarus admodum illius usus. Denique Judicium, quod *Austregæ* adpellatur, quarum originem a Maximiliano I. repetunt, serviuntque ad componendas, dirimendas, transigendasque lites unius Status cum alio per Arbitros ex aliis statibus electos, ita tamen, ut penes Cæsarem vel *Cameram Imperialem* sit diremptæ litis *executio*.

§. IV.

## §. IV.

## *Leges Imperii.*

### LIII.

Quartum caput sunt Leges Imperii. Inter has facile princeps Lex est *Aurea Bulla* a Carolo IV. condita an. 1356. vel Norimbergæ, vel Metis, vel quod verosimilius, Metis concepta, & Norimbergæ promulgata. Nomen Aureæ Bullæ obtinuit, a capsula seu bulla aurea, quæ sigillum Imperatoris exhibet, non secus ac in Pontificum bullis eorundem sigillum in plumbo continetur. Comprehendit titulos viginti sex, in quibus de forma eligendi Regem Romanorum, maxime vero de Juribus Electorum agitur. Quippe Carolus ære alieno, quo Electorum suffragia coemit, plurimum gravatus, ut illo se se expediret, & Electoribus gratum se sisteret, simulque filio suo degeneri Wenceslao viam sterneret ad solium, multa eaque insignia Electoribus jura permisit, succisa non modice Cæsarum potestate. Quapropter in omnibus *Capitulationibus* iidem Electores vel maxime urgent Aureæ hujus Bullæ observantiam, eamque sacrosanctam ac inviolatam esse volunt. Ea primum

idiomate Latino conſcripta fuit, poſtea ab incerto auctore in Germanicum fuit translata. Unde ſi controverſia oritur, e latino authographo decidenda venit: hodie Francofurti ad Mœnum adſervatur. Secundum inter Imperii Leges locum obtinet *Capitulatio Cæſarea*, ſic dicta a certis capitibus, ad quæ juramento firmanda Rex Romanorum, antequam ad Imperatoriam dignitatem promoveatur, adſtringitur. Quippe nullus eſt vel Rex, vel Princeps in orbe Chriſtiano, cujus auctoritatem non circumſcribant aut jusjurandum, aut inita cum regni ordinibus pacta, dicente jam olim Tacito (l): *Nec Regibus eorum infinita aut libera poteſtas.* Fateri nihilominus oportet, Capitulationem ejusmodi haud eſſe legem proprie dictam, multo minus *Regiam*, uti quidam Scriptores Acatholici contendunt, quum non feratur a Superiore in inferiorem, nec Electores in ea nomine ſuo loquantur jubendo, ſed ipſe Imperator dicat: *Nos volumus & debemus absque conſenſu Electorum nulla inire fœdera* &c. immo ipſi Electores eadem in *Capitulatione* agnoſcunt ac profitentur Cæſarem tanquam ſupremum ſuum Judicem ac Dominum. Proinde non ut lex, ſed

(l) *De mor. German. cap. 7.*

ſed ut Pactum quoddam præcipuum, a quo norma regendi petenda eſt, conſiderari debet. Originem autem hujus rei referunt nonnulli ad initium Imperii Romano-Germanici, quidam ad ævum Conradi I. alii ad turbulentum Henrici IV. regimen, rurſus alii ad Caroli IV. tempora, ubi in tantam amplitudinem excrevit Electorum dignitas & potentia. Verior eſſe videtur illorum opinio, qui asſerunt, primam ea, qua nunc fit, methodo ac forma *Capitulationem* comparuiſſe an. 1519. quo Carolus V. fuit electus. Nam iſto ditiones Auſtriacas, Hiſpaniam, Belgium, magnam Italiæ partem, & recens detectam Americam tenente metus invaſit Proceres Germaniæ, ne potentia ſua ad minuendam circumſcribendamque Statuum libertatem uteretur, maxime vero Acatholicos Principes, ne ad reſtituenda tot tamque ampla bona Eccleſiæ poſt ſuam a fide Catholica defectionem erepta adigerentur. Hinc tam ſolicite cautum fuit, ne facultates Imperii (quarum jam magnam partem ſub Carolo IV. propriam ſibi fecerant Principes tunc Catholici, aliam vero majorem poſtmodum, ſcilicet integros & ditiſſimos Epiſcopatus & Monaſteria Acatholici) diſtraherentur, oppignorarentur, aut quovis alio modo dete-

deteriores deinceps redderentur, id quod Carolus V. præter alia jurejurando firmare debuit, si non Imperii diademate vellet excidere.

Tertio loco legibus adnumerantur *Recessus Imperii*, qui a recedendo dicti fuerunt, non quod ab iis recedi soleat, sed quia sub ipsum quasi Imperatoris & Statuum a Comitiis discessum confici consueverant; suntque constitutiones, quæ circa res ad Imperii Romano-Germanici incolumitatem ac felicitatem peculiari providentia spectantes paullo ante finem Comitiis impositum utriusque partis consensu conditæ fuerunt. Horum Recessuum originem aliqui ab ævo Caroli M. repetunt, alii a remotioribus adhuc temporibus, sed nullius vestigium ante auream Bullam authenticis e Tabulis exhiberi potest. Eorum usum haud amplius vigere, postquam an. 1662. sub Leopoldo I. Comitia Imperii velut perpetua Ratisbonæ stabilita fuerunt, monent Auctores. Quarto loco memoranda venit Pax Publica profana, seu Constitutio illa, qua Maximilianus I. inito cum Electorum, Principum, Prælatorum, Comitum, aliorumque Imperii Statuum consilio in Comitiis Wormatiensibus an. 1495. sustulit *Diffidationes* seu vim ac vindictam pri-

privatam, quæ adeo excreverat in Imperio, ut in latrocinium publicum migraverit, dum Nobiles quamplurimi ad incitas redacti in summis montium arces conderent, e quibus armata manu in vicinorum agros, prædia, & castella irrumpentes ubivis impune prædabantur. Legem itaque statuit Imperator hic, quam Pacem Publicam adpellari placuit, quaque cuivis statui dictata 2000. marcarum auri multa, aliisque gravioribus pœnis omni diffidationis genere interdixit. Hanc ipsam legem innovavit Carolus V. an. 1521. Ut autem litibus & controversiis inter Cives Imperii finiendis locus esset, erectum est Tribunal illud *Cameræ Imperialis*, de quo dixi, eodem Maximiliano Auctore, & tandem Wezlariæ an. 1693. stabilitum. Hinc Ordinationes hujus Cameræ, quæ in tres partes & centum septuaginta sex titulos dividuntur, aliud non sunt, quam leges, secundum quas Judex ejusque Assessores hoc in tribunali causas ad se delatas decidere terminareque jubentur. Excipiuntur tamen causæ Ecclesiasticæ, ac matrimonii, in quas nulla jurisdictio huic Judicio competit: dein *Feuda Regalia*, quorum *investituræ* per insigne vexilli, si sint Principes Laici, si vero Ecclesiastici, sceptro

fiunt. Nam hæc conferendi poteſtas, eorumque cognitio ad ſolum Imperatorem pertinet: demum cauſæ *criminales*, circa quas Carolus V. Auguſtæ Vindelicorum & Ratisbonæ an. 1530. & 32. peculiares edidit Conſtitutiones, *Nemeſis Carolina* nominatas.

Quintum inter lèges Imperii locum obtinet Pax Religioſa, dira neceſſitate ad majora mala evitanda a Ferdinando I. inita, Paſſavii an. 1555. & per *Inſtrumentum* Pacis Weſtphalicæ renovata an. 1548. Nam triſtibus illis temporibus, quibus hinc ſecta Lutherana & Calviniana, inde arma Suecica & Gallica Imperium & Germaniam ſusdeque verterunt, & ſacra profanis ac profana ſacris miſcuerunt, primo Paſſavii in eas conditiones conventum eſt, ut Principibus Lutheranis in perpetuam poſſeſſionem cederentur Bona Catholicarum Eccleſiarum ab ipſis direpta, tum ut in Judicio *Cameræ Imperialis* non ſoli deinceps Catholici, ſed & Lutherani ſedem occuparent. Unde nata dictaque eſt *Transactio Paſſavienſis.* His necdum contenta factio Lutherana, ut rebus ſuis arctius conſuleret, perpetuis querelis ac turbis extorſit, ut poſtmodum in Comitiis Auguſtanis eadem *Transactio* publica Imperii le-

ge

ge rata haberetur; atque ita in lucem prodiit, de qua dixi, Pax Religiosa, cujus tabulis Carolus Cæsar quidem nunquam, Ferdinandus vero Augustus Frater non sine lacrymis subscripsit. Tum vero tricennali bello Suecico, & irruptionibus Gallicis calamitates Germaniæ magis magisque augentibus coaluit Pax Westphalica, duplici quidem loco (Monasterii cum Gallis, Osnabrugæ cum Suecis) uno tamen communique fœdere ac pacto, ita ut Gallis tres Lotharingiæ Episcopatus & Alsatiam cedere, Calvinianis non minus ac Lutheranis liberum sectæ suæ in Imperio *exercitium*, utrisque bonorum Ecclesiæ ereptorum usum (jus enim nullum accedere potuit) indulgere oportuerit. Equidem paci huic quamprimum intercessit Innocentius X. solemni edita Bulla, quæ incipit *Zelus Domus Dei* &c. quave omnes articulos in præjudicium & perniciem avitæ Religionis Catholicæ, Jurium Ecclesiæ, ac Bonorum Ecclesiasticorum vergentes nullos ac irritos declaravit; sed vis ac necessitas temporum illorum prævaluit. Demum ad leges Imperii *Fundamentales* ut vocant, pertinet *Matricula* Imperii seu instrumentum publicum, cui singuli Ordines ejusdem in decem circulos distributi

una

una cum Statibus in quovis circulo sitis sunt inserti, addita militum & pecuniarum, quam unusquisque eorum ad totius Imperii immunitatem ac defensionem præstare debet ad modum census menstrui. Atque his finibus seu quatuor capitibus, quæ de Personis in Imperio considerandis, de Comitiis & Conventibus, Tribunalibus, & de Legibus Imperii tractant, totum Jus Publicum Romano - Germanicum circumscribitur, quod uti nunc traditur & usurpatur, vix Caroli IV. & Bullæ Aureæ conditæ ætatem excedit, quemadmodum ex dictis patet; ac insuper magna ex parte Acatholicorum post funestam ab avita religione defectionem violentia quadam est introductum. Inter Scriptores hujus Juris Publici celebrantur Magnif. P. Schmier, lumen Academiæ Salisburgensis, & in utroque jure versatissimus . . . De Wolleren, & D. L B. ab Andlern, de jure publico & privato . . . Gletleus in selectis juris publici . . . Stapsius & Weißeneggerus J. C. Academiæ Friburgensis . . . Schwederus introductione ad Jus publicum . . . Hermannus Hermes . . . Bruneman . . . Hugo Grotius . . . Vitriarius &c.

CAPUT

# CAPUT IX.

## ΓICA JURISPRUDENTIÆ.

### §. I.

*ores quorundam in tradenda Juris disciplina.*

### LIV.

;num sibi nomen plausumque in
heatro Jurisprudentiæ aliquo ab-
ıinc tempore, maxime in Germa-
omparарunt Scriptores aliqui, ac
ores hujus disciplinæ, ut plurimum
lici, inter quos facile eminuit Hu-
otius; nec absque merito suo, ut-
ui rempublicam politicam & in-
& calamo non parum illustravit,
gens fere ubique egregiam doctri-
um magna prudentia. Hujus ve-
ecuti sunt Vitriarius, Pufendorf-
Wolfius, Heineccius, in quorum
non paucos doctorum virorum
eres est invenire. Horum aucto-
freti Nepotes quidam, & ultra
loctrinæ Patrum suorum progressi
: naturæ ac gentium, nec non in
ublico explanando clavem ad ar-

eana scientiæ istius non sine fastu, & grandi Scriptorum Catholicorum, præcipue Scholasticorum, contemptu sibi solis vindicare, ac monopolium stabilire visi sunt. Neque hoc contenti, doctrina majorum suorum, vel minus casta atque probata, vel non bene intellecta abusi sunt ad perniciosa & a veritate aliena dogmata cudenda, & in libris ac commentariis suis venum exponenda; quin etiam ad ea nobili juventuti, ad vivendi æque ac sentiendi libertatem pronæ, in scholis instillanda. Primum facile fundamentum istorum dogmatum in eo collocant, quod doctrinam a Deo revelatam procul arceri a Juris naturalis finibus, & hominem nonnisi naturæ dotibus vestitum considerari debere contendant, ut quid justum, quid æquum sit, rite intelligere valeamus. Hinc contra Patres & Theologos insurgunt, & amaris questubus, sed parum sinceris utramque aurem implent, quod hi revelatas doctrinas cum juris naturæ placitis perperam commiscuerint, atque ita crassis erroribus & ignorantiæ tenebris nobilissimum Juris naturalis studium misere fœdarint. Neque Patribus solum & Theologis hoc quasi grande crimen exprobrant: etiam primipilos suos carpere non verentur. Ita Thomasius Grotio

tio non dubitat vitio id vertere (m) inquiens: *Nimis solicitus est in conquirendis Græcorum & Latinorum Scriptorum testimoniis, dum aliquid juris naturæ & gentium esse probare voluit .... adde, quod lumen revelatum & naturale ubique fere miscet.* Verum nescio sane, an homines isti in Adamo se peccasse meminerint. Profecto lumen naturæ primis parentibus ante lapsum inerat dei dono lucidissimum, purissimum, & ad omnia, quæ naturæ rationali conveniunt, aut disconveniunt, expeditissimum. At quis est, qui negare ausit vel possit, post fatalem lapsum illum lumen hoc tum in Adamo, tum in posteris omnibus multa caligine perfusum, atque intellectum humanum densis tenebris fuisse obscuratum? Manifestum hujus rei habemus exemplum in Sapientibus ethnicis tum græcis tum latinis, qui improbo labore ac studio omnes hujus scientiæ angulos excussisse sibi visi sunt, ac morum philosophiam, seu quod idem erat, juris naturæ doctrinam excoluerunt, & ex optimis principiis quid æquum & justum sit, ac naturæ rationali conveniens, explicarunt; ita ut S. Augustinus fateri non dubitet, quod

(m) *Hist. Jur. Nat. c. 6. §. 2.*

quod in his priſcis ſapientibus compertum habeamus, *quid absque gratia natura valeat:* ejusmodi fuerunt Socrates, Plato, Ariſtoteles, Seneca, Epictetus &c. Hi tamen Viri maximi, quibus fortaſſe Scriptores iſti Acatholici ſicut ætate, ita & ingenio multum inferiores ſunt, quam graviter in quibusdam veritatibus hallucinati fuerint (quemadmodum circa finem ultimum, animæ immortalitatem, virtutis & vitiorum indolem &c.) utpote veræ fidei lumine, & revelatorum notitia deſtituti, nemo eſt eſt qui ignoret. Et tamen hi, de quibus loquor, veræ virtutis ideam, recte honeſteque vivendi normam, & omnem æqui ac juſti rationem, finemque ultimum hominis Chriſtiani, in quo poſitus ſit, in ſolius Juris naturæ regno absque fidei lumine, ac veritatum revelatarum ductu deprehenſuros ſe confidunt, ac deprehendiſſe gloriantur, ita ut omnes lumini huic ſupernaturali portas atque feneſtras, per quas penetrare poſſet, occluſas velint. Quis credat?

Quærere ex illis liceat, cæteroquin viris doctis, an Chriſtus Servator noſter, poſtquam legem Moſaicam penitus abolevit, novamque gratiæ legem verbo & exemplo in Eccleſia ſua ſtabilivit, an in-

inquam Christus nil præter naturalis juris præcepta ad docendam Ecclesiam, seu fideles instruendos in Evangelio proposuerit? an non multa revelata cum naturæ principiis, ad quæ sæpius provocabat, optime conjuncta docuerit? Sublimis fuit & altissima divini hujus Magistri doctrina, quæ utroque lumine, & naturali & quod supra naturam est, nitebatur: quin quod ea, quæ de jure naturæ sunt, ad longe altiorem gradum evexerit. Legant obsecro caput quintum e Matthæi Evangelio, & invenient Christum ita loquentem: I. *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit in judicio.* II. *Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* III. *Iterum audistis, quia dictum est antiquis, non pejerabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram &c. Sit autem sermo vester, est est, non non.* IV. *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo.* V. *Audistis, quia*

*dictum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros* &c. Si autem hæc legant, quum in aliis semper ad S. Scripturam, ad Dei Verbum adpellent, cur ad tractandum jus naturæ ac gentium solius luminis naturalis usum nulla religionis divinitus revelatæ habita ratione adhibendum esse tam inepte quam falso contendunt? Num forte etiam Christo, cœlesti Magistro nostro, exprobrare audebunt, quod doctrinas a se revelatas cum juris naturæ placitis perperam commiscuerit, (*adde, quod lumen revelatum & naturale ubique fere miscet*) & hujus scientiæ studium corruperit, uti Thomasius cum aliis Patres & Theologos criminatur? At, inquiunt, hæc duo lumina *rationis* & *revelationis* distinctæ res sunt. Ita est; sed idem est homo, qui utroque lumine opus habet ad vitam juri naturali, & professioni Christianæ, ultimoque fini suo conformem ducendam; *professioni* inquam *Christianæ*. Quippe, ut existimo Christianis Jus suum naturale ac gentium, non ethnicis aut turcis, in quorum manus vix unquam perveniet, aut aliis hominibus in Statu puræ naturæ, qui nunquam exstitit, nec existet, constitutis scribunt atque commendant.

LV.

## LV.

A fundamento, quod quam male materiatum sit vidimus, ad reliquum ædificium Juris, quod ipsi profitentur, pergamus. Paucissima duntaxat fragmenta e scriptorum istorum doctrina & libris produco, ut ex unguibus leones cognoscamus. Samuel Pufendorffius non arbitrabatur necessarium, statuere quædam, quæ secundum naturam suam, absque eo, quod lex imponatur, honesta aut turpia dicantur, atque objectum sint juris naturalis ac perpetui. *Non adparet*, inquit satis modeste, *quomodo honestas aut turpitudo intelligi possit ante legem, & citra superioris impositionem* (n). At Laurentius Fleischerus audacter pronunciat (o): *Præcepta naturalia non esse leges proprie dictas, sed mera consilia, monita paterna:* rationem sibi relictam ignorare *conceptum Dei tanquam legislatoris ac domini, sed solius patris ac doctoris.* Si hæc ita se habent, ad solum jus naturale respiciendo ejusdem ordinis ac sortis erunt, antequam præcipiantur vel prohibeantur, orare, ambulare, furari, fornicari &c. Immo in lege naturæ consultum quidem fuis-

(n) *L.* 1. *de J. N. & G. c.* 21. §. 6.
(o) *Inst. I. N. & G. l.* 1. *c.* 5.

fuisset, non tamen præceptum omittere turpia quævis, naturæ rationali disconvenientia: nec data fuisset cognitio Dei tanquam legislatoris, sed solius patris atque doctoris. Quam apta sit hæc doctrinam ad timorem supremi Numinis, remunerantis bona, & mala vindicantis, e corde pellendum, quamque periculosa juventuti parum cautæ, nec rerum satis intelligenti, nemo non videt. Rursus sunt alii, qui docent falli eos, qui credunt, semper illum mentiri, qui aliquid contra mentem dicit, seu quod ab animi sui sententia discrepat; quique natura sua turpe autumant, si aliud loquantur, aliud sentiant, esseque admodum simplicem, qui credat, piaculo se obstringi, si citra ullius injuriam & in commodum suum aut aliorum falsum dicit. Distinguunt enim perquam acute inter *falsiloquium* ut vocant, & *mendacium*, quod postremum ajunt esse illud, quod cum damno aut injuria alterius, aut certe sine commodo profertur: immo & hoc licitum esse casu, quo alter decipi se haud ægre laturus credatur propter commodum, quod inde nascitur. Addit Thomasius, falsiloquium ejusmodi esse *prudentiam a natura per sermonem intentam.* Sed rursum doctrina hæc periculi plena est, & noxia

noxia non ſolum aliis, qui facile ſibi perſuadebunt, adeſſe commodum in *falſiloquio* ſuo, & abeſſe injuriam & damnum alterius, qua ratione peſſime proſpectum erit commercio humano: ſed etiam Auctoribus ſuis; quis enim fidem adhibeat ulli eorum libro, paragrapho, numero, aut lineæ, quum ſecurus nunquam ſit, an non ſaltem *falſum loquantur*, utpote quod fieri poſſet citra injuriam eorum, qui decipi ſe a ſcriptoribus Acatholicis ægre non ferunt; & fieri poſſet cum *commodo* Auctorum, id eſt, lucro, quod ex libris divenditis capiunt non contemnendum: immo fieri poſſet cum merito, quum *falſiloquium* ſit virtus, ſcilicet *prudentia a natura per ſermonem intenta*, ut audivimus. Verum ajunt, cenſeri Deum, quando in rebus & circumſtantiis valde gravis momenti verſamur, tanquam licitum permittere loqui falſum neque hoc fore mendacium; quemadmodum licere voluit juſtis ex cauſſis cædes gentilium, & ſpolia Ægypti Iſraelititis, quin hæc latrocinia aut furta dici potuerint. Grandes Theologi! ſi tenet ſimilitudo, cur non Deus id quod hominibus tanquam licitum permittere poteſt, etiam ſibi licere credat, ita ut falſum loqui poſſit, quemadmodum occidere poteſt (utpote vitæ ac necis arbiter) & re-

rum alienarum dominia in alios transferre, tanquam supremus omnium Dominus? quod si concedatur, actum est de Religione, quum ejusmodi Deo, qui falsum nobis dicere potest, fidem firmam adhibere nequeamus: immo actum est de Deo ipso, quem omnes agnoscunt ac venerantur & falli & fallere nescium.

## LVI.

Promoveamus gradum ad alia nescio an non pejora dogmata. Scripserat Grotius, dum agit de illis, quæ jure naturæ quæve in Evangelio prohibita sunt (p): *Qui aliter sentiunt, mirum quam sudant, ut probent, quæ Evangelio vetantur, ipso jure naturæ esse illicita, ut concubinatum, divortium, matrimonium cum pluribus fœminis. Sunt quidem hæc hujusmodi, ut eis abstinere honestius dictet ratio; at non talia, ut absque lege divina nefas in illis appareat.* Hucusque Grotius: mox adfuit Sincerus Vahrenbergius, (sub nomine ficto Joannem Leyserum, vel alium latere autumant) & polygamiam jure naturæ non solum licitam, sed & præceptam esse defendere voluit, uti narrat Christianus Thomasius (q): Ipse vero Thomasius *meris*

(p) *L. de B. & P. c.* 2. §. 6. (q) *In Hist. I. N. c.* 6. §. 16.

*maris*, inquit, *rationibus naturalibus demonstrari haud posse, omnem scortationem, etiam ad bestialitatem quæ pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium esse prohibitum* (r). Eodem in loco matrimonium in primo gradu (nempe Patris cum filia, & Matris cum filio) naturæ juri haud repugnare scribit. Ejus verba sunt: *Mallem & hic imperfectionem rationis agnoscere, & asserere, connubia parentum & liberorum non esse objectum legis naturalis, sed alterius legis divinæ.* Idem alibi (s), ubi multa in favorem libidinis congerit, ita loquitur: *Concubinatus, quod ad species scortiationis fuerit relatus, deberi Clero Pontificio, qui omnia dicebat esse fornicationem, cui non accesserit benedictio sacerdotalis. His exceptis reliqui scriptores appellant matrimonium secundarium, vel simile quid.* Joannes Barbeyracus omnino asserere audet non sine impudentiæ nota, & crimine falsi, S. Augustinum docere: uxorem alteri mulieri cedere jus posse, quod in proprium maritum habet, & contra, maritum viro alteri renunciare jus in propriæ uxoris corpus (t). Profecto dogmata Cyclopibus digna! Nihilo-

(r) *Inst. Jurispr. Div. l.* 3. *c.* 2. (s) *Fund. I. N. & G. l.* 3. *c.* 11. (t) *In præf. ad Pufendorffii I. N. & G.*

ſuppeditare doctrinas tum ad Regum, Pricipum ac Rerumpublicarum controverſias & lites decidendas: tum ad belli, pacis, ac fœderum rationes componendas: quin etiam ad honeſtatis ac utilitatis fines in hominum ſocietate ſtatuendos. Nec diffitentur hoc Patres ac Theologi, aliique Jurisconſulti probe Catholici. Simul tamen uno fatentur ore, ultra naturalem ſtatum homini chriſtiano progrediendum eſſe, ut quid ad ultimum finem veramque felicitatem, quid ad morum honeſtatem, quid ad virtutum & vitiorum naturam ac conditionem neceſſe ſit, ex iis quæ in Evangelio revelata nobis ſunt, diſcat, ac doceat. Hoc ipſum probe agnovit Grotius, ut dictum eſt. Sed nepotes a tanti parentis doctrina brevi velut ruptis carceribus in avia & devia ſunt abrepti, qui ad ſtatum *puræ naturæ*, quem nemo hominum vidit, eo in quo verſamur neglecto ubique adpellant, & ex illo, quid licitum ſit, quid illicitum, dicendum eſſe pronunciant. Parum hoc: libris ſuis ac commentariis, qui quod mirere, per manus etiam Catholicorum impune volitant, immiſcent ſeu data ſeu non data occaſione graves calumnias: Eccleſiaſticum jus eſt ipſis merum Papæ ac ejus Theologorum inventum ad homines deci-

cipiendos: Episcoporum potestatem dignitatemque, ac Sacerdotum & Monachorum instituta ad infimæ sortis hominum conditionem deprimunt, & velut inutile vulgus e republica politica exterminandum proclamant: Sacros & vetustissimos Ecclesiæ ritus ac ceremonias irrident: vota religiosa, jejunia, pias ut vocamus *oblationes* tanquam abusus damnant, vitæ Civili noxios: Conciliorum decreta & Canones flocci pendunt: quumque talia ut plurimum vel contemptim vel ridicule proponant, eo certius atque facilius nocent male credulis lectoribus, præsertim juvenibus Studiosis. Mirum sane, quod hoc agant, qui præter Jus naturæ ac gentium etiam Civile profitentur, ejusque oracula videri haberique volunt, quum tamen eos non lateat, nec latere possit, quantum doctrinæ ipsorum atque dicteriis adversetur ipsum Corpus Juris Civilis, quod adeo claris & manifestis characteribus antiquæ Ecclesiæ, a qua patres eorum, filii, atque nepotes miseri recesserunt, placitis suffragatur, ut si sanæ rationi ac lumini naturali locum concedere velint, & præjudicatas opiniones foras mittere, oculis videre queant, ac manibus palpare; quæ nunc dicturus sum. Eia! aperiamus Corpus Juris Civilis, inspiciamus, & legamus:

*Pri-*

ita ut Majorum nostrorum sacerrimis legibus posthabitis non quid *juris*, sed quid *facti* sit, attendatur.

Superest, ut & illud breviter ad trutinam expendatur, an tanta scriptorum Acatholicorum in studio & doctrina Juris, præsertim Naturalis ac Gentium excellentia sit, quantam ut vidimus, sibimet ipsis magno cum plausu adtribuunt quidam illorum, qui a Grotii, aliorumque vere doctorum Acatholicorum modestia procul absunt. Mea quidem opinione præferendi videntur scriptores illi, quibus fortius, sincerius, ac purius inest lumen naturale, quo duce in ejus Juris arcana & principia penetrare valeant; ut nihil dicam de lumine supernaturali, de quo si cum altero conjungatur, merito illud dicere possumus: *Duo oculi plus vident, quam unus.* Quis autem sibi persuadeat, tali lumine dominante instructos esse viros, quantumvis alias ingenio ac eruditione valeant, qui religionis ejusmodi, cui parum ipsimet fidunt, principiis imbuti reum mundanarum, facultatum, familiæ, officiorum curis non paucis distinentur continuo, & implicantur: contra alios quemadmodum Patres, & Theologos, atque sacri profanique juris peritos, quorum multi aut vitæ sanctitate,

aut

aut morum integritate, simul ac præclarissimis doctrinæ monumentis christianum orbem illustrarunt, tam debili, exiguo, & fæculento lumine præditos fuisse hoc in negotio, quod ad totum genus humanum, & maxime ad conscientias pertinet, tantumque cæcutiisse, ut si cum illis heroibus in comparationem veniant, nonnisi cum jure naturæ, ut Weberus sine fronte ait, *tanquam cum communi prostibulo rem habuisse, nec nisi centones & quæstiunculas inanes in lucem edidisse* videantur, dum illi montes integros parturierunt? Non credo, ejusmodi *Protestantes*, ut vocant, Jurisperitos *privilegio* aliquo seu naturæ seu gentium munitos esse, neque illud unquam exhibere illos posse, quod perfectius, nobilius, atque sublimius lumen naturæ sint nacti, quam Patres, & Scholastici Catholici omnes. Fortassis hoc eo probant argumento, quod Principibus & Magistratibus profanis tradant jus in sacra & profana? quod potestati Ecclesiasticæ subtrahant, quidquid possunt, & non possunt? quod Cleri ac præcipue Monasteriorum bona alienæ jurisdictioni tanquam hastæ subjiciant? quod Deo sacras personas inutiles, immo statui politico summe noxias pronuncient? quod tot pias majorum *fundationes Canonicatus,*

& *Episcopatus* ut in ordinem *secularem* redigantur, persuadere conentur? Talia modo passim & palam scribunt, & præfixo *principiorum status politici* titulo vendunt Acatholici, legunt (plus non dico) Catholici. Quod si ita est, Lutherum, Calvinum, cæterosque ultimorum temporum hæresiarchas lumine naturæ quam excellentissimo & incomparabili præditos fuisse dicemus, qui tam insignem in Germania & Gallia religionis stragem ediderunt, qui integros devorarunt Episcopatus, qui sacra omnia conculcarunt. Hæc pauca de erroribus quorundam in tradenda Juris disciplina heic adducenda videbantur (plura inveniri poterunt in præclaro opere de Jure naturæ ac gentium Ignatii Schwarzii) ne ut cum D. Augustino loquar, *dum tacemus, errorem approbare videamur.*

## §. II.

### *Errores quidam in discenda Jurisprudentia.*

### LVIII.

In nobilissimo Jurisprudentiæ studio non paucis, iisque Viris longa experientia doctis non placet nimia & inconsulta ali-

que-

quorum festinatio. Vix humanioribus literis ac Musis valedicitur, Philosophia in limine solum salutata, & Logicæ duntaxat ac Metaphysicæ quæstionibus aliquot perceptis, sine omni aut certe cum levissimo rerum physicarum, mathematicarum, & moralium adparatu, sine ullo eruditionis & solidæ ratiocinationis, quod pessimum est, præsidio juvenum quidam gravissimo Jurisprudentiæ studio adplicantur. Tum ubi per duos, aut tres summum annos inter plurimas alias animi partim relaxationes partim evagationes utriusque Juris compendium aliquod manibus tritum, & quæstionum elenchus memoriæ mandatus est, post brevissimam quam dicunt praxin jam ad tribunalia patet accessus, jam causarum patrocinia suscipiuntur, jam publica, quibus justitiæ administratio adnexa est, officia vel parentum importunis precibus, vel Magnatum favoribus, vel omnino pecuniis comparantur. Sed non est hæc via regia. Magna philosophiæ, præsertim quæ de moribus agit, scientia, multiplici rerum experientia, & eruditionis copia, maturo limatoque judicio opus est iis, qui sacræ Themidi operam navare, multoque magis, qui ejusdem sacerdotio fungi cupiunt. At sunt, apud quos rerum

iſtarum penuriam, & curtam, quæ domi eſt, Juris ſcientiæ ſupellectilem ſupplere dicuntur optimi quique libri, qui Juris arcana complectuntur; & quales amabo optimi hi libri ſunt? Huic interrogationi non e privata opinione mea, ſed e publico magni illius Critici, Ludovici Vives teſtimonio atque judicio reſponſum dabo: „ Habent, inquit iſte „ (y), habent ornatum, cultum, elegan-„ tiam, ſplendorem ſemonis. Admiſcent „ tamen his tam ſalutaribus pernicioſa „ non pauca, & quaſi venenum melle, „ aut ſuaviſſimo vino temperant: ſcru-„ pulos & ſuſpiciones de rebus pietatis, „ quodque gravius eſt, deriſum etiam „ apertum, & nonnunquam etiam inſecta-„ tionem. Nam ut eorum (ſcilicet ſcri-„ ptorum) curæ ac cogitatus ad ambi-„ tionem referebantur, vel quæſtum, „ ea ſequebantur modo, per quæ vel „ pecunia parari vel honor poſſet. Ei „ qui ſcit eſſe damnoſa hæc, quique ea „ cognoſcit, fortaſſis nihil foret pericu-„ li, per hæc ingredi: quin ſapientes „ viri haud ſecus noxiis utuntur in-„ terim contra noxia, ac periti medici „ venenis contra venena. Periculoſa „ ſunt tamen hæc curioſis: quales illi

„ ſunt,

(y) *Lib. I. de tradendis diſciplinis.*

„ ſunt, qui non dubitant cicutam gu-
„ ſtare & experiri, cujus ſit ſaporis,
„ id quod hominem extinguit. Item
„ imperitis, incautis, qui dextere
„ uti neſciunt. Eſſet omnino conſul-
„ tiſſimum propter infirmitatem & te-
„ nebras noſtri ingenii hæc eſſe expur-
„ gata, ut nulla occaſio nocumenti fo-
„ ret reliqua: vel ut in iis demum cam-
„ pis verſaremur, in quibus ſolæ herbæ
„ utilitatis cujusquam, aut honeſtæ vo-
„ luptatis creſcerent a probo & prudenti
„ agricola illuc ſatæ, ex tutis viridariis
„ ſanctæ Religionis deſumtæ, aut quæ
„ convenirent, ex periculoſis agris huc
„ translatæ, tanquam theſauri Ægyptio-
„ rum ad ornatum templi converſi „.
Hucusque Vives.

Quod de libris judicium, idem de peregrinationibus, in exteras regiones ad Jurisprudentiam addiſcendam ſuſceptis, ferunt non pauci, utpote quæ non raro magnis ſumtibus fiunt, & majore cum periculo. Utinam non triſtis experientia doceret, præter ſuperficiem Jurisprudentiæ ideas depravatas de vera religione, male ſana dogmata de rebus ad fidem Catholicam, & Traditiones antiquiſſimas pertinentibus, principia pſeudo-politica, contemptum extremum re-

rum, personarum, & jurium Ecclesiasticorum, libertatem vitæ, ac morum corruptelam, tanquam præclaras merces ex hujusmodi literarum emporiis in patrium solum reportari. Ajunt quidem peregrinationum istarum patroni, abesse omne periculum, quum illis in Athenæis solum doctrina juris, ab omnibus Religionis controversiis, quas lites Scholasticorum vocant, abstracta proponatur, relicta cuivis secundum suam, quam elegit, opinandi vivendique libertate. Sed quod hæc dicantur, scio: an fiant etiam, nescio, immo vehementer dubito. Si quidam calamo & in libris publice spargant tam periculosas, ut vidimus, doctrinas, quid facient ore, ac privatos intra parietes? Non ita pridem contigit, quod in Academia Jenensi, dum publicus celebraretur consessus, atque in eo docta quædam pro more dissertatio producenda esset, auctor illius ad invidiam Pontificibus creandam sequentes propositiones, ac si a Catholicis ipsis docerentur, crederenturque, in medium protulerit, typis postea vulgatas: nimirum primo: S. Petri in Romana cathedra Successores totius terrarum orbis, universique humani generis Christi Vice-Dominos esse, nec plus potestatis & juris Reges ac Principes

cipes seu profanos seu Ecclesiasticos habere, quam quantum Pontifex velut precario ipsis concesserit. Secundo, unum esse solummodo Regem in mundo, unumque Episcopum, nempe Romanum Pontificem, a quo universi cum Reges tum Episcopi omnem jurisdictionem ac potestatem traditam acceperint. Tertio, omnes Gregorii VII. Successores non modo Antistitum jura sensim diminuisse, sibique attribuisse, sed etiam Reipublicæ civilis Gubernatores suis subjecisse legibus: inde factum, ut non Ecclesiæ tantum, sed totius terrarum orbis imperium sibi jam Seculo XII. vindicarint Pontifices Romani. Verum tam apertæ calumniæ aliud non merentur responsum, quam illud Regii Vatis (z): *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Nihil heic scribo, quod non hausi ex eorum commercio, qui operam Juris scientiæ in hisce Athenæis dedere: quod non ipsorum aliqui post reditum prudentiores effecti mihi fatebantur: quod non legi in libris, quos vir quidam primæ nobilitatis tanquam cimelia secum e terris istis peregrinis secum attulit, magno labore privato a se conscriptos, in quibus gra-

(z) *Psalm.* 26.

graves omnino, multasque Professoris, a quo excepit, hallucinationes, religioni, sanæ doctrinæ, ac morum integritati adversantes eo non invito notavi, ac palam feci. Patet igitur ex his, quam præclaras atque sinceras de religione sua ideas a fortunatis his insulis domum redux secum adferat juventus Catholica.

## §. III.

### *Nævi in administranda justitia.*

### LIX.

Non solum in docenda, discendaque Jurisprudentia, sed etiam in administranda justitia, qui ultimus denique terminus est Jurisprudentiæ, nævos quosdam, velut in sole maculas, deprehendit melior Critice, quos non dissimulant vel ipsi hac in palæstra multum exercitati Jurisconsulti, & de quibus scientiæ hujus candidatos sedulo admonendos esse censent. Primo ajunt: non parum peccant illi, qui omnem scientiæ istius vim atque virtutem in legum subtilitatibus, quas *Juris apices* vocant, rimandis & verborum cortice explicando positam esse arbitrantur, dimissa ex oculis Legislatoris men-

mente, bona fide, ac æquitate naturali. Equidem verum eſt, in legum interpretatione ad verba reſpiciendum eſſe, quorum miniſterio ad exprimenda ſenſa ſua utuntur Legislatores: unde etiam in utroque Jure tam ſacro quam profano peculiares *de verborum ſignificatione* tituli ponuntur. Verum hujus rei ſtudio non ita acquieſcere oportet, ut non ultra progrediatur Jurisconſultus, & ad mentem Legislatoris, atque ad *æquum & juſtum*, quod in condendis legibus ille ſibi propoſuit, penetrare conetur. Mens enim legislatoris *anima legis* nuncupatur, & æquitas *juſtitiæ norma* eſt: utraque vero tum e verbis, tum & vel maxime e materia ſubjecta, circumſtantiis, cauſſa movente, & fine præfixo petenda eſt. Certe legislator quod æquum eſt, ſpectaſſe, & quod contra æquitatem eſt, nec ſtatuiſſe, nec ſi hæc nimis clare reluceat, ſtatuere potuiſſe cenſendus eſt. Æquitas autem ut plurimuum a circumſtantiis cauſæ pendet, quibus mutatis & ipſa mutatur, vel omnino eſſe deſinit. Nota hæc ſunt vel Jurisprudentiæ tyronibus, quibus in ipſo limine tanquam prima principia inſtillantur: *non eſſe ſemper attendendum ad legum apices: mentem legislatoris eſſe animam legis: non hæren-*

dum

*dum in cortice verborum ; sed nucleum veritatis quærendum : in omnibus æquum & bonum esse spectandum.* Verum quoties non, quum ad rem ipsam acceditur, id quod contrarium est, fieri videmus?

*Video meliora, proboque,*
*Deteriora sequor.*

ubi de testamento, de pingui hæreditate, de feudo, de possessione bonorum & redituum, de jure decimarum agitur, quantus leguleiorum & causidicorum numerus, quantus scripturarum & Actorum adparatus, quanta actionum, legum, & interpretationum sylva comparet! ad tertiam, quartam, & quintam ut vocatur *replicam* pervenitur : ad secundam & tertiam *instantiam* reducitur: interea audiendo partium litigantium cavillationes prolongantur conventus, instituuntur consultationes, habentur interlocutiones, novæ actiones intentantur, *punctum* vero *juris* in tanta rerum varietate ac perturbatione relinquitur, aut omnino deperditur, totaque res ad legum apices investigandos perducitur, non raro extra orbitam saltatur, ac demum vel male concluditur, ac pejus judicatur, vel lites, quæ modicum intra tempus æquum & bonum præ oculis habendo finiri potuissent,

non

non ſine graviſſimo partium litigantium damno, ac ſumtuum diſpendio per plures annos extrahuntur. Luctuoſa res! quam melius ageretur, ſi primum quidem ubi lis amice componi, & tranſigendo inter partes finiri nequit, exacta & ſincera *facti ſpecies*, ut adpellant, conſtituatur, e quo plerumque totius rei ſumma & æquitatis æſtimatio pendere ſolet: tum audiantur utriusque partis momenta, & inſtrumenta inſpiciantur: poſtmodum vero leges hinc & inde in medium allatæ probe ponderentur, an cauſæ faveant, an repugnent. Quodſi claræ fuerint, earumque interpretatio cum mente legislatoris perſpicue ac citra prudens dubium conveniat, acta res eſt, ſententia feratur. Si vero perpenſis omnibus nec pro hac, nec pro illa parte firmum in legibus veſtigium certumque judicium inveniatur, aut iſtæ variis exceptionibus utrinque ſint obnoxiæ, tum vero relictis Cauſidicorum velitationibus, & præciſis contentionum ulteriorum ambagibus ad æqui & juſti normam de toto negotio decidatur ac pronuncietur. Ita ſane fieret & temporis, & ſumtuum, & litium grande compendium cum manifeſta tum reipublicæ, tum privatorum hominum utilitate, ac juſtitiæ celeriter adminiſtrandæ

dæ emolumento. Hac profecto ratione rem agebant veteres Jurisconſulti, quorum officium teſte Gregorio Toloſano, viro Juris peritiſſimo, in quatuor potiſſimum capitibus poſitum erat: „ Primo „ judiciorum actionumque omnium for„ mulis præerant (a). Secundo cave„ bant, hoc eſt, conſilium clientibus „ ſuis fidele dabant, ut in contractibus „ ſecuriores tutioresque eſſent (b). Ter„ tio, ſi lex legi obſtabat, id eſt, quan„ do caſu & eventu inter ſe pugnabant, „ vel lex ſcripta nimis dura erat, & „ æquitati adverſabatur, vel cum more „ Majorum, & conſuetudine contende„ bat, ipſi interpretabantur & concilia„ bant. Quarto denique, ſi neque lex „ exſtabat, neque teſtamenta, vel pa„ ctiones eſſent, ipſi de jure, quid „ æquum bonumque eſſet, interrogati „ reſpondebant „.

## LX.

Secundo loco peccant illi, qui heterodoxorum placita & dogmata, contra quam conſcientia dictat, ſequentes Eccleſiæ jura, etiam ſatis manifeſta, nullo in pretio ha-

(a) *L. Barbarius Philippus ff. de officio Prætoris.* (b) *L. 3. ff. de transactionibus l. 53. §. 1. ff. de actione empti.*

habent, sed cum Oza ad Arcam Dei manus extendunt, non ad eam sustentandam, sed subruendam. Horum quidam ne aperta fronte cum hæreticis sentire videantur, agnoscunt quidem Jus aliquod Canonicum seu Ecclesiasticum, sed quod illud? nempe quod & quatenus ad dilatandam potestatem profanam, constringendamque Ecclesiasticam ipsis servit, qua in re sequi videntur Danielem Kayserum, Choburgensem Jurisconsultum, qui palam pronunciare non veretur (c): *Non utimur jure Canonico in gratiam Pontificis Romani, aut in recognitionem superioritatis. ut ANTICHRISTO OCCIDENTALI aliquod imperium in nos concedamus, vel illius errores approbemus, sed utimur jure Canonico tanquam jure nostro.* Nimirum maximam potestatis in sacra, & jura Ecclesiastica partem turpi adulatione ac incivili furto Pontificibus, Episcopis, ac Præsulibus auferunt, eamque in Principes profanos transferunt. Sed quo jure? Jus suum cuique tribuit. Nimis clara sunt, quæ passim in hoc libro de jure sacro & profano tanquam rebus distinctis tum ex historia, tum ex utroque foro prodidi monumenta. Neminem latet in historia non peregrinum, quam

(c) *In succincta Juris historia.*

quam funestas in Germania & Italia per Henricos & Fridericos tragœdias excitarit sacrorum contra jus usurpatio: neminem latet, hanc fuisse potissimum caussam defectionis, hæresis, perturbationis, ac gravissimorum bellorum per secula plus quam duo in Imperio, & nobilissima natione Germanica, quando Lutherus, ut objecto bolo pinguissimo inescaret Principum animos, in Papam & Sacaerdotium insurrexit, omnemque potestatem in sacra, in jura, in bona Ecclesiæ iisdem adjudicavit, ita uti si penes ipsum stetisset, totum D. Petri patrimonium devorandum concessisset: neminem latet, quanta felicitate, quam ampla dominatione terrena, quam copioso fœnore cœlesti fuerint cumulati Principes in Deum & Ecclesiam liberalissimi, & jurium sacrorum non secus ac suorum vindices ac defensores, Constantinus M. Carolus M. Lotharius Pius, Henricus sanctus &c. Quis est, qui non intelligat, quanta rerum & dominiorum perturbatio oriretur, si passim Principes unus in alterius jura involaret? & quæ non mala gravissima oriri necesse est, si sacra profanis, & profana sacris misceantur, tanto a se invicem intervallo sejuncta? Sinenses, gens si quæ alia bene guber-

nan-

nandi arte inclyta Tartaricum & Sinense regnum ingenti latissimeque patente muro sejunxerunt. Si ejusmodi murus sacram inter & profanam potestatem intercederet; si *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo* tribuantur; felicissima erit Christiana Respublica, mutuisque se incrementis perpetuo conservabit. Non me latet, quid ad hæc respondeant Jurisperiti quidam, potissimum Acatholici: exemplis invidia plenis demonstrare conantur, Pontifices ac sacros Antistites non raro in jura Principum involasse, ac potestatem & jurisdictionem in sacra æque ac profana sine discrimine sibi arrogasse, totumque veluti mundum suis subjecisse pedibus. Nolim heic omnium facta excusare, nec excusant etiam scriptores Catholici integræ fidei ac veritatis amantes, quamvis exempla ab Acatholicis adducta plerumque sint vel figmentis, vel documentis minus sinceris, ac sinistris interpretationibus, vel omnino calumniis referta. Illud assero, Principum esse, si quæ jura eorum a quocunque demum violentur, illa vindicare: idcirco enim sceptrum & gladium portant, tum ad regendum alios, tum ad se suaque defendendum: non autem esse privatorum, sæpe infimæ sortis scriptorum, perpetuo

calamum plus felle quam atramento plenum ſtringere in ſacra, quæ ipſi Principes Catholici ſumme venerantur, Capita: jura illis ſua, & in Jure Canonico & in Civili probe fundata violenter eripere velle, ac in Republica Eccleſiaſtica Dictatores agere. Valeat heic præclarum Nicolai I. Pont. Max. effatum, dum ad Michaelem Imperatorem Orientis in epiſtola contra Photium Patriarcham ad illum data (d) ita loquitur: *Antequam Jeſus Chriſtus veniret, dabantur Reges ſimul & ſacerdotes, qualis erat Melchiſedech: illudque diabolus imitatus eſt in Imperatoribus Gentilibus, qui etiam ſummi Pontifices erant. At poſtquam in mundum miſſus eſt ille, qui proprie Rex eſt & Pontifex, non amplius Imperatores jura Pontificum invaſerunt, nec Pontifices jura Imperatorum. Jeſus Chriſtus ambas poteſtates ita ſeparavit, ut Imperatores auxilio Pontificum ad conſequendum vitam æternam, & Pontifices in negotiis ſecularibus Imperatorum legibus uterentur.*

Tertio demum loco admonendi veniunt Juſtitiæ adminiſtri, ac Themidis ſacerdotes magni, qui vel intra ſubſellia cauſas Clientum agunt, vel e tribunali ſententias

(d) *Apud Fleury Tom. 12. l. 1. ad an. Chr. 865.*

tias pronunciant, admonendi inquam veniunt gravissimi simul ac periculosissimi muneris sui, ne vel partium studio, vel præpotentium timore, vel muneribus a recto juris dicundi tramite avelli aut excæcari se permittant. hinc dudum cecinit Ovidius (e):

*Inde datæ leges, ne fortior omnia possit.*

Et Petronius Arbiter:

*Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?*
*Aut ubi paupertas vincere nulla potest?*

Nil possunt leges, nil juris seu scientia seu prudentia prodest, si non æqua incorruptaque bilance administretur justitia. Justitiam inclamant Clientes, justitiam spondent Causidici, justitiam profitentur Judices. Nihilominus quantæ non inter viduas, pupillos, pauperes, ac partes litigantes querelæ de justitia negata, protracta, depravata!

*Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Discite justitiam Juris Studiosi, docete justitiam Jurisconsulti, administrate justitiam Judices: cogitate omnes, altius

adhuc esse tribunal, scilicet supremi Numinis, coram quo omnia inferiora, seu humana, profana & Ecclesiastica tribunalia olim comparere, rationem exactam reddere, severissimum sustinere judicium debebunt; coram quo non solum injustitiæ, sed etiam justitiæ judicabuntur, id est, sententiæ, quæ apparebant justæ, sed non erant, vel deficiente scientia, & cognitione causæ, vel fraude ac dolo interveniente.

# INDEX
## RERUM ET VERBORUM
### *LIBER XI.*

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

## A.

*Administratio justitiæ qua ratione a priscis Jurisconsultis inita fuerit.* L. 11. N. 59.
*Adulatio Scriptorum Acatholicorum, dum jus in sacra tribuunt Laicis Principibus & Magistratibus.* L. 11. N. 60.
*Ædiles curules apud Romanos.* L. 11. N. 11.
*Æmulatio de Imperio C. Julii Cæsaris, & Cnei Pompeii.* L. 11. N. 11.
*Æquitatis & justitiæ integritas commendatur.* L. 11. N. 60.
*Æqui & Boni ratio prima in judicando habenda est.* L. 11. N. 59.
*Archiepiscoporum potestas & dignitas.* L. 11. N. 38.
*Pallii auctoritas & usus.* L. 11. N. 38.

## B.

*Bulla Aurea Caroli IV.* L. 11. N. 53.
*Bullarium magnum, ejusque auctoritas.* L. 11. N. 47.

## C.

*Cancellaria Romana: ejus Regulæ.* L. 11. N. 47.
*Canones Apostolorum, & Constitutiones Papæ Clementis.* L. 11. N. 13.
*Examinatur, utrum Canones illi vere ab Apostolis fuerint confecti.* L. 11. N. 25.
*Canones Pœnitentiales.* L. 11. N. 25.
*Canonicorum origo antiquissima.* L. 11. N. 39.
*Alii Cathedrales, alii Collegiatæ Ecclesiæ: alii Regulares, alii seculares.* L. 11. N. 39.
*Capitulatio Cæsarea.* L. 11. N. 53.
*Cardinalium Origo, & numerus.* L. 11. N. 37.
*Eorundem dignitas & officium.* L. 11. N. 37.
*Censores Romani: eorum officium.* L. 11. N. 11.

*Cice-*

*Ciceronis testimonium de Jurisperitis.* L. 11. N. 3.
*Circuli Imperii: eorum conventus.* L. 11. N. 51.
*Clementinæ Constitutiones curante Clemente V. & Joanne XXII.* L. 11. N. 28.
*Codices duo Gregorii & Hermogeni.* L. 11. N. 14.
*Codex Theodosianus.* L. 11. N. 14.
*Codex Justinianæus.* L. 11. N. 31.
*Codex repetitæ lectionis.* L. 11. N. 31.
*Codicis duo beneficia; doctrina juris ordinata, & litigiorum proscriptio.* L. 11. N. 31.
*Collectiones variæ Sanctionum Ecclesiasticarum & Pontificiarum Constitutionum.* L. 11. N. 23.
*Collectores juris Ecclesiastici.* L. 11. N. 23.
*Collectores Decretalium.* L. 11. N. 26.
*Collegium Principum S. R. J.* L. 11. N. 50.
*Collegium civitatum liberarum S. R. J.* L. 11. N. 50.
*Comitium locus in foro Romano.* L. 11. N. 50.
*Comitia curiata, centuriata, & tributa.* L. 11. N. 10.
*Comitia generalia Imperii, eorumque jura.* L. 11. N. 51.

*Communitas familiæ; communitas civilis.* L. 11. N. 21.

*Concilia Apostolorum: Leges & Canones horum Conciliorum.* L. 11. N. 12.

*Conciliorum Ecclesiasticorum summa auctoritas.* L. 11. N. 42.

*Concilia alia sunt* Universalia *seu Generalia: ex his quædam legitima seu Oecumenica, quædam reprobata, quædam partim approbata, partim reprobata.* L. 11. N. 42.

*Alia sunt* particularia: *ex his quædam nationalia, quædam provincialia, quædam diœcesana.* L. 11. N. 42.

*Conciliorum origo & utilitas.* L. 11. N. 42.

*Caussæ convocandi Concilia: 1. Orta hæresis. 2. Schisma inter Pontifices. 3. Metus a Turcis &c. 4. Suspicio hæresis in Pontifice. 5. Abusus & vitia Ecclesiasticæ disciplinæ.* L. 11. N. 42.

*Concilium ut sit infallibile, requiritur. 1. ut legitime sit congregatum. 2. cura & industria in rebus examinandis. 3. confirmatio Papæ.* L. 11. N. 43.

*ad Concilium non sunt vocandi Laici, ut Suffragium ferant, aut judices sint.* L. 11. N. 43.

Con-

*Concilium si est legitimum & confirmatum; non potest in quæstionem vocari diligentia Patrum in examinandis articulis.* L. 11. N. 43.

*Concilii celebrandi imago & forma ex Actis Apostolorum.* L. 11. N. 44.

*Concilii Tridentini descriptio.* L. 11. N. 46.

*Congregationes varias Romæ erigendi caussa.* L. 11. N. 45.

*Congregationes Romæ præcipuæ: Congregatio Concilii Tridentini: S. Officii seu Inquisitionis. Super negotiis Episcoporum & Regularium: Immunitatis Ecclesiasticæ: SS. Rituum: de propaganda fide: Indicis librorum; de Indulgentiis & SS. Reliquiis.* L. 11. N. 45.

*Conringii Acatholici testimonium pro D. Thoma, & Theologis circa doctrinam Juris Naturalis.* L. 11. N. 56.

*Consilium intimum Cæsareum.* L. 11. N. 52.

*Consilium Imperiale Aulicum.* L. 11. N. 52.

*Constitutionum sex species: Leges, Plebiscita, Senatus Consulta, Placita Principum, Prætorum edicta Responsa Prudentum.* L. 11. N. 14.

*Corpus Juris Canonici cum suis partibus.* L. 11. N. 26. &c.

*Corpus Juris Civilis cum suis partibus.* L. 11. N. 31. &c.
*Cujacius J. C. emendavit libros feudorum.* L. 11. N. 35.

## D.

*Decemviri interpretes XII. Tabularum.* L. 11. N. 11.
*Decretum Gratiani.* L. 11. N. 13.
*Decreti Gratianæi synopsis, ejusque auctoritas.* L. 11. N. 24.
*Decretalium libri.* L. 11. N. 13.
*Eorundem synopsis & auctoritas.* L. 11. N. 27.
*Decretalium liber VI. auctore Bonifacio VIII.* L. 11. N. 28.
*Decretalium liber VII.* L. 11. N. 28.
*Deus mundo condito primus exercuit jus.* L. 11. N. 4.
*Ejus solius est supremo jure leges condere.* L. 11. N. 4.
*Dictatoris Romani potestas.* L. 11. N. 11.
*Diffidationes in Comitiis Wormatiensibus sublatæ.* L. 11. N. 53.
*Dissertatio insolens in Academia Jenensi.* L. 11. N. 28.

*Divi-*

*Divisio juris in sacrum & profanum : hujus primordia.* L. 11. N. 5.

## E.

*Ecclesia Catholica : extra hanc nullus ordo hierarchicus, sed mera confusio.* L. 11. N. 41.
*Episcoporum nominis etymon : Cathedra Episcopalis.* L. 11. N. 39.
*Eorundem munus apud ethnicos & Christianos.* L. 11. N. 39.
*Ercifcundi seu Miscelliones.* L. 11. N. 31.
*Errores multiplices & falsa dogmata Acatholicorum refelluntur e claris textibus juris civilis.* L. 11. N. 57.
*Extravagantes Joannis XXII.* L. 11. N. 28.

## F.

*Ferdinandus I. Imp. non sine lacrymis subscribit Paci Religiosæ.* L. 11. N. 53.
*Feuda seu consuetudines Feudorum.* L. 11. N. 35.
*Origo nominis & historia Feudorum.* L. 11. N. 35.
*Feudalis juris utilitas & necessitas.* L. 11. N. 35.

Con-

*Consuetudines feudales collegerunt Consules Mediolanenses Gerardus Niger, & Obertus de Orto.* L. 11. N. 35.

*Feuda Regalia, eorumque investiturae.* L. 53. N. 53.

*Fides in Christum ante ac post legem Mosaicam necessaria fuit ad salutem.* L. 11. N. 19.

*Fleischeri doctrina perversa de praeceptis naturalibus.* L. 11. N. 55.

G.

*Gratiani imago, encomium & epitaphium.* L. 11. N. 13.

*Gratianus consilium dat inducendi in Academias gradus Baccalaureatum, Licentiatum & Doctoratum.* L. 11. N. 13.

*Gregorii IX. Papae commendatio Juris Ecclesiastici in proœmio Decretalium.* L. 11. N. 1.

H.

*Hierarchia Ecclesiastica: eam dari ostenditur.* L. 11. N. 37.

*Hierarchiae Ecclesiasticae supremum caput est Pontifex.* L. 11. N. 37.

*Hobbesii perversa doctrina de praeceptis Evangelicis.* L. 11. N. 20.

*Homo secundum omnem sui considerationem juri subjacet.* L. 11. N. 2.

## I.

*Imaginum Sanctarum cultus.* L. 11. N. 12.
*Imperatoris dignitas, personæ, & prærogativæ.* L. 11. N. 50.
*Imperatoris & Regis Romani electio.* L. 11. N. 50.
*Imperatoris coronatio.* L. 11. N. 50.
*Imperatoria insignia custodiuntur Norimbergæ.* L. 11. N. 50.
*Imperatoris primæ preces.* L. 11. N. 50.
*Imperium in decem circulos divisum.* L. 11. N. 51.
*Innocentius X. per bullam solemnem intercedit Paci Westphalicæ.* L. 11. N. 53.
*Institutiones Juris, eorumque auctor Justinianus, adjuvantibus Triboniano, Theophilo, & Dorotheo Juris Consultis.* L. 11. N. 33.
*Institutiones Juris, e quibus fontibus fuerint confecti.* L. 11. N. 33.
*Institutionum synopsis.* L. 11. N. 33.
*Institutiones Juris Ecclesiastici auctore Lancelloto.* L. 11. N. 28.
*Josaphat, Regis Juda, insigne exemplum de administrando jure sacro & civili.* L. 11. N. 8.

*Irne-*

*Irnerius J. C. interpretatur publice Pisis & Bononiæ Jus Justinianæum.* L. 11. N. 15.

*Israeliticus populus solus tenebatur lege Mosaica.* L. 11. N. 19.

*Judicium cameræ Imperialis.* L. 11. N. 52.

*Judicium Comitis Palatini.* L. 11. N. 52.

*Judicium Rottwilanum.* L. 11. N. 52.

*Judicium Austregæ dictum.* L. 11. N. 52.

*Juris & Justitiæ elegans imago, in qua illius dotes exprimuntur.* L. 11. N. 1.

*Jurisprudentia est munus Dei.* L. 11. N. 2.

*Justitiæ Antistes Astræa.* L. 11. N. 2.

*Jurisperiti dotes: ingenium, judicium, usus & experientia, eruditio.* L. 11. N. 3.

*Juris Doctorum insignia purpurea instar Regum.* L. 11. N. 3.

*Jurisprudentiæ prima periodus a prima mundi ætate usque ad Mosis, Regum ac Rerumpublicarum tempora.* L. 11. N. 4.

*Jurisprudentiæ secunda periodus a Mose usque ad Christi adventum.* L. 11. N. 7.

*Jurisprudentiæ tertia periodus a Christi adventu usque ad hæc tempora.* L. 11. N. 12.

Juris

*Juris naturalis principia duo, e quibus reliquæ leges oriuntur.* L. 11. N. 4.
*Jus sacrum in familia Set & Enoch: Jus civile in familia Cain.* L. 11. N. 5.
*Jus naturale ac supernaturale circa diluvii tempus vix non extinctum: post diluvium fuit instauratum a Noemo.* L. 11. N. 6.
*Jus sacrum fuit conservatum in familia Sem, & Abraham.* L. 11. N. 6.
*Jus profanum viguit in familia reliquorum Noemi filiorum.* L. 11. N. 6.
*Jus naturale ac divinum fere penitus fuit obscuratum per idololatriam.* L. 11. N. 6.
*Jus naturale ac divinum a Deo per Mosen instauratum in tabulis Decalogi.* L. 11. N. 7.
*Jus civile veteris Testamenti in Deuteronomio.* L. 11. N. 7.
*Jus legis Mosaicæ tum per Pontifices & Judices, tum per Reges, tum per Prophetas fuit administratum.* L. 11. N. 8.
*Jus administrandi forma in lege Mosaica.* L. 11. N. 8.
*Juris Politici origo apud varias gentes sub ipsorum Regibus.* L. 11. N. 9.
*Juris Romani initia.* L. 11. N. 10.
*Jus civile Papyrianum.* L. 11. N. 10.

*Juris profani incrementa.* L. 11. N. 14.
*Juris Consulti Veteres.* L. 11. N. 14.
*Jus Justinianæum in Occidente collapsum, in Oriente neglectum.* L. 11. N. 15.
*Introductum in Germaniam, confirmatum, ac præscriptum a Maximiliano Imp.* L. 11. N. 15.
*Juris naturæ descriptio ex Aristotele, Cicerone, & Gratiano.* L. 11. N. 17.
*Jus naturæ ac lex æterna in quo consistat.* L. 11. N. 17.
*Juri naturæ soli homines subjecti sunt, non item animalia.* L. 11. N. 17.
*Juris naturæ principia generalia, & quæ ex his deducuntur.* L. 11. N. 17.
*Principia particularia de officiis erga Deum, erga seipsum, erga proximum.* L. 11. N. 17.
*Jus naturale mutari non potest.* L. 11. N. 17.
*Jus naturæ ac gentium sunt diversa jura: in quo consistat jus gentium.* L. 11. N. 18.
*Juris gentium duplex consideratio, cum pacto, & sine pacto.* L. 11. N. 18.
*Juris humani fundamentum humana societas.* L. 11. N. 21.

*Juris Oeconomiæ tres partes : Societatis, Casus, Remedia : explicantur singula.* L. 11. N. 30.

*Juris Consultorum æmulatio & invidia.* L. 11. N. 31.

*Jus inforciatum.* L. 11. N. 32.

*Juris publici civilis studium a priscis neglectum.* L. 11. N. 49.

*In Jure naturæ ac gentium, & publico explanando artes quorundam Acatholicorum minus sinceræ.* L. 11. N. 54.

*Criminationes eorundem contra Patres ac Theologos circa doctrinam Juris naturæ.* L. 11. N. 54.

*Jus naturale a supernaturali violenter separant Acatholici Scriptores non sine gravissimis erroribus.* L. 11. N. 54.

*Juris naturalis cum supernaturali arcte connexi exemplar luculentum.* L. 11. N. 45.

*Jus Ecclesiasticum veteris Testamenti in libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii.* L. 11. N. 7.

*Jus sacrum & profanum distinguitur a fine, ad quem utrumque tendit.* L. 11. N. 30.

*Jus populi Judaici ad alias gentes propagatum.* L. 11. N. 8.

*Jurisdictionis Ecclesiasticæ initia in novo Testamento.* L. 11. N. 12.

*Jus sacrum scriptum & non scriptum.* L. 11. N. 12.

*Juris sacri incrementum.* L. 11. N. 13.

*Jus Canonicum quod a primo seculorum usu alienum sit, falso criminantur quidam Acatholici.* L. 11. N. 22.

*Jurisdictio Ecclesiastica exercita primis Ecclesiæ temporibus.* L. 11. N. 22.

*Eadem confirmata ab Imperatoribus.* L. 11. N. 22.

*Jurisdictionem Pontificibus Wicleffus, Lutherus, aliique eripere conantur, sed frustra.* L. 11. N. 22.

*Jus publicum Ecclesiasticum versatur 1. circa caput & membra Hierarchiæ. 2. circa Concilia. 3. Circa Tribunalia Curiæ Romanæ. 4. Circa leges Ecclesiastieas universales.* L. 11. N. 36.

*Juris publici Ecclesiastici commendatio: hujus Scriptores celebriores.* L. 11. N. 48.

*Justinianus Codicem, Digesta seu Pandectas & Institutiones condit.* L. 11. N. 15.

*Ejus imago & elogium.* L. 11. N. 15.

*Justi-*

*Justiniani commendatio Juris Civilis in Præfat. Institutionum.* L. 11. N. 1.

K.

*Kayseri (Danielis) insolens de Jure Canonico effatum.* L. 11. N. 60.

L.

*Lancellotus insignis Juris Consultus.* L. 11. N. 2.

*Legislatores veteres suas leges alicui Numinis afflatui adscripserunt.* L. 11. N. 4.

*Legislatores primi profani e Decreto Gratiani recensentur.* L. 11. N. 9. & 30.

*Leges gentilium & Romanorum: leges Imperatorum ethnicorum.* L. 11. N. 30.

*Leges tyrannorum: leges Christianorum.* L. 11. N. 30.

*Leges Imperii Romano Germanici.* L. 11. N. 53.

*Leo Imp. & Filius Constantinus novum corpus juris condunt.* L. 11. N. 15.

*Lex supernaturalis per fidem, spem, & charitatem.* L. 11. N. 4.

*Lex privata prima in paradiso promulgata Adamo & Evæ.* L. 11. N. 4.
*Lex Matrimonii.* L. 11. N. 4.
*Lex matrimonii confirmata.* L. 11. N. 6.
*Lex vetans esum carnis cum sanguine.* L. 11. N. 6.
*Lex Circumcisionis.* L. 11. N. 6.
*Lex Mosaica ultra* 700. *ante Romam conditam, & ultra* 1000. *ante jus XII. Tabularum.* L. 11. N. 8.
*Legis Mosaicæ perturbatio sub Rege Antiocho.* L. 11. N. 8.
*Leges Curiatæ.* L. 11. N. 10.
*Lex Regia.* L. 11. N. 10.
*Eadem revocata sub Augusto Cæsare.* L. 11. N. 11.
*Legibus in ordinem redigendis initium quando datum fuerit.* L. 11. N. 14.
*Legum multitudo: librorum duo millia: versuum* 3000000. L. 11. N. 14.
*Lex novi Testamenti quando cœperit obligare.* L. 11. N. 19.
*Longobardi e Germania, maxime e Saxonia, feudorum jura & consuetudines in in Italiam secum attulerunt.* L. 11. N. 35.
*Lotharius II. Imp. resuscitat Jus Justinianaeum.* L. 11. N. 15.

*Lutherus negat Christi legem esse veram legem, & Christum fuisse Legislatorem.* L. 11. N. 20.

## M.

*Matricula Imperii.* L. 11. N. 51. & 53.

*Ministri Ecclesiæ inferioris Ordinis: Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, eorumque officia.* L. 11. N. 41.

*Monachi & Religiosi sunt membra Hierarchiæ Ecclesiasticæ.* L. 11. N. 40.

*Monachorum veterum institutum diversum a nostris temporibus.* L. 11. N. 40.

*Moses constitutus a Deo tanquam Legislator juris sacri & profani.* L. 11. N. 7.

## N.

*Naturæ triplex status proponitur & describitur.* L. 11. N. 16.

*Status naturæ integræ: ejus perfectiones ex parte corporis & animæ: aliæ dotes ac privilegia, donaque dei exteriora.* L. 11. N. 16.

*Status naturæ lapsæ & reparatæ: peccatum originale: bujus pœna: genus bumanum reparatum.* L. 11. N. 16.

*Status naturæ puræ: ejus possibilitas: doctrina Baii damnata: beatitudo bujus status: propagatio generis bumani.* L. 11. N. 16.

*Nicolai I. Pont. præclarum effatum de concordia secularis & Ecclesiasticæ potestatis.* L. 11. N. 60.

*Novellæ seu Authenticæ: earum numerus, & vis obligandi.* L. 11. N. 34.

*Novellarum Interpretes.* L. 11. N. 34.

*Numa Pompilius jus gentium propagavit.* L. 11. N. 10.

## P.

*Pallium Archiepiscopale.* L. 11. N. 38.

*Pandectæ seu Digesta, cur sic vocentur: earundem auctor.* L. 11. N. 32.

*Duo millia voluminum prisci Juris in quinquaginta libros contracta fuerunt, & in septem tractatus.* L. 11. N. 32.

Pan-

*Pandectarum, seu Digestorum synopsis.* L. 11. N. 32.

*Paraenesis ad justitiae Administros.* L. 11. N. 59.

*Papirius primus Juris Consultus.* L. 11. N. 10.

*Parochorum nominis etymon: institutio & munus.* L. 11. N. 39.

*Patriarcharum numerus & praerogativae.* L. 11. N. 38.

*Pax Religiosa.* L. 11. N. 53.

*Pax Westphalica.* L. 11. N. 53.

*S. Petrus caput Ecclesiae, & Praeses Conciliorum.* L. 11. N. 12.

*Platonis Respublica ordinata, ejusque leges.* L. 11. N. 9.

*Plebiscita quid fuerint.* L. 11. N. 11.

*Poenitentiae publicae mos & forma in antiqua Ecclesia.* L. 11. N. 25.

*Poenitentiae rigorem antiquum quidam in Gallia resuscitare conantur.* L. 11. N. 25.

*Pontificis primatus & infallibilitas.* L. 11. N. 37.

*Potestas Principum & Regum unde oriatur.* L. 11. N. 21.

*Potestas sacra sejuncta a potestate politica non est figmentum aut monstrum, ut hæretici calumniantur.* L. 11. N. 22.

*Præcepta triplicis generis in veteri lege: Moralia, Ceremonialia, Judicialia.* L. 11. N. 7.

*Ad moralia pertinebant tam naturalia quam supernaturalia.* L. 11. N. 19.

*Ad Ceremonialia pertinebant sacrificia, sacramenta, sacra, & observantiæ.* L. 11. N. 19.

*A Judicialia officia Principum & populi.* L. 11. N. 19.

*Præcepta juris divini partim sunt moralia, partim ceremonialia.* L. 11. N. 20.

*Judicialia nulla sunt a Christo instituta, sed relicta Ecclesiæ, ejusque jurisdictioni.* L. 11. N. 20.

*Præcepta juris divini non possunt mutari, nec proprie in illis dispensari.* L. 11. N. 20.

*Prærogativa apud Romanos quid fuerit.* L. 11. N. 10.

*Prærogativæ Juris Ecclesiastici præ Politico: Nobilitas, finis, præstantia Legislatoris, amplitudo rerum.* L. 11. N. 22.

*Prætores Romani; eorum munus.* L. 11. N. 11.

*Primatum dignitas in Ecclesia.* L. 11. N. 38.

*Principum erga Deum & Ecclesiam reverentium & liberalium felicitas.* L. 11. N. 59.

*Puffendorfii doctrina circa actionum honestatem ac inhonestatem.* L. 11. N. 55.

Q.

*Quæstio: an lumine naturali plus polleant Scriptores Catholici, quam Acatholici.* L. 11. N. 57.

*Querelæ de causis protelatis.* L. 11. N. 59.

R.

*S. Raymundi de Pennafort imago & encomium.* L. 11. N. 13.

*Religionis & justitiæ neglectus respublicas & regna brevi pessumdat.* L. 11. N. 30.

*Regimina politica varia, in quibus viget jus gentium.* L. 11. N. 18.

*Regimen benevolentiæ mutuæ, in primo mundi ævo.* L. 11. N. 29.

*Regiminis exemplum in familiis Abraham & Lot.* L. 11. N. 29.

*Regimen æqui & boni apud veteres.* L. 11. N. 29.

*Rogatio legis apud Romanos.* L. 11. N. 10.

*Romulus jus naturæ propagavit.* L. 11. N. 10.

*Romulus populum Romanum in decem curias dividit.* L. 11. N. 10.

*Rota Romana quid sit.* L. 11. N. 47.

*Rubricæ quid sint.* L. 11. N. 33.

S.

*Sacerdotum potestas, & jus Pontificum apud ethnicos.* L. 11. N. 22.

*Sacerdotes seu Presbyteri non sunt ejusdem ordinis cum Episcopis.* L. 11. N. 40.

*Scholæ utriusque Juris in veteri Testamento: discipuli, Doctores.* L. 11. N. 8.

*Scholæ quatuor Juris Consultorum: primæ caput Irnerus; secundæ Azo: tertiæ Accursius: quartæ Bartolus.* L. 11. N. 35.

*Scien-*

*Scientiæ juridicæ vis non est posita in legum subtilitatibus.* L. 11. N. 59.

*Scriptores juris publici celebriores.* L. 11. N. 53.

*Scriptores, qui in corpus juris Civilis commentati sunt.* L. 11. N. 35.

*Scriptores juris publici Ecclesiastici.* L. 11. N. 48.

*Scriptores de jure naturæ ac gentium.* L. 11. N. 18.

*Scriptores inclyti de jure divino novi ac veteris Testamenti.* L. 11. N. 20.

*Scriptores juris Ecclesiastici insignes.* L. 11. N. 28.

*Senatus Consulta apud Romanos.* L. 11. N. 11.

*Servius Tullus jus civile promovit.* L. 11. N. 10.

*Societas humana triplex: Conjugalis, Paterna, Servilis.* L. 11. N. 21.

*Triplex hominum classis in civili Societate.* L. 11. N. 21.

*Egregia doctrina Ciceronis & D. Thomæ de Societate humana.* L. 11. N. 21.

*Status Imperii Romani, eorumque jura.* L. 11. N. 50.

*Suffra-*

*Suffragiorum apud Romanos forma & descriptio.* L. 11. N. 10.

*Symbolum fidei ab Apostolis compositum.* L. 11. N. 12.

## T.

*Tabulæ legum X. advebuntur Romam e Græcia.* N. 11. N. 11.

*His adjiciunt Romani duas alias.* L. 11. N. 11.

*Tabulis duabus Moysis opposuit dæmon XII. Tabulas.* L. 11. N. 11.

*Testamenti veteris descriptio.* L. 11. N. 19.

*Testamenti veteris leges Christi adventu fuerunt abrogatæ.* L. 11. N. 19.

*Testamentnm novum: ejus prærogativæ præ veteri.* L. 11. N. 20.

*Thomasii perversa doctrina de falsiloquio refellitur.* L. 11. N. 54.

*Ejusdem alia perversa doctrina in genere luxuriæ.* L. 11. N. 56.

*Transactio Passaviensis.* L. 11. N. 53.

*Tribunalia Imperii Romano Germanici describuntur.* L. 11. N. 52.

*Tribo-*

*Tribonianus Quæstor S. Palatii : ejus potissimum opera confectus est Codex Justinianæus : item Pandectæ, seu Digesta.* L. 11. N. 31. & 32.

*Tribunorum potestas apud Romanos.* L. 11. N. 11.

*Trinudinum quid fuerit.* L. 11. N. 10.

## V.

*Veltbemii Acatholici testimonium pro D. Thoma, & Theologis circa doctrinam juris naturalis.* L. 11. N. 56.

*Vitia in studio Jurisprudentiæ.* L. 11. N. 58.

## W.

*Weberi jactantia & calumnia.* L. 11. N. 56.

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

# BIBLIOTHECA DOMESTICA

## BONARUM ARTIUM AC ERUDITIONIS STUDIOSORUM USUI INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS ACCOMMODATUM.

*TOMULUS VIII.*

DE THEOLOGIA POSITIVA, POLEMICA, ET MORALI.

SUPERIORUM PERMISSU.

*AUGUSTÆ VINDELICORUM,*
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
*MDCCLXII.*

# EPITOME
## *LIBRI XII.*
DE
# THEOLOGIA.

## *CAPUT I.*
### INDOLES, DOTES, AC VARIETAS THEOLOGIÆ.

### §. I.
### *Natura illius.*

I.

*Theologia vastissima scientia est: ad eam pertinet S. Scripturæ, Conciliorum, Canonum, Patrum, & Ecclesiasticæ historiæ notitia. Eruditio in Theologicis conjungi debet scientiæ.*

II.

*Theologiæ etymon. Theologi nomen D. Petro, D. Joanni, & S. Gregorio Nazianzeno proprium tribuitur. Alia est Theologia late accepta, alia stricte dicta.*

III.

*Fundamentum ac principium Theologiæ fides est, quæ ex triplici fonte manat: e S. Scriptura: ex Traditionibus: ex Ecclesiæ definitione.*

IV.

*Ostenditur discrimen inter doctrinam Catholicam, & mere Theologicam. Regulæ de discernenda doctrina Catholica: aliæ regulæ de discernenda doctrina Theologica.*

§. II.

## Dotes Theologiæ.

V.

*Theologia inter scientias omnes tam speculativas quam practicas eminet. Est*

magis

*magis Sapientia, quam ſcientia dicenda. Ejus ſymbolum eſt Aquila.*

VI.

*Theologia triplici ex capite eſt neceſſaria, ſcilicet ad fidem gignendam, ad nutriendam, & ad defendendam teſte D. Auguſtino. Quamvis neceſſaria ſit toti Eccleſiæ, non tamen omnibus ejus membris.*

VII.

*Theologiæ utilitas tam veteris, quam recentioris. Odium inſigne hæreticorum adverſus Theologiam Scholaſticam. Deo providente nunquam Eccleſiæ Theologi defuerunt, nec in lege naturæ, nec in lege ſcripta, nec in lege gratiæ.*

§. III.

## *Critica ſuper genuinam Theologiæ doctrinam.*

VIII.

*Quid ſit Dogma proprie Catholicum, ſeu Imperatum: quid pure Theologicum:*

*eum: quid liberum & toleratum. Singulorum exempla adferuntur.*

IX.

*Ecclesia infallibilitatis dono gaudet ad discernendam doctrinam fidei sanam a non sana & noxia. Propositionum variæ censuræ, quibus utitur Ecclesia, in medium producuntur & explanantur.*

X.

*Tres regulæ ad sanam doctrinam in Theologicis tradendam. Libertas sentiendi in Theologiæ foro permissa, sed certos intra limites.*

§. IV.

## *Partitio Theologiæ.*

XI.

*Alia est Theologia Positiva, alia Scholastica.*

XII.

*Alia est Polemica, alia Moralis, alia Ascetica. Singularum brevissima synopsis.*

*CAPUT*

# *CAPUT II.*

## ORTUS ET PROGRESSUS THEOLOGIÆ.

### §. I.

### *Prima Theologiæ elementa.*

XIII.

*Theologia tum naturalis tum supernaturalis Adamo fuit infusa a Deo: propagata per ejus posteros, quos S. Scriptura* Filios Dei *appellat: per idololatriam vix non extincta; ab Abrahamo & Mose resuscitata in populo Dei remansit. Christus Dominus Theologiam veram verbo & exemplo docuit: doctrinam suam, per Apostolos latissime diffudit: eam Ecclesiæ Patres tum Græci tum Latini plurimum libris suis illustrarunt. A Petro Lombardo & D. Thoma in methodum scholæ redacta est, quæ hodie adhuc in Academiis viget.*

## §. II.

## *Theologia Naturalis.*

### XIV.

*Hæc Deum Auctorem habet, qui lumen naturale omnibus indidit ad se cognoscendum. Etiam inter idololatriæ tenebras hoc lumen emicuit.*

### XV.

*Triplex classis Theologiæ naturalis: Poetica, Physica, & Politica. Poeticam excoluerunt Orpheus, Musæus, Saconiathus, Trismegistus, Manetus, Cadmus &c. Cum tempore multum fabulis fuit corrupta. Ab his eam expurgarunt præstantes quidam sophi, præsertim Plato, Aristoteles, Epictetus &c. qui Theologiam naturalem Physicam condiderunt.*

### XVI.

*Politica seu Civilis Theologia quid sit? In ea immutare nihil licuit sub capitis pœna.*

*pœna. Platonis doctrina reliquis præferenda: eam Plato e sacris libris hausit. Platonis dogmata multi Patrum Antiquorum secuti sunt.*

## §. III.

## *Theologia supernaturalis Veteris Testamenti.*

### XVII.

*Quid sit Theologia supernaturalis? Hæc præter naturalem infusa fuit Adamo tanquam Capiti & Doctori humani generis. Profana doctrina in posteris Caini, seu* Filiis hominum*: sacra vero in posteris Seth seu* Filiis Dei *propagata fuit. Eam excoluerunt prima mundi ætate Enos, Henoch, & Noemus.*

### XVIII.

*Latius dominari cœpit sub Abrahamo & Mose. Tres scholæ Theologicæ, quibus Heber, Melchisedech, & Abrahamus præfuerunt. Moses præ reliquis*

*sacram doctrinam professus est quod ex S. Scriptura demonstratur.*

## XIX.

*Incrementum Theologiæ, constitutis scribis & Legisperitis, ac prodeuntibus magno numero Prophetis, & Prophetarum filiis, id est, discipulis. Scholæ Prophetarum in Naioth Ramathæ, in Bethel, Hierichunti, in Silo, Galgalis &c. Synagogæ Judæorum Jerosolymis ultra trecentas: Maxima centum & viginti Patrum sub Esdra. Methodus docendi & discendi in Synagogis.*

## XX.

*Sectæ Judæorum quatuor: Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum, Herodianorum. Harum sectarum variæ doctrinæ circa providentiam Dei, immortalitatem animæ, anastasin corporum, legum observantiam &c.*

§. IV.

## §. IV.

## *Theologia ſupernaturalis Novi Teſtamenti.*

### XXI.

*Chriſtus Dei Filius veram Theologiam adventu ſuo in mundum intulit. Synopſis doctrinæ theologicæ a Chriſto traditæ. Exemplis oſtenditur, Chriſtum methodo ſcholaſtica, ſeu ſubtili argumentatione perſæpe uſum fuiſſe.*

### XXII.

*Apoſtoli fuerunt Theologi, quod monſtratur ex eorum epiſtolis, ex Apocalypſi D. Joannis, ex S. Paulli doctrina; de S. Stephani diſputatione cum Judæis.*

### XXIII.

*Schola Theologica celeberrima tempore D. Marci Alexandriæ condita. Primus huic præfuit Pantænus, cui ſucceſſerunt Clemens Alexandrinus, Origines, Pierius, Origenes junior.*

*Scho-*

*Scholam Theologicam Cæsareæ erexit Pamphylus Martyr. Primas inter Christianos bibliothecas erexit Cæsareæ Alexander Episcopus Hierosolymitanus, & Julianus Africanus. Theologicum studium promoverunt hæreses ortæ, quibus se opposuerunt Patres & Theologi præstantes cum in Oriente, tum in Occidente.*

## XXIV.

*Post Patres scholastica methodus sensim introduci cœpit; in Occidente quidem a S. Isidoro in Hispania, a V. Beda in Anglia, ab Alcuino Caroli M. Præceptore in Gallia, maxime vero a D. Anselmo; in Oriente autem a S. Damasceno.*

## XXV.

*Ad summum apicem evecta est Theologia per Petrum Lombardum, & D. Thomam, quos magno agmine secuti sunt viri in scientia Theologica præstantissimi.*

*CAPUT*

# *CAPUT III.*

## DUÆ COLUMNÆ AC BASES THEOLOGIÆ: AUCTORITAS, ET RATIO.

### §. I.

### *Auctoritas S. Scripturæ.*

XXVI.

S. *Scripturæ auctoritas divina est: admittit tamen in consortium Ecclesiæ auctoritatem. Tria oportet distinguere in S. Scriptura: Res, verba, & stilum. An singula ejus verba sint a Deo dictata, vel aliqua assistente solum ac dirigente Deo conscripta? agitur de multiplici sensu S. Scripturæ: Literali, Spirituali, Tropologico, Allegorico, & Anagogico. E literali sensu certum ad fidei dogmata, & veritates Theologicas argumentum desumi potest, non autem semper e spirituali. Declarantur hucusque dicta exemplis.*

XXVII.

## XXVII.

### *Auctoritas Traditionis.*

*Negare traditiones omnium fere hæreticorum mos fuit : Sadducæorum, Arianorum, Eutychianorum, Wiclefitarum, Calvinistarum, Lutheranorum. Lites inter Catholicos circa traditiones. Quid sit traditio. Dividitur in Divinam, in Apostolicam, in Ecclesiasticam : hæc alia est de fide, alia de moribus & disciplina : alia universalis, alia singularis : alia perpetua, alia temporaria, alia necessaria.*

## XXVIII.

*Auctoritas traditionis ostenditur ex S. Scriptura, & ex triplici statu legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ. Paræneſis ad hæreticos nostri temporis. Regulæ ad discernendas traditiones.*

## XXIX.

## *Auctoritas Ecclesiæ.*

*Ecclesiæ etymologia. Quinam sint Ecclesiæ membra, quinam non. Hæreses Catharorum, Donatistarum, Anabaptistarum, Wiclefi, & Hussii circa membra Ecclesiæ. Ecclesiam esse visibilem ostenditur contra hæreticos. Explicantur notæ ac dotes veræ Ecclesiæ; quod sit Una, Sancta, Catholica, Apostolica, & Romana. Infallibilitas Ecclesiæ demonstratur.*

## XXX.

*Hac gaudet non solum Ecclesia universalis, sed etiam Ecclesia per orbem dispersa. Vana appellatio hæreticorum ad universale Concilium. Quid requiratur, ut Ecclesiæ dispersæ judicium sit infallibile.*

## XXXI.

## *Auctoritas Conciliorum.*

*Quid sit Concilium. Dividitur in Universale & Particulare: Univer-*

*sale*

*ſale porro in Oecumenicum, in Reprobatum, & in partim Approbatum partim Reprobatum. Particulare vero in Nationale, in Provinciale, in Diœceſanum. Origo Conciliorum tum veteris tum novi Teſtamenti. In hoc primi Concilia celebrarunt Apoſtoli. An ſit neceſſitas Conciliorum in Eccleſia?*

XXXII.

*Cauſſæ convocandi Concilia. Requiſita ad legitimum Concilium.*

XXXIII.

*Infallibilitas Concilii argumentis pluribus demonſtratur. Regulæ, quibus dignoſcuntur decreta circa res fidei, an talia ſint, vel non. An in morum decretis errare poſſit Concilium?*

XXXIV.

*Synopſis Conciliorum Oecumenicorum, aliorumque.*

XXXV.

## XXXV.

## *Auctoritas Sedis Apostolicæ.*

*Pontificem in ferendo de fide ac moribus judicio infallibilem esse ostenditur. Debet esse in Ecclesia Judex aliquis controversiarum: dotes hujus judicis sunt potestas & infallibilitas. Papa duplici munere fungitur, Doctoris privati, & Rectoris publici. Quandonam Pontifex e Cathedra loqui censendus sit?*

## XXXVI.

*D. Petrus fuit a Christo constitutus Pastor universalis Ecclesiæ: Petrus docendo Ecclesiam errare non potuit. Neque Successores Petri, legitimi Pontifices errare possunt. Hæc omnia e S. Scriptura, Patribus, & Conciliis demonstrantur.*

## XXXVIII.

### *Auctoritas Patrum & D ctorum.*

*Deus Ecclesiæ suæ semper pro de viris morum ac doctrinæ fu conspicuis. Ipsi Patres posteriori Concilia summam semper reveren exhibuere prioribus, & antiquior Quinam dicantur Ecclesiæ Doct Quatuor fuerunt Ecclesiæ Doct Gregorius M. Augustinus, Ambro Hieronymus a Bonifacio VIII. dec ti, quibus accesserunt D. Thomas*

*sologus. Quinam dicantur Patres Ecclesiæ.*

## XXXIX.

*Quænam & quanta sit auctoritas Patrum circa doctrinam fidei & morum. Quanta sit unius vel alterius: quanta plurium.*

## XL.

*Quanta, si omnes consentiunt. Hoc ultimum si fiat, doctrina eorum certa & erroris expers est.*

## §. II.

## *Ratio, altera basis Theologiæ.*

## XLI.

### *Querelæ Patrum adversus Rationem.*

*Divortium Auctoritatis & Rationis quidam invehere conantur in Theologiam. Afferuntur hunc in finem va-*

*rii textus SS. Patrum Dionysii, Basilii, Cassiani, Cyrilli Hierosolymitani & Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Ambrosii, Leonis.*

## XLII.

## *Origo querelarum.*

*Philosophorum, præsertim Platonicorum argutiæ & sophismata primis statim Ecclesiæ temporibus multum nocuerunt fidei integritati. Multi abusi sunt dialectica ad hæreses, uti Arius, Aetius, Eunomius &c. Tertullianus & Ambrosius graviter conqueruntur contra Dialecticos. Parisiis libelli quidam Aristotelis proscribuntur.*

## XLIII.

*Enumerantur Patres, qui ratione & ratiocinatione usi sunt in Theologicis, seculo I. Dionysius Areopagita. II. Justinus Martyr. III. Clemens Alexandrinus. IV. Basilius M. Gregorius Nazianzenus, Hieronymus. V. Cyrillus Alexan-*

*Alexandrinus, Prosper, Augustinus. VI. Cassiodorus.*

## XLIV.

*VII. Maximus contra Pyrrhum. VIII. Damascenus. IX. Nicephorus. X. Leo VI. Imp. XI. Anselmus. XII. Bernardus. XIII. Doctor Angelicus, & Seraphicus. Sixti V. commendatio insignis Theologiæ Scholasticæ.*

## XLV.

## *Defensio Rationis.*

*Ostenditur, SS. Patres damnasse duntaxat abusum rationis & dialecticæ, ac contra sophistas egisse. Hæreticorum fraudes deteguntur, qui dialecticam & ratiocinandi methodum in Theologicis exclusam cupiunt, ut eo magis nocere possint. Insigne exemplum in D. Paullo disputante in Areopago. Multa dogmata fidei explicari & propugnari nequeunt sine ratiocinatione. Disceptatio*

*celebris Emmanuelis Calecæ cum Nicephoro Gregora Theologiæ ac Dialecticæ acerrimo hoste.*

# CAPUT IV.

## OECONOMIA THEOLOGIÆ POSITIVÆ.

### XLVI.

### *Præfatio.*

*Theologia hæc non aliis quam fidei principiis innitur. Enumerantur veteris & novi Testamenti librorum Scriptores. Concilii Tridentini cura de tradenda publicis e cathedris Theologia Positiva. Dividitur in Oeconomicam, Canonicam seu Præceptivam, & Methodicam.*

### §. I.

### *Pars prima, Oeconomica.*

### XLVII.

*Ostenditur existere S. Scripturam contra Libertinos. Proponitur brevis*

*libro-*

*librorum sacrorum, eorumque quæ in iis continentur, synopsis.*

XLVIII.

*Semper fuerunt hæretici aliqui, qui varios Scripturæ libros impugnarunt. Genealogia librorum Canonicorum. Canon Synagogæ. Libri legales, sapientiales, & Prophetici veteris testamenti. Libri legales, sapientiales, & Prophetici novi testamenti.*

XLIX.

*Quadruplex sensus S. Scripturæ: Literalis, & Spiritualis, seu Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. Suprema potestas interpretandi Scripturam est penes Ecclesiam. Hæc tamen admittit in consortium S. Patres, & Ecclesiæ Doctores.*

L.

*Libri Authographi veteris Testamenti fuerunt scripti hebraico idiomate, pau-*

*cis exceptis, qui chaldaico & græco: novi Testamenti græco plerique. Prima editio S. Scripturæ Hebraica, altera Græca LXX. Interpretum, tertia latina, quarta vernacula. Sola vulgata est authentica. Celebriores Polyglottæ: Complutensis, Antwerpiensis, Parisiensis. Quo sensu Concilium Tridentinum prohibeat lectionem Bibliæ in vulgari lingua.*

§. II.

## *Pars secunda, Canonica seu Præceptiva.*

LI.

*Regulæ duodecim ad Sacram Scripturam cum fructu, & sine periculo legendam.*

LII.

*Adjumenta ad sensum S. Scripturæ literalem deprehendendum. De hebraismis, seu modis loquendi apud Hebræos usitatis.*

LIII.

## LIII.

*Figuratæ dictiones, earumque exempla e S. Scripturis depromta. Qua ratione passim in iis tribuantur Deo adfectiones humanæ.*

## LIV.

*Contradictiones apparentes, quæ in S. Scriptura occurrunt, earumque exempla: item mendacia: quæ videntur esse, sed non sunt. Conciliantur utraque cum veritate.*

## §. III.

## *Pars tertia, Methodica.*

## LV.

*Hæc versatur in scholastica expositione tum sententiarum S. Scripturæ, tum factorum, quæ ibi narrantur. Paradigma primi generis de intelligentia verborum & sententiarum.*

## LVI.

*Catalogus similium verborum & sententiarum, e libris S. Scripturæ selectarum.*

## LVII.

*Paradigma secundi generis de rebus & factis, quæ inibi narrantur.*

## LVIII.

*Catalogus similium selectorum.*

## LIX.

*Producuntur Scriptores, & celebriores Interpretes S. Scripturæ: primæ classis, qui in totam S. Scripturam: secundæ, qui in plures ejusdem libros sunt commentati: & tertiæ classis, qui aliis voluminibus, & quæstionibus eruditis eam illustrarunt.*

*scopos, Concilia, & Pontifices fuit. Crescente fidelium numero ad alios quoque Sacerdotes & Religiosos, qui curam animarum gerunt, magnam partem translata est. Varii libri Pœnitentiales dicti, qui temporibus antiquis in usu erant ad instructionem tum Confessariorum tum confitentium, maxime tres: Pœnitentiale Romanum: Theodori Episcopi: & V. Bedæ. Epitome pœnitentialium Canonum S. Caroli Borromæi. Recensentur aliorum scriptorum libri, qui post annum* 1228. *circa casus conscientiæ vigebant fere usque ad Tridentinum Concilium.*

§. II.

PRÆFATIO.

LXV.

*Pars prima Theologiæ Moralis.*

*De conscientia, & de Legibus.*

§. III.

*tate Religionis Catholicæ; de Ecclesia, & ejus notis: de verbo Dei scripto & non scripto.*

§. III.

## *Pars secunda Theologiæ Polemicæ.*

LXII.

*De gratia & justificatione peccatoris. De justis & beatis alterius vitæ. De Sacramentis.*

LXIII.

*Recensentur triplicis classis auctores celebriores, qui de fidei controversiis scripserunt.*

# *CAPUT VI.*

## OECONOMIA THEOLOGIÆ MORALIS.

§. I.

LXIV.

*Doctrina morum, & conscientiarum regimen primis seculis penes Episcopos*

ſcopos, Concilia, & Pontifices fuit. Creſcente fidelium numero ad alios quoque Sacerdotes & Religioſos, qui curam animarum gerunt, magnam partem translata eſt. Varii libri Pœnitentiales dicti, qui temporibus antiquis in uſu erant ad inſtructionem tum Confeſſariorum tum confitentium, maxime tres: Pœnitentiale Romanum: Theodori Epiſcopi: & V. Bedæ. Epitome pœnitentialium Canonum S. Caroli Borromæi. Recenſentur aliorum ſcriptorum libri, qui poſt annum 1228. circa caſus conſcientiæ vigebant fere usque ad Tridentinum Concilium.

§. II.

PRÆFATIO.

LXV.

*Pars prima Theologiæ Moralis.*

*De conſcientia, & de Legibus.*

§. III.

LXXII.

*De Dei voluntate, ejusque decretis.*

§. II.

## *Tractatus de SS. Trinitate.*

LXXIII.

*De Trinitate, ac hæresibus circa illam exortis.*

LXXIV.

*De Personarum distinctione, Processionibus, Relationibus, & Notionibus.*

§. III.

## *Tractatus de Angelis.*

LXXV.

*De Angelorum existentia, divisione in choros, natura, & loquela.*

LXXVI.

*De Angelorum lapsu.*

§. IV.

## *Tractatus de Incarnatione.*

LXXVII.

*De Incarnationis possibilitate & existentia: de unione hypostatica, & communicatione idiomatum.*

LXXVIII.

*De Incarnationis necessitate, causa finali, & meritoria.*

LXXIX.

*De Prærogativis ac dotibus humanitatis Christi: sanctitate, scientia, impotentia ad peccandum, & libertate. Ostenditur Christum pro omnibus mortuum esse.*

§. V.

## *Tractatus de Beatitudine.*

LXXX.

*De erroribus Philosophorum Ethnicorum circa ultimum finem. In quo consistat beatitudo formalis.*

LXXXI.

*De lumine gloriæ. An in hac vita Deum quisquam viderit? An animæ*

*justorum statim post mortem ad Dei visionem admittantur? An visio beatifica sit in omnibus æqualis? An Beati peccare possint? de corporum resurrectione.*

## §. VI.

## *Tractatus de Actibus humanis.*

### LXXXII.

*De voluntario & libero: de concupiscentia: de ignorantia vincibili, & invincibili.*

### LXXXIII.

*De libero arbitrio. Hæreses circa illud. Explicatur libertas indifferentiæ. An detur obligatio referendi omnes actiones ad finem positive honestum. An teneamur sequi tutiorem partem, vel opinionem probabiliorem. De sententia benigna.*

## §. VII.

## *Tractatus de Legibus.*

### LXXXIV.

*De lege naturali: de lege Mosaica:*

de

*de lege Evangelica: de lege humana tam Civili, quam Ecclesiastica.*

## §. VIII.

## *Tractatus de peccatis.*

### LXXXV.

*Divisio peccati in actuale, & habituale, & originale. Quid requiratur ad malitiam formalem peccati. An peccatum mortale sit malitiæ simpliciter infinitæ.*

### LXXXVI.

*De peccato originali, & hæresibus circa illud exortis. Explicatur peccatum originale. Varius Patrum sensus de parvulis sine baptismo defunctis.*

### LXXXVII.

*De Exemptione a peccato originali B. Virginis, ejusque Conceptione Immaculata. De debito proximo.*

## § IX.

## *Tractatus de Gratia.*

### LXXXVIII.

*De triplici statu naturæ puræ, integræ, ac lapsæ. Gratiæ natura & divisio. De motione gratiæ divinæ quomodo fiat.*

### LXXXIX.

*Hæreses circa gratiam, & dogmata iis opposita. De Gratia sufficiente. An hæc ab aliquibus a Deo negetur?*

### XC.

*De Gratia efficaci. In quo constituat efficaciam gratiæ schola Thomistica, schola Scotistica, & schola Recentiorum.*

### XCI.

*De gratia sanctificante. Justificationis negotium, & dispositiones ad eam. De merito supernaturali. De gratia vocationis.*

## §. X.

## *Tractatus de virtutibus Theologicis, Fide, Spe ac Charitate.*

### XCII.

*Quid ſit virtus Theologica. An ſit de fide, Clementem XIII. eſſe verum Pontificem. An poſt legem Evangelicam novæ revelationes dentur. Objectum formale fidei.*

### XCIII.

*De ultima reſolutione fidei. De argumentis credibilitatis. Contra ſpiritum privatum. De infallibilitate Eccleſiæ.*

### CXIV.

*De dotibus fidei, quod ſit diſcurſiva, obſcura, libera, eſſentialiter vera, & certiſſima. In quanam Religione vera fides inveniatur. Notæ veræ Eccleſiæ. De neceſſitate fidei.*

### XCV.

*De ſpei natura, & objecto formali.*

## XCVI.

*De charitatis natura, & objecto formali: in quo consistat formalis justificatio.*

## §. XI.

# *Tractatus de Jure & Justitia.*

## CXVII.

*De divisione bonorum, quo jure facta fuerit. De dominio Clericorum. De Religiosis in commune viventibus.*

## XCVIII.

*De dominio hominis in hominem. An judex adjudicare possit morti reum, quem scit esse innocentem. An licitum sit pro defensione vitæ, honoris, fortunarum, aut pudicitiæ occidere aggressorem. De modis acquirendi dominium: de dominio in feras: de præscriptione.*

## XCIX.

*De Restitutione: an debeant restitui fructus virtualiter exstantes? an detur obli-*

*obligatio restituendi ante sententiam Judicis? de restitutione furto ablatorum. De mutuo & usura.*

## §. XII.

## *Tractatus de Sacramentis in genere.*

### C.

*De Sacramenti definitione. De Sacramentis veteris Testamenti: de Sacramentis novi Testamenti. Hæreses circa Sacramenta. Quomodo caussent gratiam.*

### CI.

*Discrimen inter Sacramenta. De Ministro Sacramentorum. An indignis administrari possint Sacramenta. De intentione Ministri.*

## §. XIII.

## *Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ.*

### CII.

*De necessitate pœnitentiæ. Quando sit*

*ſit inſtitutum hoc Sacramentum. De partibus ejus, ſcilicet contritione, confeſſione, & abſolutione, ac ſatisfactione. An peccata poſt relapſum, & an merita poſt pœnitentiam reviviſcant. De attritione.*

## CIII.

*De partibus Euchariſtiæ: an in ea vere contineatur corpus & ſanguis Chriſti; quomodo ponantur ſub ſpeciebus. De tranſubſtantiatione. De neceſſitate hujus Sacramenti. De communione ſub una vel utraque ſpecie.*

## §. XIV.

## *Scriptores Theologiæ Scholaſticæ.*

## CIV.

*Fundatores hujus Theologiæ S. Damaſcenus, S. Anſelmus, Petrus Lombardus, D. Thomas. Sequuntur reliqui a ſeculo XIII. usque ad hæc tempora.*

# *CAPUT VIII.*

## EOLOGIA HISTORICA, SEU NTROVERSIÆ CELEBRIORES HEOLOGORUM PARTIM CUM HÆRETICIS, PARTIM INTER SE IPSOS.

### §. I.

### *Controversia cum Arianis.*

CV.

*uis fuerit Arius; quæ illius doctrina, qui errores. Concilium prin Oecumenicum seu Nicænum contum. Descriptio hujus Concilii, us condemnatus. Tristis facies rei bolicæ tum temporis.*

CVI.

*Irianorum & Semi-Arianorum ides & simulationes. Controversia bris circa vocem ὁμοούσιον seu Consubtialis. Liberius Papa aliquamdiu ptus. S. Athanasii gloriosum cer-*

*tamen adversus Arianos. Ecclesiæ Catholicæ triumphus. Patres, qui contra Arianam hæresin scripserunt. Locus celebris S. Augustini.*

## §. II.

## *Controversia cum Pelagianis & Semipelagianis.*

### CVII.

*Pelagii imago, doctrina, & varii errores. Ejus in doctrina inconstantia & fraudes. Synopsis hujus hæresis ex Augustino. Concilium Carthaginense & Milevitanum, ac Oecumenicum Ephesinum contra Pelagium & Cœlestium.*

### CVIII.

*Semipelagiani seu Massilienses. Origo hujus hæresis. Varii errores. Augustinus & Prosper domitores Pelagianorum & Semipelagianorum, qui in Concilio Arausicano fuerunt damnati. Mala fide Pelagianismi arguuntur quidam Doctores Catholici.*

## §. III.

## *Controversia cum Nestorianis, Eutychianis, & Monothelitis.*

### CIX.

*Nestorii typus: ejus hæresis & falsa dogmata. S. Cyrilli anathematismi adversus Nestorium. Hæresis hæc in Concilio Ephesino damnata.*

### CX.

*Eutychetis prava dogmata. Synopsis hujus hæresis ex S. Leone Papa. S. Flaviani Martyris pugna illustris cum Eutychianis. Dioscori crudelitas in Synodo prædatoria Ephesina. Chalcedonense Concilium, in quo Eutyches & Dioscorus damnantur.*

### CXI.

*Monothelitarum duces Anastasius, Sergius, & Cyrus. Historia hujus hæresis. Echtesis Heraclii Imp. Sophronius Monothelitis se opponit. Honorius*

*rius Papa a Sergio deceptus. Doctrina Catholica de duabus in Christo voluntatibus. De damnatione Honorii in Concilio Constantinopolitano.*

## §. IV.

## *Controversia cum Græcis.*

### CXII.

*Græcorum Schisma. Ejus origo & series sub Photio Patriarcha, ejusque Successore Sissinio & Michaele Cærulario. Græci cum Romana Ecclesia reconciliati in Concilio Lugdunensi post annos fere ducentos sub Gregorio P. & Palæologo Imp. Græcorum perfidia.*

### CXIII.

*Concilium Florentinum, in quo rursus tentata concordia. Articuli, in quibus dissidebant Græci a Latinis. De processione Spiritus Sancti. Articuli concordiæ. Punita Græcorum perfidia.*

§. V.

## §. V.

### *Controversia cum Lutheranis, & Calvinianis.*

### CXIV.

*Wiclefus, ejusque prava dogmata in Anglia, quibus se opposuit Wilhelmus Cantuariensis Episcopus. Wiclefus damnatus in Concilio Constantiensi, ejus cadaver erutum & combustum. Joannes Huss hæresin Wiclefi in Bohemia resuscitat: in eodem Concilio Constantiensi damnatur, & cum Hieronymo Pragensi exuritur. Turbæ Hussitarum in Bohemia.*

### CXV.

*Facies Ecclesiæ seculo XVI. & mores depravati. Lutheri imago & indoles. Controversia de promulgandis Indulgentiis. Hæresis & doctrina Lutheri. Damnatur a Leone Papa. Augustana Confessio. Germania per hanc hæresin misere vastata. Erasmi sensus de Lutheranismo. Melanchton, Carolstadius,*

*dius, Zwinglius, Bucerus, Osiander, Brentius, Flaccus Illyricus hæresum propagatores.*

## CXVI.

*Calvini imago & doctrina hæretica. Turbæ Gallicæ. Hugonotharum strages. Edictum Nannatense abolitum a Ludovico XIV. Sectæ hujus liberum exercitium proscribitur e regno Galliæ. Calvinianæ Sectæ soboles Puritani, Arminiani, Gomoristæ, Anglo-Calvinistæ.*

## CXVII.

*Viri præstantes, qui Lutheranæ ac Calvinianæ hæresi se opposuerunt. Viri Principes, qui armis & consiliis contra eam pugnarunt. Concilium Tridentinum utramque hæresin debellavit: ejus descriptio & fructus.*

## §. VI.

## *Controversia cum Jansenianis.*

### CXVIII.

*Michael Bajus Jansenianæ sectæ fundamenta ponit in Academia Lovaniensi: ejus doctrina & errores, quos postmodum adnitente Card. Toleto recantavit. Cornelii Jansenii imago: ejus opus posthumum* Augustinus Jansenii. *Illius in morte protestatio.*

### CXIX.

*Jansenii liber damnatur ab Urbano VIII. Turbæ inter Episcopos Galliæ ob famosas quinque propositiones Jansenii. Caussa agitatur Romæ sub Innocentio X. a quo singulæ propositiones damnantur. Janseniani varia quærunt effugia, sed frustra. Quesnelli novum Testamentum: damnatur a Clemente XI. per Bullam* Unigenitus. *Acta sub Benedicto XIV.*

§. VII.

## §. VII.

### *Controversia circa infallibilitatem Pontificum in fidei negotio.*

## CXX.

*Contentio inter Petrum & Paullum Apostolos circa simulationem in conversatione cum Gentilibus & Judæis: Ostenditur & Petrum & Paullum bona fide egisse, multo minus errasse in fide. Porro examinatur narratio de lapsu Marcellini Papæ, & probabilius commentitia esse demonstratur.*

## §. VIII.

### *Controversia circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem.*

## CXXI.

*Pia opinio de Immaculata Conceptione jam ab Apostolorum tempore inter fideles communis fuit. Liturgia S. Jacobi, & Typicus S. Sabæ, ac*

*Tre-*

*Trenodia S. Andreæ Cretensis pro Immaculata Conceptione in Oriente: in Occidente Officium de Immaculata Helsino cœlitus præscriptum. Controversia inter S. Bernardum, & Canonicos Lugdunenses circa celebrationem festi de Immaculata. Disputationes hac de re inter scholas Thomisticam & Scotisticam. Defenditur Immaculata Conceptio in Concilio Basileensi. A Sixto IV. Officium de ea instituitur. Aliæ Pontificum Constitutiones. In Concilio Tridentino acriter disputatum de Immaculata Conceptione. Decretum ejusdem de peccato originali, in quo excipitur B.V. & Immaculata vocatur. Lainii Societatis Jesu Generalis oratio celebris pro Immaculata. Officium de illa jussu Pii V. Contrariam sententiam vetat publice doceri Paullus V. Etiam privatim de ea disserere prohibet Gregorius XV. Declaratio Ale-*

*xandri circa festum Immaculatæ. Censuræ contra adversarios. Benedictus XIV. Capellam ut vocant Pontificiam decernit in honorem Immaculatæ Virginis. Memorabile factum Card. Bellugæ. Controversia de voto defendendi Immaculatam Conceptionem suscitata a Lammindo Pritanio: refellitur.*

## §. IX.

## *Controversia de auxiliis gratiæ.*

### CXXII.

*Ludovici Molinæ concordia gratiæ & liberi arbitrii. Scientia Media post multas concertationes locum occupat in scholis inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis.*

### CXXIII.

*Origo controversiæ de auxiliis gratiæ. Doctrina Societatis hac in re confor-*

*formis esse ostenditur menti S. Fundatoris Ignatii.*

## CXXIV.

*Bannesii aliorumque irriti conatus ad Molinæ doctrinam supprimendam. Ferreiræ Ord. Præd. grave testimonium de innocentia libri Moliniani. Hujus editio comprobatur ab Inquisitione Lusitanicâ. Multi Ordines Religiosi & Academiæ huic doctrinæ adhærent. Accusatur in Inquisitione Hispanica, sed absolvitur & adprobatur.*

## CXXV.

*Lis intentatur Romæ apud Pontificem Clementem VIII. constituuntur ad examen Consultores: Tum in publicis Congregationibus disputationes instituuntur coram eodem Pontifice, qui negotio huic immoritur.*

## CXXVI.

*Paullus V. prosequitur controversiam: jubet in examen adduci Prædeterminationem Physicam. Card. Bellarmini testimonium circa Concilii Tridentini acta. Absoluto examine utrique parti libertas ad suam tenendam de auxiliis gratiæ sententiam permissa fuit. Penes quam partem, Actorem vel Reum, victoria steterit, trutinatur. Benedicti XIII. Decretum pro schola Thomistica: Clementis XII. Breve pro schola & doctrina Societatis. Historia de auxiliis gratiæ Hyacinthi Serrii Ord. Præd. & Levini de Meyer Societat. Jes.*

## §. X.

## *Controversia de Probabilismo.*

## CXXVII.

*Basis controversiæ duæ propositiones ab Alexandro VIII. & Innocentio XI. damna-*

*damnatæ. Innocentius XI. urgetur ad dannandam sententiam benignam, sed frustra. Ostenditur, eam non fuisse unquam damnatam.*

## CXXVIII.

*Origo controversiæ. Hanc suscitarunt fere primi Jansenistæ. Literæ Provinciales Montaltii Parisiis combustæ, Romæ condemnatæ. Wendrochii & Sinichii calumniæ.*

## CXXIX.

*Contensonii, Goneti, Natalis Alexandri, & Concinæ sinistra de Probabilismo, ejusque defensoribus judicia.*

## CXXX.

*Ostenditur 1. doctrinam probabilismi non esse propriam & communem scholæ Societatis: sed multos ejus doctores contrariam sententiam propu-*

*gnasse.* 2. *Plurimos & præcipuos Auctores Thomistas hanc ipsam doctrinam tradidisse, immo fuisse duces ac primipilos.* 3. *Perperam exonerari invidiam in Jesuitas.*

CXXXI.

*Demonstratur, inpraxi rem totam eo devolvi, an liceat sequi opinionem vere, theologice, ac comparate probabilem. Detegitur latens tutiorismus.*

# *CAPUT IX.*

## CRITICE THEOLOGICA.

### §. I.

### *Querelæ justæ.*

CXXXII.

*Error eorum, qui in Theologia nimium tribuunt speculationi: confirmatur hoc exemplo Concilii Tridentini,*

*timi, & literis Gregorii IX. ad Universitatem Parisiensem.*

CXXXIII.

*Error eorum, qui nihil tribuunt in Theologia ratiocinio & speculationi. Quid sit dogma Catholicum. Disseritur de Theologia Dogmatica in utramque partem.*

CXXXIV.

*Conciliatur utraque pars, & ostenditur Theologiam Scholasticam esse re ipsa Dogmaticam. Stabilitur hoc fœdus inter utramque insigni exemplo Concilii Tridentini.*

## §. II.

## *Querelæ injustæ.*

CXXXV.

*Vanæ adversus Theologiam querelæ hæreticorum, horumque latentes malæ*

*artes.*

*artes. Querela injusta hominum profanorum, qui scientiæ rerum supernarum nullam curam habent.*

## CXXXVI.

*Querelæ inanes Grammaticorum, qui neglectum sermonis & cultus accusant in Theologia: varia Patrum Antiquorum mens hac in re conciliatur.*

## CXXXVII.

*Querelæ ineptæ Criticorum & Novatorum: Contemptus Theologici studii in personis Ecclesiasticis reprehenditur.*

*LIBER*

# LIBER XII.

## DE THEOLOGIA.

## CAPUT I.

### INDOLES, DOTES AC VARIETAS THEOLOGIÆ.

§. I.

*Natura illius.*

I.

Vastum mare ingredi mihi videor, dum superatis non sine difficultate reliquis, etiam ad Theologiæ disciplinam velut brevi commentario illustrandam me accingo. Tanta enim heic rerum memoratu dignissimarum copia occurrit, ut hæc ipsa, quemadmodum in

proverbio eſt, inopem me faciat. Quippe quo ſublimior incedit hæc ſcientia, & cæteras omnes ſupereminet, eo etiam majore amplioreque inſtructa eſt eruditionis omnigenæ adparatu, ad quem profecto & S. Scriptura, & Concilia, & Pontificum oracula, & Patres, & univerſa propemodum Eccleſiaſtica hiſtoria merito referuntur. Verum juvat cæptum ſemel iter proſequi ac urgere opus, quod ſi non eo, quam dignitas Theologiæ poſcit, ornatu ſplendoreque pertractem, ſaltem utilitati ac eruditioni legentium pro inſtituti mei ratione ſervire conabor, iis quæ magis memorabilia ſunt, ſelectis atque in certum redactis ordinem, & quæ vaſtis alii voluminibus complectuntur, in compendio exhibitis, ita ut ſcientia & eruditio amico fœdere ac mutuo quaſi amplexu conjungantur, & in una ſede morentur.

## II.

Theologiæ nomen, duabus vocibus Θεὸς & λόγος in unam coire juſſis, e Græcia Latio illatum nullum quidem ſui veſtigium prodit in S. Codice ſive Veteris ſive Novi Teſtamenti. Primus fuit S. Dionyſius Areopagita, qui Chriſti diſcipulos legitur appellaſſe Theologos, dum in ſuo

de

de divinis nominibus libro differens de Petro Apoſtolorum Principe ita loquitur: *Aderat & Petrus ſupremum decus & antiquiſſimum Theologorum columen.* Ex vetuſtiſſima non minus Majorum traditione, communique loquentium uſu venit, ut quævis doctrina ſive ſermo de Deo rebusque divinis ſecundum nominis ſui etymon Theologia ſoleat nuncupari. *Late* accepta admittit quemlibet de Deo ſermonem, etiam ſolo naturali lumine prælucente inſtitutum. Ita novimus, jam olim Ariſtotelem (a) Philoſophiam ſuam deſtribuiſſe in phyſicam, mathematicam, & theologiam, id quod noſtrorum quoque temporum Philoſophi faciunt, dum partem illam, in qua de Deo, ejus exiſtentia, eſſentia, attributis & actionibus ex Univerſi hujus contemplatione tractant, *Theologiam naturalem* inſcribunt. Si vero *ſtricte* ſumatur, eaque qua veteres Græci Patres uſurpabant, illam duntaxat S. Doctrinæ partem complectitur, quæ de Chriſti divinitate, ejusque *incarnatione* agit, quarum priorem tractationem Θεολογίαν, poſteriorem vero Οἰκονομίαν Euſebio teſte appellabant. Ita D. Joannes inter Evangeliſtas Theologi nomen

(a) *Lib.* 6. *Metaph.*

men est consecutus, quod instar Aquilæ ad Christi divinitatem, & ipsius *incarnationem* indagandam cæteris altius evolarit, sine ambagibus incipiens Evangelium suum: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:* & post pauca: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis,* Ita etiam S. Gregorius Nazianzenus ob idem argumentum de *Deo - Homine* scriptis suis luculenter illustratum inter Ecclesiæ Doctores idem Theologi cognomen non sine prærogativa obtinuit: quin & Orationes de SS. Trinitate a se conscriptas Theologicas ipse nuncupavit. Demum alii, præsertim Latini Patres atque Doctores mediam inivere viam, ita ut Theologiam non tam late expatiari permiserint, & pro omni de Deo divinisque rebus sermone usurpaverint, nec tam angustos, intra quos se se contineret, limites posuerint, & ad divini verbi caro facti tractationem duntaxat restrinxerint. Ad horum mentem ac morem jam civitate donatum ea, qua hodie utimur, Theologia duobus veluti fungit urofficiis, e quorum primo agit de Deo, ejus essentia, existentia, Attributis, de Personis divi-

divinis, præsertim de Verbo carnem induto, de Sacramentis, de gratia, deque omnibus a Deo revelatis, altero autem ex iis, quæ tum circa Deum, tum res alias revelata sunt, conclusiones ratiocinando colligit, quibus ut præclare ait D. Augustinus (b): *fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, roboratur.* Quare si paucis eam verbis ad scholæ leges finire velimus, Theologia est sacra rerum divinarum, aliarumque ex his, quæ revelata sunt, veritatum doctrina.

## III.

Jam vero doctrinæ hujus sublime ædificium (ut universe modo dicam ea, quæ singulatim postmodum erunt declaranda) firmissimo nititur fundamento atque principio. Sunt enim tria principia, quibus quævis doctrina fundatur, scilicet aut opinio, aut fides, aut intellectus, quemadmodum docet S. Bernardus (c), dum inquit: „ Intellectus rationi innitur, „ fides auctoritati, opinio sola verisimi„ litudine se tuetur. Habent illa duo „ certam veritatem, sed fides clausam „ &

(b) *L.* 14. *de Trinit. c.* 1. (c) *Lib.* 5. *de Consider. c.* 3.

„ & involutam, intelligentia nudam & „ manifestam: cæterum opinio certi nihil „ habens verum per similitudinem quæ„ rit potius, quam apprehendit„. Itaque principium opinionis neque certum est, neque manifestum: intellectus vero, si pro scientia sumitur, illorum quæ per se nota sunt, intelligentia firmatur: fides autem divina ut nondum perspicue ac evidenter cogniti, ita certo testificantis Dei auctoritate nititur. Satis ut opinor patet, quodnam ex his tribus principium sit Theologiæ. Etenim ut D. Hilarius scribit (d): *A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit, quia non nisi se Auctore cognoscitur.* Et alio in loco: *Non subeunt ingenia nostra in cælestem scientiam, nec incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi Deo de se credendum est, & iis, quæ cognitioni nostræ tribuit, obsequendum.* Eundem in sensum loquitur S. Cyrillus (e): *Quæ captum humanæ mentis excedunt, ea fide honoranda sunt.* Quid, quod divinus Plato asserere hoc in negotio non dubitarit: „ Veritatem „ omnem uno duntaxat addisci modo „ posse, si eam vel ab ipso Deo, vel

„ ab

(d) *Lib.* 5. *p.* 26. (e) *Lib.* 1. *contra Julian.*

„ ab iis, qui a Deo ſunt orti, doceamur„ (f). Atque hinc veteres Philoſophi, qui Dei ac divinarum rerum ſcientiam non ab ipſo Deo doctore atque Magiſtro perceperunt, ſed in ſuopte ingenio & ſagacitate confiſi ſunt, non raro longiſſime a veritate aberrarunt, variiſque ſe ac alios opinionum erroribus implicarunt. Quapropter primarium ac univerſale principium atque fundamentum Theologicæ ſcientiæ & doctrinæ Fides eſt, cui tam fortiter illa initititur, quam fortiter ipſa fides auctoritati divinæ: hæc autem fides e S. Scriptura, ſeu Verbo Dei ſcripto petitur, quamquam hoc per ſe ad omnia fidei dogmata plene ac liquido probanda non ſufficiat. Nam & Traditione multa fuiſſe propagata conſtat, & illa ipſa, quorum in Scriptura mentio fit, niſi cum interpretandi auctoritate declarentur, varias in partes, quin & contrarias duci argumentando poſſunt. Ad ſcripturam igitur adjungenda eſt auctoritas Eccleſiæ, quæ in Conciliis Oecumenicis potiſſimum loquitur, ac verum ſcripturæ ſenſum aperit, eamque ad decidendas de fidei dogmatibus controverſias adplicat. Ita triplici

(f) *In Timæo.*

plici ex fonte, videlicet S. Scripturæ, Traditionum, & Ecclesiæ definitione manat Theologiæ principium seu Fides, ac demum intelligitur, qua ratione Theologia hæc, ut antea dixi, sacra rerum divinarum, aliarumque ex his, quæ revelata sunt, veritatum doctrina dicatur.

## IV.

Verum heic discrimen omnino fieri oportet inter doctrinam Catholicam, & doctrinam mere, vel ut ajunt, pure Theologicam. Catholicam voco doctrinam, quæ sola fidei dogmata, seu revelatas fidei veritates, in Verbo Dei scripto vel tradito contentas, & omnibus ab Ecclesia Catholica, ut fide divina credant, propositas complectitur. Nam quum Apostolus dicat (g): *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, sive Dei, palam est, eas duntaxat veritates, quæ verbo Dei scripto vel tradito continentur, ad fidem pertinere, & quidem Catholicam seu universalem, quæ omnes Christi fideles obligat, quod plane tunc contingit, quando Ecclesia Catholica, quæ secundum eundem Apostolum (h) *Columna & firmamentum veritatis est*, de qua sola Christus dixit: *Qui Ecclesiam non audie-*

(g) *Ad Rom. c.* 10. (h) 1. *Timot. c.* 3.

*audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus* (i), quando inquam Ecclesia Catholica veritates ejusmodi cunctis fidelibus tanquam Caput suprema pollens auctoritate membris omnibus firma fide credendas proponit. Atque ex hoc fundamento perquam utiles quasdam regulas eruunt Theologi Critici, nimirum, nihil esse de fide Catholica 1. nisi duo hæc simul in unum conspirent, scilicet revelatio Dei, & Ecclesiæ tanquam legitimæ divinorum eloquiorum interpretis propositio. 2. Nec nisi a Deo vel Prophetarum vel Apostolorum, aut aliorum scriptorum sacrorum ore fuerit enunciatum, quum per hos veluti canales ad nos derivatum fuerit Dei verbum, scriptum seu traditum, per quos nobis loquutus est Deus: *Loquuti sunt ei verbum Domini* (k). 3. Neque illa esse de fide *formaliter & immediate*, ut scholæ loquuntur, sed *virtualiter duntaxat & mediate*, quæ ex revelatis ratiocinando inferuntur; quum hæc originem suam non habeant ex auditu per verbum Dei, sed ex humana circa Dei verbum ratiocinatione. 4. Neque ea, quæ in singularibus Conciliis definiuntur, nisi Ecclesiæ uni-

(i) *C.* 18. (k) *Act.* 16.

universæ consensu & auctoritate fuerint firmata. 5. Ex iis, quæ ab universali Ecclesiæ cœtu proponuntur, illa duntaxat ad fidem Catholicam pertinere, quæ conceptis verbis definita fuerint; non item rationes moventes, vel argumenta in medium allata; non enim Ecclesiæ argumentanti aut disputanti, sed docenti ac definienti adsistere censetur Spiritus S. falli aut fallere nescius.

Exposita, quid rei sit doctrina Catholica, pure Theologicam illam dico, quam ratiocinationis ope ex revelatis a Deo passim inferunt & proponunt Theologi, qua in re duplicem viam ineunt, scilicet præmittendo vel geminas, quæ de fide sunt, propositiones, vel unam quæ de fide, alteram vero ratione naturali certam, atque ex istis Conclusionem Theologicam deducendo. Ex quibus rursum Critici statuunt: 1. eas Conclusiones, quæ vel ex præmissis unius duntaxat, aut aliquorum, non omnium Ecclesiæ Patrum aut Doctorum auctoritate fultis, vel adsertione virorum in utroque Jure peritorum, vel ex historico, aut rationum naturalium fonte hausta profluunt, pure Theologicas dici non posse, quum e revelatis a Deo non procedant. 2. Conclusionem Theologicam e duabus præmis-

missis, quarum una de fide, altera ratione solum naturali certa est, manantem non tanto exploratæ veritatis privilegio gaudere, quanto illam, quæ ex duabus de fide præmissis oritur. 3. Quamcunque conclusionem vere Theologicam, quæ vel unicam de fide præmissam sequitur, certæ veritatis prærogativam habere præ omni alia non Theologica.

## §. II.

## *Dotes Theologiæ.*

### V.

Hæ sunt omnino tales, quales conveniunt natalium splendori, quo gaudet sacra hæc doctrina. Prima est ejus nobilitas, qua toto quasi humero supra reliquas scientias eminet. Sunt quædam scientiæ, quas *speculativas*, aliæ quas *practicas* vocant scholæ: utrarumque harum perfectionem Theologia eminenti quodam gradu in se continet. Nam ut de primis loquar, una e *speculativis* altera dignior est tum ob materiæ seu *objecti*, circa quod versatur, dignitatem, tum propter modum, quod in illud tendere solet. Jam vero Theologiæ *objectum* infinitis parasangis nobilius est iis, quæ aliæ scien-

ſcientiæ ſibi habent præfixa: Eſt enim ipſe Deus O.M. ſeu cognitio ipſius Dei, non ſolum ut Auctoris naturæ ſed etiam, & vel maxime ut Auctoris gratiæ ſecundum Attributa illius & perfectiones, quæ omnem humani intellectus facultatem & vires naturales excedunt, nec unquam *in cor hominis aſcenderunt*, ut ait Apoſtolus; ita quidem ut vel minima rerum harum cognitio omnes quantumcunque claras certiſſimasque cujusvis rei naturalis cognitiones transcendat. Eodem ſi ita fas eſt loqui, labore occupantur Theologi in terris, quo Sancti & Beati in cœlis, videlicet intuendo Deum infinite perfectum, quamvis diverſa ratione: illi enim vident *per ſpeculum in ænigmate*, iſti autem *facie ad faciem*. Non vero ſolum *objectum*, ſed & modus, quo Theologia in illud tendit, longe nobilior eſt: quippe conſiſtit hic in principiis Theologicis, quæ aliud non ſunt, quam totidem fidei adſertiones, e quibus poſtmodum concluſiones Theologicæ rite deducuntur: fides autem nulla ratione falli, poteſt, ſed certiſſimæ veritatis principatum tenet, quum fundamentum habeat in lumine divinæ ſcientiæ, quæ nec falli nec fallere unquam poteſt: dum contra aliæ ſcientiæ *objectum* ſuum cognoſcant ſolum-

ſolummodo per lumen naturale rationis humanæ, quæ multis erroribus eſt obnoxia.

Quod autem adtinet ad ſcientias practicas, etiam inter has excellit ſcientia Theologica. Dignitas enim ſcientiæ praticæ potiſſimum ex fine colligitur; hic autem, quem ſacra Doctrina reſpicit, ita ſublimis eſt, ut aliæ omnes ſcientiæ una cum ſuis, quos habent, finibus ad illud tanquam radii ad centrum ordinari debeant. Et quis ille? nimirum Theologiæ practicæ finis eſt non alius, quam ipſamet beatitudo, ſeu clara viſio & amor Dei, ad quam homines per principia ſua practica inquirendam obtinendamque dirigit; quique finis ad nullum alium refertur, ſed cæteri omnes ad ipſum referuntur. Amplius autem Theologiæ excellentia ſupra reliquas ſcientias univerſas ex eo palam fit, quod non tam ſcientiæ, quam *ſapientiæ* nomine inſignita incedat, quæ in toto ſcientiarum genere ſpecies eſt perfectiſſima. Eſt enim ſapientia, qua res altiſſimæ cognoſcuntur per cauſſas ſimiliter altiſſimas, & principia univerſaliſſima, id quod nulli ſcientiæ competit, Theologiæ autem proprium eſt. Unde S. Auguſtinus ait (l): *Rerum divinarum ſcientia pro-*

(l) *Lib.* 14. *de Trinit. c.* 1.

*proprie sapientia nuncupatur.* Atque hæc Theologiæ supra cæteras eminentia ratio esse videtur, cur eidem Aquila symboli loco addatur, uti videre licet in vetustissimis picturis D. Joannem Evangelistam Theologorum principem exhibentibus: dum enim aliæ volucres lucis beneficio per silvas, campos, montes, perque liberum aerem circumferuntur, Aquila sublimi volatu soli adpropinquat, & irretortis Phæbum oculis intuetur. Ita profecto dum reliquæ scientiæ luminis naturalis ope per res has inferiores vagantur, Theologia altius sese extollit, & ipsum luminis *supernaturalis* fontem Deum contemplatur.

## VI.

Non solum autem nobilitas, verum etiam necessitas Theologiam supra reliquas scientias evehit, quæ tanta est, ut absque hæsitatione fas sit pronunciare, sacra hac doctrina, quantum ad substantiam adtinet, Ecclesiam carere neutiquam posse: cujus rei universe ratio est, quoniam in hujus providentiæ cursu, in quo humana conditio ad statum supernaturalem est elevata, multæ veritates facultatem intellectus nostri transcendentes sunt revelatæ, quas tamen credere oportet,

tet, quæve ſine hujus diſciplinæ magiſterio rite nequeunt intelligi. Nam *plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi* (m). *Loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam nemo principum hujus ſeculi novit* (n). *Notum vobis facio Evangelium, quod non ab homine accepi, ſed per revelationem Jeſu Chriſti* (o). De hujusmodi autem veritatibus tam arcanis, tamque ſublimibus cognoſcendis nulla alia tractat Diſciplina præter Theologicam, quæ in Eccleſia Chriſti divinarum *revelationum* ac veritatum ſupernaturalium, veluti ſacrorum pignorum perpetua cuſtos eſt conſtituta. Præterea homo ad beatitudinem ſupernam tanquam ad finem ultimum eſt a Deo ordinatus, ad quem conſequendum media, quæ ſunt neceſſaria, cognoſcere oportet: hæc autem quoniam a ſola Dei voluntate dependent, alia via cognoſci haud poſſunt, quam via revelationis divinæ, cui ſolius Theologiæ doctrina innititur.

Verum ut ad ſingulares rationes deſcendamus, uti Eccleſia ſine fide ſtare non poteſt, ita nec fides ſine Theologia. Hæc enim, ut non ita pridem audivimus ex Auguſtino, eſt ſcientia ſeu diſciplina,

(m) *Eccleſ.* 13. (n) 1. *Cor.* 2. (o) *ad Galat.* 1.

plina, qua *fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur:* ubi tria animadversione digna occurrunt; primo quidem asserit S. Doctor, quod hæc scientia fidem gignat, quemadmodum Paullus gentium Theologus ad Corinthios scribit (p): *ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, scilicet explanando fidei mysteria, ac docendo, non nuda quadam & historica narratione, sed solida argumentatione: quippe Paullus *disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu Christi* (q). Secundo, quod Theologia fidem nutriat, id est, foveat & conservet sacra doctrina. Patet rursus ex Apostoli verbis (r): *Deus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi*, nempe Magistros & Doctores Theologiæ, *ut non jam simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Tertio, quod fidem defen-

(p) 1. *Cor.* 4. (q) *Act.* 18. (r) *ad Ephes.* 4.

dat, videlicet adversus insurgentes hæ-
es & prava dogmata, quibus fidei sin-
itas inficitur, & robur infringitur.
nt *enim*, ut denuo Paullus loquitur (s)
*lti etiam inobedientes, vaniloqui, & se-
ctores, quos oportet redargui, qui uni-
rsas domos subvertunt, docentes quæ non
ortet*. Adversus hos necesse, ut sint
*sumentes scutum fidei, galeam salutis,
gladium Spiritus, quod est verbum Dei*.
hi sunt Theologi. Est itaque, ut pau-
s omnia complectar, Theologia ad
lem tum gignendam, tum nutriendam,
m defendendam summe necessaria: quæ
men necessitas, licet totam Ecclesiam
ficiat ad firmum ac rectum illius in
le ac fidei doctrina statum, non tamen
l singula Ecclesiæ membra pertinet.
*unquid omnes Apostoli? nunquid omnes
octores?* Nam uti sapienter advertit D.
ugustinus (u): *Hac scientia non pollent
deles plurimi, quamvis polleant ipsa fide,
iudque est scire, quid credere debeamus,
uid doceat fides; aliud est scire, quemad-
odum hoc ipsum opituletur piis, & con-
ra impios defendatur*. Quibus prioribus
erbis S. Doctor Theologiam, quam *Posi-
tivam*

(s) *Ad Tit*. I. (t) *ad Ephes*. 6. (u) *Lib*. 14. *de Trinit*. *c*. I.

*tivam* vocant, posterioribus vero quam *Methodicam* seu Scholasticam dicunt, designat, quæ ultima ex fidei principiis suas conclusiones & dogmata recto ordine deducit. Verum ex hoc ipso alia dos & prærogativa oritur, videlicet ingens Theologiæ Scholasticæ utilitas.

VII.

Ad hanc, quæ sane maxima est, penitius cognoscendam nosse oportet, Theologiam duplici modo considerari posse, nimirum uti olim erat, & uti nunc est constituta. Olim a SS. Patribus & Doctoribus Theologica dogmata tractabantur velut sparsim, & prout occasio sese offerebat seu explicandi fidelibus mysteria nostræ fidei, seu ea tuendi adversus hæreticorum impias doctrinas. Nunc vero, id est, postquam finem accepit longa illa SS. Patrum series usque ad D. Bernardum, a quingentis abhinc annis dogmata Theologica maxime per Magistrum, sive Petrum Lombardum, atque Doctorem Angelicum D. Thomam in ordinem certum, ac ope disputationum, quæstionum, articulorum &c. in integrum corpus methodo scientiis propria fuerunt redacta. Quantæ utilitatis hæc res sit, satis demonstrant tot insignia doctissimorum Theologorum volumina, demonstrant

Et

Fidei Catholicæ arcanissima mysteria, Ecclesiæ disciplina, & morum doctrina in clarissima luce & ipsa velut meridie nunc posita: demonstrat communis Pontificum ac Principum, præcipue post synodum Tridentinam, in erigendis cathedris Theologicis consensus: demonstrat vel ipsum immane, nec minus commune odium, quo hæretici & hæresum fautores in Theologiam Scholasticam flagrant, utpote cujus ope falsa dogmata & errores suos detectos, profligatos ac penitus prostratos intueri coguntur. Audiamus unicum ex toto sectariorum grege, ac facile principem Lutherum: *Theologia scholastica est falsa scripturæ & Sacramentorum interpretatio, & exulem vobis fecit veram & sinceram Theologiam:* item *Quo tempore cœpit Theologia Scholastica, id est, illusoria, eodem evacuata est Theologia crucis, suntque omnia plane perversa:* rursus *libidinem corrumpendæ scripturæ jam fermè trecentis annis patitur Ecclesia incomparabili damno suo a Doctoribus Scholasticis.* Quæ Lutheri propositiones a Sorbona publico censuræ, ut merentur, stigmate fuerunt notatæ. Hoc protoparentis sui exemplum secuti, eodemque spiritu animati Wittenbergenses in Saxonia insigne, quod orbis literatus detestetur, facinus

edidere. Quippe anno 1520. Sholasticæ Theologiæ libros feretro inclusos instar funeris ad mediam urbis plateam deportarunt, sequentibus eorum Ministris, & quod vocare solemus, officium Defunctorum per ludibrium canentibus, tandemque in ardentem rogum conjecerunt, (x) e cujus cinere utinam non novi identidem phœnices, id est, Theologiæ Scholasticæ mastiges etiam hoc, quod vivimus seculo, male fausto partu prodirent. Verum hæ flammæ profecto serviunt ad magis illustrandam sacræ hujus doctrinæ utilitatem, utpote quæ tantopere fidei hostibus formidandam se præbet.

Porro spectata, ut nunc est, Dei providentia semper fuerunt eruntque perversi homines in mundo, non solum extra, sed etiam in ipsa Ecclesia, ejusque visceribus, qui doctrinam fidei & morum oppugnent: *Ego scio*, ait Apostolus (y) *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobismet ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Sunt etiam in Ecclesia, qui rationem nostræ fidei & doctrinæ poscunt, ut loquitur D. Petrus (z), nec non inter bonos quo-

(x) *Surius in appendice ad Nauclerum.*
(y) *Act.* 20. (z) 1. *Petr.* 3.

ıoque oriri ſæpe videmus difficultates
ɔn modicas circa res revelatas, quæ
ɔmini ad ſalutem ſunt neceſſariæ. Quo-
am igitur, ut dixi, hac in providentia
eus non omnia explicate revelavit, nec
ıotidie recens revelare expediens ju-
cavit, alio modo cunctis his difficulta-
ɔus occurrere conſtituit altiſſimo con-
lo, nimirum per accuratam Theologiæ
ſciplinam, ad quam pertinet non ſo-
m ſectas contrarias confutare, ac hæ-
ticorum errores convellere, verum etiam
atholica dogmata e fidei principiis apte
:ducere, ac ſolidis argumentis e S. Scri-
ura, Conciliis, & Patribus ac ratione
:promtis ſtabilire. Quapropter in ipſis-
et etiam Oecumenicis Eccleſiæ Comi-
s, aut quum ſummus Pontifex quid-
ıam circa res fidei vel mores definit,
non fieri ſolet novæ *revelationis*, ſed
Spiritus adſiſtentis magiſterio, præ-
iſſo tamen Theologorum accuratiſſimo
:amine, atque maturo conſilio: neque
ıim alius eſt intra ordinem hujus pro-
dentiæ modus in Eccleſia, quo ejus in-
gritas ac doctrinæ firmitas ſarta tecta
ɔnſervetur, ita diſponente Deo, ut nun-
ıam in ea defuerint nec in lege natu-
e ab Adamo, nec in lege ſcripta a Moſe,
:que in lege gratiæ a Chriſto viri theo-

logicis disciplinis adprime imbuti ac excellentes. Quemadmodum enim in corpore humano, quæ similitudo est Apostoli (a), alii sunt oculi, alii manus, pedes alii, ita in Ecclesia aliqui sunt rudes, alii de plebe, alii docti & eruditi. Si autem nulli forent in corpore humano oculi, istud rectore destitutum huc illucque vacillaret, atque frequenter impingeret, ita etiam aliquos in Ecclesia Doctores sacros esse oportet, qui cæteros erudiant ad justitiam, & in semita salutis æternæ veluti manuducant, nec solum elementa fidei, sed difficiliores quoque pertractent quæstiones, loco, tempori, diversæque Auditorum conditioni accomodatas. *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* (b)

### §. III.

### *Critica super genuinam Theologiæ doctrinam.*

### VIII.

Exposita Theologiæ excellentia, necessitate, ac utilitate, operæ pretium est ad

(a) 1. Cor. 12. (b) ad Rom. 10.

ad ejus indolem melius perspiciendam, ut certi characteres constituantur, quibus doctrinæ illius dogmata & propositiones insigniri solent. Atque inprimis nosse oportet, duplicis generis esse dogma, videlicet *proprie Catholicum*, & *pure Theologicum*. Primum (quod etiam dogma *Imperatum* vocatur) est, quod doctrinam continet, quam Ecclesia Catholica palam profitetur, quamque cunctis fidelibus tenendam credendamque proponit. Nam ut Vincentius Lirinensis (c) ait: *id proprie Catholicum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Exempla hujus dogmatis sunt: *Deum esse unicum in essentia, solum & non multiplicem*, contra Polytheos: *esse trinum in personis realiter distinctis*, contra Sabellianos: *Christum Dominum esse Dei Patris æterni Filium, eique consubstantialem*, contra Arianos. Dogma pure Theologicum vel dicitur *Liberum*, vel *Toleratum*. Liberum est, quod tenere quis potest vel non tenere, salva fide Catholica, continetque doctrinam talem, quæ nec de fide est, nec fidei contradicit, aut bonis moribus noxia esse reperitur, sufficiente tamen auctoritate ac ratione munita est. Ejusmodi dogmata libera sunt: *de futuro vel non*

(c) *In Comment. l. 1. c. 3.*

*non futuro adventu Christi, si Adam non peccasset; de æterna hominum prædestinatione ante vel post prævisa merita: de gratia vel intrinsece vel extrinsece efficaci,* atque ita *de admittenda vel non admittenda scientia media: de licito vel illicito usu opinionis vere ac theologice probabilis* &c. Dogma toleratum nuncupatur, quod a longe majori parte Doctorum impugnatur & rejicitur tanquam fidei vel morum doctrinæ minus conveniens: necdum tamen Ecclesiæ Catholicæ judicio reprobatum vel damnatum est, quum non satis clare adhuc constet, esse erroneum vel nocivum. Ita olim tolerata fuit usque ad Damasi Papæ ævum doctrina *de Christi regno per mille annos post resurrectionem & judicium extremum duraturo.* Usque ad Concilii Nicæni I, vel ut alii produnt,) usque ad Arelatensis tempora doctrina *de non valido hæreticorum baptismo.* Doctrina *de dilata justorum visione beata ad extremum judicii diem,* usque ad Concilium Florentinum, a quo, sicut a Tridentino damnata fuit.

## IX.

Aliqua nunc de Propositionibus dicenda occurrunt. Certum est, Ecclesiam dono *infallibilitatis*, ut vocant, gaudere non

minus

minus in agnoſcenda doctrina ſana & fidei conformi, quam in diſcernenda, quæ ſana non eſt, ſed fidei nociva. Qua enim ratione alias doctrinæ papulo oves ſuas paſcere poſſet, uti a Chriſto in perſona Petri jubetur: *Paſce oves meas?* ex hoc autem conſequitur, ſicut recipere oportet tanquam dogma catholicum & a Deo revelatum, quod ab Eccleſia ut tale fidelibus proponitur, ita & rejiciendum eſſe, quidquid Eccleſia tanquam erroneum & fidei noxium rejicit, atque declarat. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus* (d). Memorabile hac in re exemplum eſt atque effatum, quod poſteritati reliquit S. Auguſtinus contra Creſconium Grammaticum (e) ita ſcribens: *Non accipio, quod de rebaptizandis hæreticis & ſchismaticis ſentit Beatus Cyprianus, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus ſanguinem ſuum fudit.* Jam vero diverſi gradus & claſſes cenſurarum ſunt, quibus Eccleſia vel Pontifices articulos ſeu propoſitiones falſas & pravas, quarum veneno ſana Theologiæ doctrina infici poſſet, notare vel proſcribere ſolent, uti patet e Concilio Conſtantienſi damnante Wicleffi & Joannis Huſſi erro-

(d) *Matth.* 18. (e) *Lib.* 2. *c.* 3.

errores; e Bulla Pii V. contra Bajum: & e Constitutionibus Innocentii X. adversus famosas quinque propositiones Jansenii, ac Clementis XI. proscribentis propositiones e novo Testamento Quesnellii extractas. Earum præcipuas referam, & exemplis illustrabo, utpote quarum notitia opus est, ut quis Apostolicæ Sedis, ejusmodi propositiones stigmate notantis, Decreta rite possit æstimare.

*Propositio hæretica* censetur illa, quæ e diametro fidei doctrinæ seu veritati a Deo revelatæ, aut ab Ecclesia definitæ opponitur, veluti si quis cum Ario diceret: *Christum Dei Filium non esse ejusdem cum divino Patre substantiæ.* Vel cum Macedonio *Spiritum S. Patre ac filio minorem, nec esse Deum.* Vel cum Nestorio *duas in Christo personas* assereret. Vel cum Eutychete *duas in Christo naturas* negaret. Interea tamen non eadem res est, propositionem esse hæreticam, & auctorem, qui illam asserit, hæreticum esse; talis enim est, cujus error in fide cum pertinacia jungitur; propositio autem hæretica proficisci potest sive ex pertinacia, sive ex sola ignorantia, ita, ut qui eam tenet, Ecclesiæ judicio stare paratus sit, suamque illius doctrinæ conformare. Hunc in modum D. Augu-

stinus

stinus (f) de homine, qui idem cum Photino hæretico falsum de Christo dogma fovebat, sibi tamen persuadens, id esse catholicum, pronunciare non dubitavit: *istum nondum hæreticum dico nisi manifesta sibi doctrina Catholica Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.*

Contra vero *Erronea & hæresi proxima* dicitur illa propositio, quæ veritati seu doctrinæ repugnat, quam Patres & Ecclesiæ Doctores unanimi consensu revelatam quidem censent, necdum tamen Ecclesiæ definitione firmata est, fidei tamen proxima, utpote cui nihil præter hanc Ecclesiæ definitionem deest, qualis est, quam vere Theologicam seu ex revelatis legitime deductam supra memoravi. Ita siquis diceret, *Christum non esse visibilem*, propositio foret erronea & hæresi proxima, utpote opposita alteri: *Christus est visibilis*, deductæ ex revelata: *Christus est homo.* Vel si quis contra auctoritatem Patrum & Doctorum, contraque sensum totius Ecclesiæ assereret; B. Virginem non fuisse assumtam in cœlum cum anima simul & corpore.

His propinqua & affinis est propositio *suspecta*, & quæ *hæresim sapit*; licet enim catho-

(f) *Lib. 4. de Baptism. contra Donatum c. 16.*

bona fide putabant, Arianos tandem fateri, Filium Dei esse ὁμοούσιον, id est, Consubstantialem Patri.

*Periculosa* demum, quæ propter affinitatem cum aliis malæ notæ doctrinis censuræ obnoxia est, ut sunt pleræque propositiones in rebus fidei paradoxæ ac heteroclitæ.

Hisce censuris (de quarum propria vi significandi, uti passim tractant auctores multi, ita pauci inter se conveniunt) notare solet summi Pontificis Tribunal quandoque propositiones, quæ fidei, moribus, vel fidelium pietati præjudicium adferre possent, quandoque etiam libros, in quibus continentur; non raro ipse quoque auctor stigmate notatur, habetque locum illud Horatii:

*Hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

Cætera judicium censuras ferendi, ac notas inurendi ad solam sacram Sedem pertinet, nec fas est, ut quisquam privatus hanc sibi potestatem arroget, quemadmodum declaravit Innocentius XI. (g) his verbis: „ Ut paci & charitati con„ sulatur idem Sanctissimus in virtute S. „ Obedientiæ eis (Doctoribus seu Scho„ lasti-

(g) *Ad finem Decreti circa* 65. *propositiones damnatas an.* 1679.

„ lasticis) præcipit, ut tam in libris im„ primendis ac manuscriptis, quam in „ Thesibus, Disputationibus ac Prædica„ tionibus caveant ab omni censura, & „ nota, nec non a quibuscunque convi„ tiis contra eas propositiones, quæ ad„ huc inter Catholicos hinc inde con„ troverluntur, donec a sancta sede re„ cognitæ super iisdem propositionibus „ judicium proferatur. „

X.

Ut autem una ex parte sana integraque in Theologicis disciplinis dogmata conserventur, ex altera vero censurarum scopuli & doctrinæ offendicula evitentur, sequentes observare canones oportebit, quos SS. Patres & Viri in hac palæstra versatissimi præscribunt. *Primo* quidem absit, ut animo nimium curioso, ac ingenii insolentia inflato ad arcana fidei rimanda introspiciendaque accedatur. Perhibet D. Augustinus (h) quemdam alteri curiosius quam decuit interroganti ac scire cupienti, *quid fecisset Deus, antequam cœlum & terram fecerit*, respondisse non sine sale: *alta scrutantibus gehennas parabat*. Profecto si quo alio, certe hoc in sacro studio verum est, quod dudum

(h) *Lib. 1. Confess. c. 12.*

dudum pronuntiavit D. Bernardus (i): „ Sunt qui ſcire volunt eo fine tantum, ut „ ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt „ qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & „ turpis vanitas eſt: ſunt item qui ſcire „ volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, „ & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quo„ que, qui ſcire volunt, ut ædificent, „ & charitas eſt. „ *Secundo*, Theologi eſt, ut placita doctrinæ ſuæ probet atque confirmet, imprimis auctoritate S. Scripturæ ac Traditionum, tum etiam Conciliorum ac SS. Patrum. Nam vel agitur de dogmatibus fidei, & hæc diſcere debemus tum a Deo revelante, tum ab Eccleſia proponente ac declarante, quæ ſunt a Deo revelata: vel agitur de aliis veritatibus, quæ a ſola liberrima Dei voluntate pendent, & harum optimi fidisſimique interpretes ſunt Concilia & Patres. Auguſtini hac ſuper re effatum eſt: *Auctoritati credere magnum compendium eſt, ac nullus labor* (k). Demum neutiquam nocet, ſæpe etiam prodeſt, humanam rationem in ſubſidium vocare. Nam quod fidei præſtamus, *rationabile obſequium* ut ſit, monet Apoſtolus. Ita ſane egerunt ipſi quoque ſancti Patres, qui

(i) *Serm.* 36. *in Cant.* (k) *Lib. de quantit. anima c.* 7.

data occaſione, potiſſimum contra reticos Valentinianos, Manichæos, Aria-, Pelagianos &c. doctis atque ſubtili- diſputationibus pugnarunt. Neque itimum Dialecticæ uſum idcirco ne- gere oportet, quod ea multi Novato- fuerint abuſi. Nam ut ſcite obſervat Auguſtinus (l): *alioqui pro patria mi- non armandus eſſet, quia contra pa- am nonnulli arma ſumpſerunt.* *Tertio*, ndo in varias ſcholæ opiniones ſcin- tur in rebus, quas nec Scriptura, nec cleſia, nec Patrum conſenſus aut ma- eſta ratio nobis patefacit, magna qui- n ſentiendi libertas conceditur, nec unius verba Magiſtri jurare opus eſt. Quo loco, inquit doctiſſimus Melchior Canus ex Ord. Prædic. (m) ſane ar- guendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in ſchola acce- perunt, præjudiciis Viros aliquos Ca- tholicos notis gravioribus inurunt, id- que tanta facilitate, ut merito ridean- tur. Nobis autem ſchola noſtra ma- gnam quidem licentiam dat, ut quod- cunque maxime probabile occurrat, id noſtro jure licet defendere: ſed non

„ licet

l) *Lib.* 1. *contra Creſcon. c.* 1. (m) *Loc. Theol. l.* 8. *c.* 4.

„ licet tamen eos, qui nobis ſunt ad-
„ verſi, temere ac leviter condemnare.
„ Nec enim ſi quid aut Scotiſticis, aut
„ Thomiſticis pronuntiatis contrarium eſt,
„ error illico eſt.„ Et eodem libro non
procul a principio de ſe ſuoque Magiſtro,
Franciſco Victoria, candide fatetur: „Non
„ enim ullam, non S. Thomæ dico, ſed
„ ne Magiſtri mei opinationem quidem
„ revocavi ad arbitrium meum: nec cor-
„ di tamen fuit jurare in verba Magiſtri.
„ Nam & vir erat ille natura ipſa mo-
„ deratus: at cum Divo etiam Thoma
„ aliquando diſſenſit, majoremque meo
„ judicio laudem diſſentiendo, quam con-
„ ſentiendo aſſequebatur: tanta erat in
„ diſſentiendo reverentia. „ Hucusque
Canus. Credi vix poteſt, quantus hu-
jus canonis neglectus tempeſtates in ſcho-
lis Theologicis excitarit, & etiamnum
excitet. Nihilominus ea, de qua dixi
prius, libertas ſentiendi certis, ne eva-
getur, limitibus circumſcribenda eſt, in-
primis ut Theologus inter diverſas vel
contrarias ſcholæ opiniones eam ſeligat,
atque ſequatur, quæ magis ad fidei pla-
cita, & ad normam loquendi, qua Pa-
tres & Doctores, utuntur, quæque in
ſcholis recepta eſt, accedere videbitur.
Dein, ut in diſputando ac tuendo ſen-
ten-

tentiam ſeu voce ſeu calamo, omnis verborum aſperitas, rixandi libido, aut vana oſtentatio procul exulet. *Deus quippe non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis* (n). Acriter in hoc vitium invehitur D. Remigius (o): *Qui non tranquille & pacifice moderatur, quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad contentiones, & ſcandala, etiamſi non habeat hæreticum ſenſum, habet hæreticum animum.* Aureum igitur lemma illud ſane meretur, ut omnibus Scholis ac Cathedris inſcribatur magnis characteribus: *In neceſſariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

## §. IV.

### *Partitio Theologiæ.*

XI.

Fundamento doctrinæ Theologicæ jacto diverſæ modo claſſes, in quas diſtribui ſolet hæc ſcientia, quaſi totidem grandis ædificii partes, exponendæ veniunt. Juvat has primis duntaxat lineamentis nunc in conſpectum dare, pluribus poſtea, ubi de univerſæ Theologiæ Oeconomia ſermo erit, illuſtrandas. Alia igitur eſt Theologia, quam dicunt *Poſitivam*

(n) 1. *Cor.* 14. (o) *Lib. de tenend. fid. verit.*

*vam* seu *scripturalem*, quæ varios sacræ Scripturæ sensus explicat, ac doctrinam fidei & morum in iis contentam exponit. Hæc non innititur principiis, quæ ulteriore indigeant probatione, sed quæ fide divina creduntur, cujusmodi sunt; quæ ex Verbo Dei scripto vel Tradito, nobisque per Ecclesiam proposito in medium adferuntur. *Est enim Dei verbum fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, ultra quod nemo potest aliud ponere* (p). Agit autem de existentia S. Scripturæ, de numero librorum sacrorum, eorum argumento, Auctoribus & Interpretibus, de summa illorum auctoritate, variis editionibus, multiplici sensu, & genuina expositione, ac quibusdam locis in S. Scriptura controversis.

Alia est *Scholastica*, quæ fidei doctrinam ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, multaque ex his partim evidente, partim probabili ratiocinatione infert. Eadem est cum priore, eodemque munere fungitur, diversa tamen methodo, quam Scholæ Magistri succedentibus temporibus induxerunt, dum accuratius, subtilius, & ad artis Dialecticæ leges accomodatius propositas fidei morumque quæstiones in utram-

(p) *Ad Ephes.* 2.

utramque partem expendit atque decidit. Non eandem docendi viam inivere hac in palæstra summi quique Theologi: Dionysius Areopagita de cœlesti, subcœlesti, & supercœlesti Hierarchià dum agit, loci: sanctus vero Damascenus temporis seriem est persecutus in quatuor libris de fide Orthodoxa, in quibus Græcorum, immò omnium primus, universam exponit Theologiam, eoque ordine, quem dein imitati sunt Latini, Petrus Lombardus Magister sententiarum, & post hunc cœteri Doctores Scholastici. Joannes sapiens, cognomento Cyparissiotus (cujus opera ab utilitate ac fructu multum commendat Possevinus in Apparatu Sacro Tom. 2.) *Expositionem materiarum*, sive *elementarem* eorum, quæ de Deo a Theologis traduntur, in decem decades est partitus: 1. de Theologia Symbolica. 2. De demonstrativa. 3. De divinis emanationibus. 4. De informatione divini nominis. 5. De proprietatibus divinorum. 6. De apparitionibus divini luminis. 7. De Divina Participatione. 8. De infinitate Dei in creaturis. 9. De infinitate in Deo. 10. De divina simplicitate. S. Augustinus inter Latinos egit de amandis, credendis, & sperandis: D. Anselmus vero de Deo Homine: uterque autem

tem ſparſim de præcipuis quæſtionibus ac controverſiis in Theologia ſeſe offerentibus. Petrus Lombardus totam fidei doctrinam in quatuor libros collegit: primus horum continet doctrinam de Trinitate & unitate Dei. Secundus de creatione mundi ac præcipue Angelorum & hominum, deque gratia Dei. Tertius de incarnatione Verbi, deque virtutibus ac vitiis. Quartus de Sacramentis & Noviſſimis, reſurrectione, judicio &c. Angelicus Doctor denique quatuor ſententiarum libros (tanquam Magiſtri ſententiarum libris reſpondentes Commentarios) a ſe adhuc juniore elucubratos, poſterioribus vitæ annis in breviorem *ſummam* quæ *Angelica* vocatur, redegit. Hanc in tres partes digeſſit, quarum tamen ſecunda dividitur in duas alias, ſcilicet primam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ partis. In prima tractat de Deo uno & trino, de creatione, & Angelis, ac de homine præſertim primo. In ſecundæ partis prima de beatitudine, de actibus humanis, de legibus, de gratia, & merito: in altera parte hujus ſecundæ de virtutibus ſingillatim, nempe de fide, ſpe, charitate, ſapientia, prudentia, juſtitia, religione, pietate, obedientia, gratitudine, veritate, liberalitate, fortitudine, tem-

temperantia, & vitiis oppositis, ac tandem de gratiis gratis datis. In tertia parte agit de incarnatione Verbi divini, de ejusdem Christi nativitate, manifestatione, baptismo, conversatione, tentatione, doctrina, miraculis, passione, morte, resurrectione, ac de Sacramentis, ab eo institutis. Cæterum in hac tertia parte ultra Sacramentum Pœnitentiæ progredi non licuit S. Doctori; prius enim vitæ, quam operis sui finem fecit: ne tamen manca foret hæc Summa Theologica, posthumo labore ea, quæ deerant, ex quarto sententiarum libro, aliisque Magistri sui monumentis relictis D. Thomæ Discipuli suppleverunt, hancque superadditam a se appendicem *supplementum D. Thomæ appellarunt*. Continet autem universa summa 512. quæstiones, & articulos 2654. quorum singulos instar prodigii habendos Joannes Papa XXII. pronunciasse fertur. Eadem, aut non admodum diversa ratione, in hanc usque diem Theologiam scholasticam privatim ac publice profiteri solent ejusdem Doctores in plerisque aut certe præcipuis orbis Catholici Academiis.

XII.

Alia Theologia est *Polemica* seu *Controversa*, quæ contra infidelium & hære-

ticorum errores arma corripit, iisque fideles instruit, & perpetuo in bello absque induciis adversus Ecclesiæ ac Dei hostes versatur. Insignis sacra purpura Bellarminus in hoc Theologiæ genere versatissimus, & sane præcipuus, quem regni Polemici fere omnes Ducem sequuntur, tribus universam doctrinæ hujus oeconomiam tomis complectitur, in quorum primo de Verbo Dei scripto & non scripto, de Christo totius Ecclesiæ Capite, de summo Pontifice, de Ecclesia militante tum in Conciliis congregata, tum toto terrarum orbe sparsa, de membris Ecclesiæ militantis, de Ecclesia purgante, ac triumphante: In secundo de Sacramentis in genere, & de iisdem in specie: In tertio de gratia primi hominis, de amissione gratiæ, de gratia & libero arbitrio, de justificatione, ac denique de bonis operibus solidissime simul ac eruditissime disputat.

Alia rursus est *Theologia Moralis*, quæ mandatorum qua divinorum, qua humanorum vim obligandi proponit ac examinat, & quæstionibus illis, quas *Conscientiæ Casus* appellamus, respondet, atque ita hominum mores informat. Probatissimi doctrinæ hujus Magistri materiam amplissimam in septem potissimum Tractatus distribuunt: 1. de principiis ad in-

internam actuum humanorum regulam, seu conscientiam spectantibus. 2. De principiis ad externam eorundem regulam seu legem pertinentibus. 3. De peccatis & virtutibus in genere ac specie. 4. De justitia, contractibus, & restitutione. 5. De religione, voto, ac juramento. 6. De Sacramentis in genere ac specie, 7. De censuris. Hi sunt Theologiæ Moralis Tractatus, quos aut universos, aut plerosque, aut aliquos passim est reperire, præsertim post Concilium Tridentinum, quod studii hujus curam & praxin Episcopis ac animarum Pastoribus summa solicitudine commendavit. Non tamen passim quoque legendi probandique sunt Auctores hujus disciplinæ. Neque enim desunt, qui non satis caute casteque illam profitentur, quique in definiendis legum & conscientiæ officiis laxiores fuere, aut justo rigidiores: utrumque crimen castigaverunt summi Pontifices, dum eorum libros & propositiones libris insertas fulmine percusserunt, ac damnationis vel censuræ inusserunt notam.

Alia denique Theologia *Mystica* dicitur seu *Ascetica* vel *Schola affectuum*, quæ hominem non solum suæ ut cunque salutis, sed Evangelicæ perfectionis cupidum instruit, ejusdemque affectus in Deum di-

rigit, atque impellit. In tres a vitæ ſpiritualis Magiſtris veluti vias dividitur, in viam *Purgativam*, *Illuminativam*, & *Unitivam*. In prima removentur perfectionis obſtacula per peccatorum cognitionem, fugam, ac execrationem, per pravarum animi adfectionum extirpationem, ac tentationum victoriam. In ſecunda proponuntur adjumenta, quibus ad perfectionem perveniri poſſit veluti per gradus, nimirum per virtutum tum Theologicarum, tum moralium doctrinam & praxin. In tertia demum ipſa hominis Chriſtiani perfectio ante oculos ſiſtitur, & humana mens excitatur ad eam amplectendam ope *unionis* perfectæ cum Deo per memoriam, intellectum ac voluntatem, cæterarumque omnium potentiarum. Varii exſtant ac inſignes libri a ſpiritus Magiſtris conſcripti: nullus vero brevior, nullus ſolidior, quam aureus Exercitiorum S. P. Ignatii libellus, cujus doctrina cælitus inſpirata, & a ſummis Pontificibus ampliſſime approbata apud utriusque ſexus perſonas, qua profanas, qua ſacras immenſos ſane fructus vitæ melioris ac vere ſpiritualis in toto terrarum orbe hucusque protulit. Diverſæ claſſes Theologiæ hactenus recenſitæ diverſa velut flumina ſunt, quæ tamen eodem ex fonte originem ſuam trahunt,

hunt, & eundem ad finem, non tamen eodem itinere tendunt. Addunt nonnulli Theologiam Dogmaticam, velut novam quandam speciem. Sed de hac quid sentiendum sit, pluribus infra exponet Critica Theologica.

# CAPUT II.

## ORTUS ET PROGRESSUS THEOLOGIÆ.

### §. I.

### *Prima Theologiæ lineamenta.*

XIII.

Ut vetustissimos Theologiæ natales, & primas quasi cunas rite ac debito ordine investigemus, operæ pretium esse duxi, ut ejusdem infantia, adolescentia, juventus, ac virilis demum ætas, ad quam ultimis hisce seculis pervenit, in synopsin redacta pleniori historiæ præmitteretur, & unico velut obtutu spectanda exhiberetur. Itaque pima Theologiæ tum ejus, quæ Naturalis dicitur, tum illius,

quæ

quæ Supernaturalis appellatur, origo absque dubio ab Auctore naturæ ac Patre luminum ipso Deo petenda est. Ab hoc enim sub ipsa mundi nascentis primordia Protoparenti nostro Adamo cum reliquo scientiarum apparatu Theologia quoque, & quidem præ reliquis, tanquam omnium princeps scientia, seu potius Sapientia, ut eam nuncupant D. Augustinus & S. Thomas, pleno alveo fuit infusa, ac postmodum per filios & nepotes Adami, Sethum, Enochum, Noemum, aliosque per totidem quasi rivos in universum genus humanum propagata. Verum sidus hoc splendidissimum brevi vix non fuit extinctum. Quum enim post turris Babel eversionem, linguarumque confusionem exulare jusso veri Numinis cultu per magnam orbis partem passim invaluisset idololatria, Theologia quoque illa, quæ naturæ vires transcendit, maximis involuta tenebris diu latuit, & tenues duntaxat reliquiæ in ea Adami posterorum progenie, quos *Dei filios* nuncupat S. Scriptura, commune orbis diluvium & Babylonicæ turris rudera evaserunt: Theologiæ tamen illius, quæ naturæ ductu ac lumine ea, quæ supra se sunt investigat, cultura & cura potior fuit seculis illis, quamvis & hæc plurimis fabulis
&

& mendaciis depravata fuerit, hominum sacra profanis & Deum Diis miscentium vitio.

Ubi autem vera Religio, rerumque divinarum cultus Abrahami ac Mosis ævo liberius spirare cœpit, Theologica quoque scientia diu sepulta caput erigere ac latius dominari visa est, Abrahamo apud Ægyptios & Chaldæos, Mose vero apud Judæos eam propagante. Tum primum literis fuit consignata, constitutique Sacerdotes, Scribæ, ac Legisperiti, qui sacram hanc doctrinam palam profiterentur. Sequebatur ingens celebrium Prophetarum numerus, quorum magisterio populi ad verum Numinis cultum postliminio revocati, & Sacramenta ceremoniæque fuerunt institutæ, quibus Religio & divina hæc scientia sarta tectaque conservabatur sexcentorum annorum intervallo ad Roboami & Jeroboami tempora usque deducta: horum primo ad Judaici, altero ad Israelitici regni clavum sedente, tum ob continua inter duas has gentes bellorum incendia, tum ob destructas Veri Numinis aras, & erecta ubique idola per quingentos propemodum & quinquaginta annos neglecta obscurataque jacuit Theologia, nec nisi post captivitatis Babylonicæ finem Esdræ potissimum opera pristino splen-

ſplendori reſtituta fuit. Emicuit tum quidem veluti e nubilis phœbus, ſed brevi exortis diverſis, præcipue Samaritanorum ac Judæorum ſectis ad priores vix non tenebras damnata fuit.

Tandem *quum plenitudo temporis advenit*, ut ſacræ Scripturæ verbis utar, ac æternum Patris Verbum, unigenitus Dei filius humanam carnem indutus præmiſſa Prophetarum longa ſerie e cœlo in terras deſcendit, Redemptoris pariter ac Doctoris munere functurus, nova priſcis abolitis Sacramenta, ceremonias ac ſacrificia inſtituit, naturæ legem innovavit, ſcriptam partim exauctoravit, partim confirmavit, gratiæ vero legem reliquis longe ſublimiorem ac præſtantiorem propoſuit, & univerſam ſacram doctrinam novo Teſtamento complexus orbi Chriſtiano reliquit, per Apoſtolos ubique terrarum promulgandam, quos gentium Doctores conſtituit. Per hos, uti & alios Eccleſiæ Patres antiquitate ac ſanctitate ſumme venerandos, præcipue S. Dionyſium Areopagitam, præclariſſimis libris de Hierarchia Eccleſiaſtica & divinis nominibus (ut probabilius eſt) a ſe conſcriptis (q) opti-

(q) *Legi meretur hac de re Petrus Annati, qui poſt Pagium & reliquos Criticos ſcripſit, Tom.* I. *lib.* 4. *art.* 8.

ptime de Theologia meritum, Clementem
lexandrinum, & Origenem sacra doctrina
tissime orbem terrarum est pervagata. In-
alescentibus dein hæresibus eminuerunt
Ecclesia Dei sanctissimi Patres, simul
; summi Theologi cum Græci: Atha-
isius, Basilius, Gregorius Nazianzenus,
hrysostomus, tum Latini: Hieronymus,
mbrosius, Hilarius, Augustinus, Gre-
orius &c. Sequentibus quoque seculis
atres ac Doctores de rebus fidei tam
blice in Conciliis, quam privatim in
tedris multa theologice disputarunt,
plura copiose mandarunt literis, quam-
s non ordine illo, eaque methodo,
uæ nunc in scholis adhiberi consuevit,
d velut agmine facto, nec modo certis
nitibus circumscripto, donec vastissimæ
tic doctrinæ in ordinem redigendæ ma-
us primum adjecit circa an. Chr. 800.
inctus Damascenus conscriptis quatuor
orthodoxa fide libris, in quos Græ-
rum Patrum dogmata & Sententias
llegit, certis locis distinctas. Hujus
stigiis insistens longo post temporum
tervallo Petrus Lombardus, Episcopus
risiensis, ingens ejusdem Academiæ lu-
en, Seculo duodecimo ad annum 1160.
b Alexandro III. Latinorum Patrum
ta & Sententias in quatuor volumina,
quæ

quæ *Sententiarum libros* nuncupavit, variosque titulos, quos *distinctiones* dixit, accuratiore calamo digessit, appellatus idcirco Magister Sententiarum. Denique circa annum 1260. sub Alexandro IV. novam ingressus est sacræ doctrinæ viam ad scholasticas leges penitus exactam D. Thomas Aquinas, Summamque quasi totius Theologiæ medullam in lucem edidit. Hanc omnium encomiis dignissimam, & Angelica manu elaboratam universus postmodum orbis literatus non solum est amplexus, verum etiam in præcipuis totius Europæ Academiis civitate donavit. Atque hæc prima & rudia Theologiæ Ortus ac Progressus quasi lineamenta sunt: meliorem accuratioremque totius ædificii ideam ea quæ sequuntur, suppeditabunt.

## §. II.

## *Theologia Naturalis.*

### XIV.

Utriusque Theologiæ genus, tam illius, quæ naturæ viribus subnixa per creaturas numero, specie, artificio, indole diversissimas, veluti per totidem gradus ad ipsum Mundi Opificem, Rectorem ac Gubernatorem supremum, rerumque supernarum notitiam, quamvis adhuc te-

nebris

nebris quibusdam involutam, eluctatur: quam ejus, quæ vires naturæ supergressa, arcano Numinis alloquio erudita, fideique lumine illustrata, in ipsa cœlestium mysteriorum adita penetrare novit; utriusque inquam Theologiæ hujus genus mundo jam coævum fuisse palam est Theodoreto teste (r) dicente: *Veram Theologiam ab initio hominibus natura tradidit, & divina subinde eloquia confirmarunt.* Verum heic loci duntaxat erit sermo mihi de naturali Theologia. Nam seposito illo superno lumine, quod semper à mundi exordio quibusdam illuxit, nunquam quantumvis exundante per orbem errorum eluvione defuerunt, qui sese supra corpus spiritu efferrent, veresque Theologos agerent. Et profecto quum supremi Numinis indoles ea sit, ut si foras & velut in publicum prodire velit, nihil extrà se possit producere, quin ad se iterum revertatur, suamque in omnibus rebus creatis gloriam quærat, quæ secundum Doctoris Angelici effatum clara est cum laude notitia, fieri non potuit, ut hominem intelligendi usu ac vi præditum condendo, inviolabili lege sibi ipsi statuta, ei-dem

(r) *Lib.* 3. *de curand. Græcan. affect.*

dem naturæ lumen denegaret, quo adjutus ad summi rerum tam naturalium quam supernaturalium Conditoris notitiam, & laudem pertingeret: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* (s). Atque hoc pretiosum & fulgurans naturæ humanæ cimelion ab ipsa mundi origine etiam inter idololatriæ densissimas tenebras, & vitiorum omnium per orbem grassantium sordes ac fœces intactum servavit, ita ut omni ævo non defuerint, qui hanc Theologiæ naturalis doctrinam indefesso studio & sibi comparарint, & longo usu in alios transtulerint.

XV.

Triplicem Theologiæ hujus classem M. Terentius Varro aureæ ætatis scriptor, & ex hoc Augustinus (t) distinguit, primam *Poeticam*, alteram *Physicam*, tertiam *Politicam*. Non minus Eusebius (u), *In tria*, inquit, *genera Theologiam partiuntur, nempe in fabulosum, quod etiam Historicum appellant, Poetis maxime attributum, in Naturale atque mysticum, quod Philosophi approbarunt: & in Civile, quod in singulis civitatibus consuetudine & legibus defensatur.* Primam itaque

(s) *Psalm.* 9. (t) *l.* 6. *de Civit. Dei c.* 5. (u) *l.* 4. *de præparat. Evang.*

que Theologiæ naturalis classem Poetæ sibi vendicarunt. Hinc Augustinus (x) Orpheum, Musæum, & alios, qui carminibus Deorum suorum laudes celebravere, Theologos appellat, quos etiam alii graves Auctores, uti Clemens Alexandrinus & Isidorus eodem honorarunt titulo, genusque Theologiæ fabulosum nuncuparunt. Initia illius optima & innocua, sed progressione temporis sensim admixtis fabulis, infecto quasi fonte contaminata & depravata fuisse tradit Aristoteles (y). Locus est admodum illustris, lectuque dignissimus. „ Est, ait, „ ab antiquis veteribusque fabulæ modo „ traditum, posterisque relictum, & Deos „ esse, & totam naturam divino Numine „ contineri. Reliqua vero fabulose allata „ sunt cum ad multitudinem persuaden„ dam, tum ad legem, & ejus quod con„ ducit usum: humana enim aliorum„ que animalium specie eos effingunt: „ talia etiam complura, quæ hæc conse„ quuntur, ac cum iis, quæ dicta sunt, „ similitudinem habent, efferunt: a qui„ bus, si quis primum illud adjunxerit, „ sumpseritque, illos primas substantias „ Deos

(x) *L.* 18. *de Civ. Dei.* (y) 12. *Metaphys. textu* 50.

„ Deos esse existimasse, divine dictum „ esse arbitrabitur „. Hæc Aristoteles, e cujus verbis patet, primum fundamentum & tanquam basin hujusce totius Theologiæ fuisse veritates illas de Deo, & supernis mentibus, ac mundo divina virtute administrato, cui tamen superstruxerunt inanem ac plenam fabulis molem Poetæ, canentes tantum sibimet ipsis, nostri autem curam nullam habentes, ut idem auctor ait (z). In hoc primo Theologiæ genere e veterum Auctorum libris erudetando multus est Eusebius, de quo memini, docens, Theologiam hanc a Phœnicibus ac Ægyptiis ortum traxisse, atque ab his in cæteras regiones, ipsamque adeo Græciam temporum tractu diffusam postea universum orbem complevisse. Phœnicum primus erat, qui literis eam complexus est, Sanconiathus gentis illius Theologus, qui ante Trojanum bellum floruit: hanc vero postmodum ab ignorantia vulgi vindicavit, & in dignitatem doctrinæ reduxit teste Clemente Apostolorum sectatore (a) Mercurius Trismegistus Ægypti Rex, Sacerdos, & Philosophus, Vir doctrinarum omnium monumentis in libros quamplurimos congestis cla-

(z) 3. *Metaph. textu* 15. (a) *Apud Cyrillum l. 6. in Julian.*

clarissimus. Eandem apud Ægyptios Manetus integro, quem *Sacrum* appellavit, libro comprehensam primum in lucem edidit. E Phœnicia vero in Græciam doctrinæ hujus sacræ Palladium transtulisse prodit Theodoretus (b) Cadmum, quem Cornutum Philosophum nuncupat. Omnium autem maxime illustrasse hanc visus est apud Athenienses Orpheus Poeta, quem summum Theologorum nominatum esse testatur Clemens Alexandrinus, ejusque carmina divinæ antiquitatis dicta fuisse tradit Arnobius (c).

Alterum, de quo dixi, priscæ Theologiæ genus *Naturale ac Physicum* erat, in quo excolendo strenue laborarunt præ reliquis Plutarchus & Porphyrius, cui postremo magnum decus conciliat Eunapius (d) tradens: „ illum postquam perspicuitatis remedium degustasset, arcanas Philosophorum latebras & quasi Poetarum involucra retexisse, & scriptis commentariis palam exposuisse„. Laborarunt & Methrodorus Lampsacenus Heraclides, Zeno, Chrysippus, & Diogenes Babylonius, aliique magni nominis Philosophi, quorum in eo studium &

(b) *L. 2. de Curat. Græc.* (c) *l. 5. contra gentes.* (d) *in ejus vita.*

& cura versabatur, ut veterum Poetarum, quos ævi illius Theologos appellant scriptores, de Diis ac rebus divinis doctrinam plurimis fabulis, commentis, & erroribus infectam expurgarent, & latentem sub hoc cortice veritatis nucleum extraherent. Quippe ut Clemens Alexandrinus (e) notavit: *Poetæ qui a Prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa multa philosophantur, Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus, & Hesiodus, & si qui sunt ea ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est Poetica delectatio, somniaque & symbola &c.* Detraxere igitur velum hoc cum reliquis fabularum parergis Sophi, ac insito naturæ lumine, & rationis magisterio agentes primum Theologiæ genus ad secundum istud traduxere. Præ aliis curatius hoc præstiterunt tum Aristoteles (f) tum Plato ejusque discipuli, quos *a magnitudine speciei, & creaturæ vi prædicti luminis discurrendo ad invisibilia Dei, ejusque virtutem & divinitatem, cæteris Philosophis antecelluisse* ostendit D. Augustinus (g). Quamvis autem diversas hoc in stadio vias iniverint, in eo tamen ferme omnes convenerunt, ut in tradenda rerum

(e) *L. 5. Strom. c. 5.* (f) *l. 6. Metaph. c. 1.* (g) *lib. 8. de Civit. Dei.*

rerum supernarum doctrina non aperta fronte incesserint, nec plana usi fuerint methodo, sed multa nebulis ac tenebris involverint, symbolis ac ænigmatibus utentes, pluraque sibi ac discipulis suis arcana reservantes, quæ in vulgus proferre nefas erat: cujus rei rationem adsignat Porphyrius, *quod & ipsi Dii hanc doctrinam non aperte tradiderint hominibus*, ideoque cum omnibus non esse communicanda scripta illa sua serio admonet. Nimirum viri hi prudentes & acuti, quemadmodum satis constat de Trismegistro, Platone, Aristotele, Epicteto, Cicerone Seneca, aliud de Polytheismo intus in cordis penetralibus sentiebant, aliud foris in publico proclamabant, non quidem destituti lumine naturali de Dei unius existentia, de vero summoque bono, de Angelis seu Geniis & Intelligentiis, uti vocitabant, &c. sed Christianæ fortitudinis expertes, quo minus quæ re ipsa senserunt, palam profiterentur.

## XVI.

Tertia antiquæ Theologiæ portio Civilis dicebatur, utpote cujus cognoscendæ ac administrandæ cura civibus & magistratibus per urbes, maxime sacerdotibus incumbebat, teste Varrone. Continen-

tur apud Eusebium (loco prius citato). *Hoc tertio genere oracula, responsa, curæ morborum in hominibus piis ac probis, & econtra ejecti vel aucti morbi in impiis*, quæ scilicet fiebant per incantationes, haruspicia, vota &c. Quumque in duabus prioribus Theologiæ classibus liberum cuique esset, sentire quod vellet, approbare quod displiceret, adversus hanc tertiam, quæ singularum civitatum legibus cavebatur, nemini seu Poetarum seu Philosophorum movere quidquam fas erat, nisi mallet jure patrio tanquam læsæ majestatis reus agi, ac subire capitis pœnam contra eos decretam, qui Deos secundum leges & patriæ consuetudinem non venerarentur. Hunc vero cultum quatuor in partes distribuit memoratus Eusebius de exquisitissimorum, ut ait, Theologorum sententia: nempe in eum qui Deo, & qui bonis dæmonibus, quique heroum animabus adhibebatur, ac illum denique, qui placandis pravis dæmonibus fuerat destinatus. Cæterum ista, quæ toto hujus antiquæ Theologiæ ambitu continentur, concludit D. Augustinus (h) palam cedere debere illi, quam Platonici profitebantur, Theologiæ. In hujus laudes plerisque in locis effundere se non dubitavit hic

(h) *L. 8. de Civit. Dei.*

hic Ecclesiæ Doctor, neque solus; sed sanctum quoque Dionysium Areopagitam Platonicis adnumerat S. Thomas (i). Quin immo, uti ait Cardinalis Cusanus (k); *S. Dionysius adeo Platonem imitatus est, ut sæpius Platonis verba seriatim posuisse reperiatur.* Tanta enim erat Platonicæ & Christianæ doctrinæ, si quædam capita spectentur, conspiratio & hormonia, ut teste Augustino Platonicorum nonnulli per insignem blasphemiam jactare ausi fuerint, Christum e libris a Platone conscriptis didicisse omnes illas sententias, quas mirari ac prædicare cogebantur. Verum versa vice ac mutato clypeo constans est multorum Patrum assertio, hanc de rebus divinis doctrinam e libris sacris a Platone haustam fuisse, quos tum illi tum Ethnicis aliis probe cognitos, & ex parte descriptos docent Origenes, Ambrosius, Justinus, Eusebius, Clemens Alexandrinus &c. Constat enim Platonem in Ægyptum ad Theologiam ejus gentis perdiscendam peregrinatum ivisse, qua occasione sacros aliquot Codices legere audireque potuit. Unde illud Numenii apud Clementem Alexandrinum (l) *nihil aliud*

(i) *Init. Comment. de divin. nomin.* (k) *In Apologia docta ignorantia.* (l) *Lib.* 1. *Stromat. c.* 13.

*aliud esse Platonem: quam Mosen Atticum.* Atque ex his patet, Platonis Theologiam magna saltem ex parte non fuisse ratione philosophica comparatam, sed ex furtive cognitis, quæ sacris in literis Deus revelavit, translatam. Potuit tamen facile Plato ex iis, quæ sic didicerat, admoneri, ut ingenio contenderet, & ratione etiam naturali, quæ de Deo & supernis Mentibus præclare dicta legisset, rudi velut minerva comprehenderet: id duntaxat dolendum, quod naturalis hujus Theologiæ Doctores ac Professores, ut gentium Apostolus loquitur (m), *cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.*

## §. III.

### *Theologia supernaturalis Veteris Testamenti.*

XVII.

Lustrata quasi per otium naturali Theologia ad supernaturalem, ejusque originem pluribus investigandam gressum promovere juvat, utpote ad rem instituto meo propriam & certioribus nixam monumentis. Supernaturalem Theologiam appello eam facultatem, quæ divinam

(m) *ad Rom.* 1.

nam fundamenti loco ponit *revelationem*, & spectata primigenia indole sua de mysteriis agit intellectus humani vires superantibus, nec solum de Deo ut Auctore naturæ, sed maxime ut Auctore gratiæ ac gloriæ, *quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis ascendit* (n). Atque hæc Theologia natales ac genus suum usque ad mundi exordium, & primum parentem extendit. Quis enim in dubium, vocare ausit, Adamum a Deo scientiarum omnium fonte, & quidem purius, hausisse cum aliis gratiæ donis donum quoque fidei, ac cognitionem præcipuorum saltem cælestium arcanorum, quum *sine fide impossibile sit placere Deo*, ut inquit Apostolus (o). Quis negare poterit homini huic ad finem supernaturalem ab origine sua conditi supernaturalium rerum perfectam scientiam; quum naturalem pleno velut alveo a Deo ipsi fuisse infusam satis constet, utpote qui ab eodem supremum in pisces maris, volucres cœli, ac terræ bestias, universique globi terrestris dominatum accepit, cunctisque animalibus in conspectum suum adductis nomina illorum naturæ ac indoli convenientia imposuit (p)? Certe si Deus

(n) 1. *Cor.* 2. (o) 1. *Cor.* 2. (p) *Genes.* 1. & 2.

Deus secundum unanimem Patrum consensum Adamo tanquam humani generis capiti posterorum voluntates nexu tam arcto colligavit, ut seu bonum seu malum ageret, id in omnes omnino transfunderetur, hominum quoque intellectus tam propinquo illi fœdere junctos fuisse fas est credere, ut in eos scientiam naturalium, multoque amplius supernaturalium rerum e cœlo haustam derivaret.

Hinc dubio procul acceptum hoc a cœlo pignus, quamvis corporis & animæ viribus post lapsum non nihil hebetatis imminutum, sacram videlicet doctrinam, filiis suis ac nepotibus non solum tradidit idem Adamus, verum etiam ut constitutus in hoc rerum uuiverso humani generis primus Doctor, & ut ita dicam Professor publicus eandem explicavit exposuitque, quantum opus erat, ut constantes ac firmi in vera religione persisterent, dubiisque tum suis, tum aliorum occurrere, ac fidei hostes, quibus Ecclesia nunquam caruit, oppugnare ac profligare possent. Nefas enim foret dicere, Deum veræ Religioni ac Ecclesiæ suæ initio statim defuisse, nec omnia ad salutem necessaria illi providisse. Neque existimandum est, sacram tum temporis do-

ctri-

ctrinam sine ordine, sine lege fuisse traditam; nam primi Patriarchæ illi ac Doctores non solum fidei principiis probe imbuti fuerunt, sed & plurimas ex iisdem principiis conclusiones ratiocinando colligere potuerunt tum evidentes, tum probabiles, *immediatas*, *ac mediatas*, ut scholæ loquuntur, nec non variis modis, rationibus, & exemplis illustrare ac defendere, quin & satisfacere contrariis in medium allatis, quum & ingenio plus defæcato, & singulari eruditione per tot annos, quibus vitam produxere, longo usu & studio comparata pollerent. Profecto alias jam tunc scientias & artes tam liberales Astronomiæ in Adamo, Musices in Jubale, Architectonicæ in Caino, quam mechanicas Ferrariæ in Tubalcaino, Agriculturæ rursus in Caino, Pastoritiæ in Abelo & Jabelo, Venatoriæ in Lamecho, has inquam artes jam tum floruisse e sacris Litteris & gravissimis Interpretibus satis constat. Tenuerunt igitur primi scientiarum & artium Magistri certam in pertractandis naturalibus disciplinis methodum ac viam, nullam vero in supernaturalibus & Theologicis, ad Dei cultum & animarum culturam spectantibus?

Quapropter ita existimo, uti profanas scientias in Caini posteris, quos scriptura

filios

*filios hominum*, ita factam, de qua sermo est, doctrinam in posteris Sethi, quos *Dei filios* appellat, veluti domicilium fixisse, & ab iis multas licet inter vicissitudines conservatam, ac continuo quasi tractu in hæc usque tempora propagatam fuisse. *Quanta enim*, exclamat Psaltes Regius (q) *mandavit* Deus *patribus nostris nota ea facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera; filii qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Enos Sethi filius A. M. 235. primus solemniores statasque ceremonias divino cultui adhibuit: unde primus *invocasse nomen Domini* in Scriptura perhibetur: vel ut hebræa versio docet, *tunc cœptum est*, scilicet publice & per cœtus, Auctore Enos *invocari nomen Domini.* Videntur igitur eo tempore primum homines in cœtum sive Ecclesiam congregari cœpisse, & ad conciones publicas confluxisse, ita ut Valdensis & Bellarminus cultum aliquem sublimiorem, quam esset vulgi Religio, ab Enos institutum fuisse credant. Hujus vestigia pressit Henoch Jaredi filius A. M. 622. quem scriptura *cum Deo ambulasse* testatur (r), quique sublimi fulgens rerum divinarum scientia doctrinæ sacræ magisterium abrumpere coactus est, melio-

(q) *Psalm.* 77. (r) *Genes. c.* 5.

liorem in regionem translatus, ut inde redux ad mundi finem illud latius inter fideles spargeret. Aucto postmodum humano genere, ac mortalibus passim in scelera ruentibus suscitavit Deus Noemum A.M. 1056. *Virum justum*, id est religiosum & perfectum in omnibus actionibus (s), qui sacram doctrinam verbo, vitæque ad omnes virtutis leges compositæ exemplo disseminaret integro centum annorum spatio, quo Numinis jussu arcam fabricavit, in qua humani generis simul ac veræ religionis reliquias post exantlatam universæ terræ inundationem orbi restitueret.

## XVIII.

Ad hæc usque tempora magno in honore Theologia, seu sacra de Deo rebusque divinis doctrina fuit habita. Sed divisis post turris Babel eversionem per omnes mundi plagas Noemi posteris (quamdiu enim una fuit hominum lingua, nulla fuit idololatria) & corruptis mortalium moribus, cultuque veri Numinis ad falsos Deos translato, exiguos intra fines sublimis hæc scientia continere sese debuit. *Dimiserunt enim homines Deum, a quo facti erant, & colebant illa, quæ ipsi*

(s) *Genes. 6.*

*ipsi fecerant*, ait S. Augustinus (t); donec Abrahami & Mosis ævo caput erigere, ac latius dominari cæperit. Horum prior ex Ur Chaldæorum A. M. 2023. a Deo evocatus in regionem Chanaan migravit, futurus veræ Religionis parens, eosque populos omni sapientia tam divina quam humana erudiendos suscepit. Nec publicæ tum temporis defuerunt scholæ, quas teste Lyrano per tabernacula Jacob designaverunt Hebræi exponentes Scripturæ locum, in quo (u) dicitur Jacob habitasse in tabernaculo, seu *in domo doctrinæ*, discens sapientiam & timorem Dei. Suffragatur Hebræis Chaldaica versio: *Jacobus erat vir integer, & Minister domus doctrinæ.* Horum itaque testimonio, quod Cornelius a Lapide (x) producit, triplex ea tempestate Schola Tceologica patebat, una cui Heber, altera cui Melchisedech in urbe Gariat Sepher, tertia cui Abraham summa cum potestate præerant, cuique operam suam præcipue Chaldæi & Ægyptii navarunt, eo profectu, ut maximorum ævi illius Theologorum nomen famamque sibi compararint, quorum etiam scripta Theologica ad nos usque pervenerunt, ut Trismegisti, Jamblici, Berosi &c. Alter,

(t) *in Ps.* 48. (u) *Genes.* 25. (x) *in Genes. c.* 25.

er, nimirum Moses A. M. 2373.
elitarum Dux, scientiarum fere om-
m Magister sacram præ reliquis do-
nam professus est, primusque literis
i consignavit. Hic non solum Græ-
, verum etiam Ægypti Sapientes uti
pore, ita etiam eruditione præcessit.
amvis enim Augustino teste (y) „ fa-
endum sit, in Ægypto jam fuisse ante
Mosen nonnullam doctrinam, quæ Ægy-
tiorum sapientia diceretur; alioquin
ion esset scriptum in literis S. Mosen
uisse eruditum omni sapientia Ægy-
ptiorum, tunc utique, cum ibi natus
st, & a Filia Pharaonis liberaliter edu-
atus„ nihilominus negari haud potest,
sen eodem tempore vixisse, quo Cecrops
nus Atheniensium Dux, qui bello Troja-
, post quod floruit Homerus Græcæ
ditionis parens, quadringentis circiter
is superior fuit: quin etiam ut ac-
ior Chronologia monstrat, primum
yptiorum Philosophum ac summum
ologum Trismegistum tempore ante-
dit. Hos igitur sicuti ætate, ita alios
que legis Doctores sapientia præcessit.
te D. Gregorius (z) luculentum pro-
testimonium: „ Quis enim nesciat,
„quod

(y) *L.18. de Civit. Dei.* (z) *Hom.16. in Ezech.*

„ quod Abraham cum Deo locutus eſt, „ & tamen Moſi dixerit Deus: Ego Do- „ minus, qui apparui Abraham, Iſaac, „ & Jacob in Deo omnipotenti, & no- „ men meum non indicavi eis. En igi- „ tur, quod plus Moyſi, quam Antiquio- „ ribus innotuerit„. Quanta vero cura & ſtudio Doctoris Theologi munere tam excelſo functus fuerit Moſes, ex ipſa patet S. Scriptura dicente (a): *veniebat ad eum populus exquirere ſcientiam Dei.* In quem locum D. Auguſtinus (b) ita commentatur: „ Nunquid enim Moſes, quam- „ vis cum illo Deus loqueretur, per ſin- „ gula credendus eſt, quod conſulere ſo- „ leret Deum, ſi quid eſſet in diſcepta- „ tionibus tantæ multitudinis, quæ illum „ in hoc judicandi negotio a mane us- „ que ad Veſperam detinebat? & tamen „ niſi ſuæ menti præſidentem Dominum „ conſideraret, legemque ejus æternam „ ſapienter attenderet, quid juſtiſſimum „ inter diſceptantes judicare poſſet, non „ inveniret„. Ex quibus Auguſtini verbis facile innoteſcit, Moſen non ſemper ex ipſo Dei revelantis fonte ſua ad populum reſponſa hauſiſſe, ſed tum ex lege æterna Dei, tum ex doctrina Numinis menti ſuæ præſidentis deduxiſſe judicium. Igi-

(a) *Exod.* 18. (b) *Lib. 2. qq. ſupra Exod. q. 97.*

Igitur in quæstionibus præsertim ad cultum & legem Dei ac fidei mysteria pertinentibus, cujusmodi ad ipsius tribunal delata fuisse constat (c), inferebat sententiam Dei, eam deducendo ex doctrina divinitus inspirata ac revelata, id quod Theologis Scholasticis etiamnum hodie proprium est ac solemne.

## XIX.

Felicibus his sub Abrahamo ac Mose auspiciis stabilita res Theologica augmentum postea sumsit longe maximum. Quippe sacra hac doctrina literis consignata constituti sunt Sacerdotes, Scribæ, ac Legisperiti, qui Theologiam publicis in cætibus seu scholis profiterentur, & selectos e fideli populo candidatos erudirent: atque ex his prodiit ingens Prophetarum numerus, quorum plerique, ut constat ex Eusebii Chronico, aliorumque, Thalete Milesio, Socrate, Platone aliisque Philosophis, quos naturalis Theologiæ Doctores diximus, antiquiores fuerunt, inter quos Abdias, Michæas, Zacharias, Osea, Amos, Isaias, adeo ut gravis conjectura sit, vetustissimos Auctores profanos pleraque quæ de Deo, rebusque divinis præclare disseruerunt, e sacris Prophetarum libris

(c) *Exod.* 16. 18. 20.

bris velut e penu copiosissima depromsisse, suoque nomine insignitas alienas has merces, postquam hinc & inde variarunt, nonunquam etiam corruperunt, posteris vendidisse. Prophetæ hi multos quoque discipulos & Auditores numerabant, quos Scriptura *filios Prophetarum* appellat. Ita sub Josue constitutas legimus scholas quasdam Prophetarum, seu filiorum Prophetarum, qui sub illis præceptoribus formabantur in Asceticis exercitationibus virtutum, in studio, contemplatione ac lectione divinæ legis, ut observat Eruditissimus Calmet. Ejusmodi scholas in Naioth Ramathæ (quem locum Chaldæus domum doctrinæ interpretatur) Samuele Auctore floruisse, quo David sese receperat, satis constat e libris Regum (d). Præterea in Bethel civitate (e). In agro quoque Hierichuntino sub Elia & Elisæo (f). In Silo, in Galgalis &c. In his, in quibus Prophetæ de maximis rebus consulebantur: eorumque lectiones & sacræ doctrinæ expositiones excipiebantur, convenire solebant Auditores magno numero, maxime circa Calendas, & Sabbatis. Ita enim Sunamitis (g), quum ad Prophetam Elisæum properaret insolito tempore, a viro suo

(d) 1. *Reg. c.* 19. (e) 4. *Reg.* 2. (f) *eod. loc.*
(g) 4. *Reg.* 4.

suo interrogatur: *Quam ob causam vadis ad eum? bodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum.* Scholas has adhuc veluti privatas exceperunt publicæ, Synagogas dixere, in quibus orationi ac rerum divinarum studio, & legis interpretationi vacare solebat fidelis Hebræorum populus. Hinc in Actis Apostolorum (h) legimus: *Moyses enim a temporibus antiquis habet, in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Harum aliquas jam ante captivitatem Babylonicam exstructas fuisse argumento est, quod Nabuchodonosor incendio vastasse Synagogas Judææ omnes perhibeatur. Sub ipsa vero captivitate per septuaginta fere annos continuata uti sacra doctrina, ita & Synagogæ potissimam partem siluerunt; quamvis & ex libro Judith & Esther privatas quasdam Regum indulgentia institutas fuisse colligatur: post solutam autem captivitatem etiam Judæorum Theologia detractis veluti barbaris compedibus in publicum prodiit, fuitque reperire tantum Synagogarum numerum in Judæa, ut una urbs Solymæa quadringentas, vel ut alii testantur trecentas & quatuor in sinu suo fove-

(h) *Cap.* 15.

foveret, singulas singulis scientiis & artibus destinatas.

Inter has eminebat magna Synagoga, seu Consessus centum & viginti Patrum, quorum Princeps Esdras, qui populum e captivitate Babylonica eduxit, & veri Numinis, rerumque sacrarum doctrinam instauravit. Senatum hunc duplici potissimum de caussa constitutum legimus, tum ut divinæ legis observantia in veterem dignitatem ac sanctitatem restitueretur, tum ut in unum corpus redactis sacris libris digereretur ille, quem appellant, Scripturarum Canon, & exacta correctaque S. Codicis editio vulgaretur. Juvat hoc loco pauca inserere de methodo docendi, quæ in Synagogis & Scholis tenebatur, e novi Testamenti libris, & Actis Apostolorum depromta: Servator adhuc duodennis repertus est in medio Doctorum, audiens & interrogans eos (i). Quum vero in Synagoga Nazareth patriæ suæ die Sabbati compareret, surrexit primò, & oblatum sibi Isaiæ volumen revolvit (k), legitque e Propheta sententiam: tum convolvit illud denuo, ac Ministro dedit, asseditque verba facturus. Legebat ergo stans eo, quos nos legere solemus Evangelium more: postmodum sedens docuit. Gentium vero

(i) *Luc.* 2. (k) *Luc.* 4.

Apo-

Apostolus ante pedes Gamalielis instructum se fuisse affirmat (l). Ambrosiaster autem (m) diversos gradus distinguit: Apud hebræos ait sedere Rabbinos in cathedris eminentibus: e discipulis qui magis profecissent, in scamnis infra Doctores: juniores vero humi in storeis. Sed Auctores Thalmudici perhibent, olim Doctorem sedisse stantibus discipulis; at ab hoc more recessum fuisse jam ante templi per Romanos eversionem, cautumque ut primum scamnum teneret Doctor, quem vel aliis scamnis in coronam dispositis, vel omnino terræ insidentes ambirent Auditores. Porro Synagoga publicum erat ædificium extra vel intra urbem, in loco plerumque editiore constitutum: ut plurimum tecto munitæ fuerunt; nam quæ sub dio patebant, Prosevechæ appellabantur. In medio earum eminebat tribunal seu cathedra, legendis libris sive voluminibus legis destinata, e qua etiam verba ad populum fiebant; ad extremum autem Orientis latus e regione ostii scrinium erat positum pro custodiendis sanctis libris, pretioso panno opere phrygio obvolutis: propius demum pro faeminis ac separatus a viris locus patebat in

(l) *Act.* 22. (m) *In* 1. *ad Cor.* 14.

in Tabulato quodam cancellis clauso, ita ut videre quidem illæ, videri tamen non possent.

XX.

Per Synagogas hucusque descriptas veræ Theologiæ lux velut in edito loco posita in omnem populum fidelem, quin & in gentes vicinas radios suos dispensavit, donec non multo ante Christi adventum tempore a diversis, in quas Judæi scindebantur, sectis involvi non modicis cæpit tenebris. Harum quatuor erant præcipuæ: *Pharisæorum* nempe, *Sadducæorum*, *Essenorum* & *Herodianorum*. Pharisæi, voce Hebræa *Phares* a divisione sic nominati, vitæ magis religiosæ, ac sublimioris scientiæ genere a cæteris Israelitis sese distinguebant. Nam Scribæ sacrorum librorum literam duntaxat sequebantur, nec ab ea recedebant vel latum unguem, dum Pharisæi eundem sensum paullo altius rimarent arcanis intenti mysteriis. Cæterum plura fatis, sive ab æterno præstitutis de rerum successione a Deo decretis tribuebant, ita ut non multum a Stoicis abludere Josepho teste, qui & ipse hanc sectam professus est, viderentur. Ait enim „ plura quidem illos fa-
„ to concessisse, non tamen liberi arbitrii ho-
„ minibus concessi dispendio „. Astrologiæ
„ nihilominus ejusdem testimonio dedi-

tissi-

tissimi fuerant, rati, se abditissima Providentiæ consilia siderum inspectione reseraturos: existere Spiritus & Angelos, uti & animæ immortalitatem, ac mortuorum anastasin contra Sadducæos tuebantur; quamvis metempsychosis cujusdam genus adjicerent, justorum animas de uno in aliud corpus migrare autumantes, quum interea impii tenebricoso in carcere perpetuo detinerentur. Hinc Pharisæorum quidam Christum Joannem Baptistam, aut Eliam esse suspicati sunt (n). Ejusdem Servatoris ævo magnam sibi famam apud populum comparabant crebris jejuniis, prolixis orationibus, eleemosynarum in publico largitione, atque exacta decimarum solutione: verum hæc elatione quadam, ostentatione, ac hypocrisi, non virtutis studio agentes dealbatis extra monumentis, intus fœtore plenis comparari meruerunt: quin & ipsa legis gravissima præcepta male tortis interpretationibus ac vanis superstitionibus ita corruperunt, ut jugum legis plane intolerandum reddiderint. In publicum autem prodeuntes fronti & cubito oblongas latioresque membranas certis legum sententiis inscriptas adligabant: immo etiam in palliis ansulas quasdam & fimbrias longius,

(n) *Matth.* 16.

gius, quam mos ferebat, pendentes gestabant, ut hoc indicio legis studio cæteris præstare viderentur. *Pharisæi* ait D. Hieronymus in Commentario supra Matthæum, *scribebant in membranis Decalogum Moysis, id est, decem verba legis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur.*

Alterius sectæ conditores erant Sadducæi, a Saddocho orti: hi prava quædam dogmata de Angelis, & animæ rationalis immortalitate tenebant, asserentes uti refert Josephus (o) homines anima non solum rationis, sed & mortis capace instructos esse; quumque nulla vel præmia vel pœnas in altera vita operirentur, in exigendis sontium pœnis immites se exhibuerunt: neque enim de legibus apicem quidem negligi, si non in se, certe in aliis patiebantur: Angelos vel ex universo tanquam fabulam proscripserunt (p), vel mortali corpore præditos esse contendebant: præterea S. Epiphanius & S. Augustinus reos agunt illos, ac si Spiritum S. negassent; Arnobius autem corpus Deo affinxisse eos insimulat, sed nullum hujus rei vestigium nec in Scriptura, aut apud Josephum apparet. Certius

(o) *De bell. l.* 2. *c.* 12. (p) *Act.* 23.

tius est, quod vel omnes scripturæ libros excepto Pentateucho repudiaverint, vel diverso sane a Judæis sensu explicaverint. Toleratam nihilominus inter Judæos sectam hanc legimus, quin & ad Summum Sacerdotium ex illis quosdam evectos fuisse constat.

Tertia secta fuit Essenorum, quorum ortus & nominis etymologia ignoratur: gentem fuisse a plurimis seculis absque conjugio & sexuum permixtione subsistentem tradit Plinius (q) dicens: *Ita per seculorum millia incredibile dictu, gens æterna est, in quo nemo nascitur.* Horum mores & disciplinam ita Josephus describit: Societatis inter se leges inviolatas servant, atque ab omnium voluptatum usu tanquam veneno lethali abhorrent, a connubiis abstinentes, alienos tamen filios adoptant, quos suis legibus, suisque disciplinis instruunt. Similem ego populum aliquot millium hominum in Polonia etiamnum hodie reperiri a Viro fide dignissimo, Polono, intellexi, qui absque ullo cum mulieribus commercio, neque civili, soli habitant, & e vicinis regionibus primum servos & famulos sibi conducunt, tum eos in filios adoptivos & hæredes adsumunt, hacque ratione stirpem

(q) *Lib.* 5. *c.* 17.

ſtirpem ſuam per aliquot jam ſecula continuo propagant. Præterea divitias ut ait Joſephus, contemnunt Eſſeni, utpote apud quos bona omnia ſunt communia: poſt Deum & Moſen ſeniores colunt: ſacræ legis doctrinæ potiſſimum diem Sabbati dedicant, quo in cœtum congregati ſuo ſinguli ordine, Seniores ſuperiori, inferiori Juniores aſſidentes primum ejus lectionem, deinde hujus explicationem a viro docto factam audiunt, ſymbolisque, allegoriis, & parabolis priſcorum exemplo delectantur. Porro de ſtatu animarum poſt mortem paria cum Ethnicis ſentire videbantur, qui juſtorum animas ad Elyſios campos, impiorum vero in in tartara, & in Plutonis regnum tormentis excruciandas dimittunt. Alio in loco affirmat Joſephus, Eſſenos tenuiſſe a fato gubernari omnia, ut nihil hominibus contingat, niſi quod fatum tulerit. Cætera quamvis omnium ſuæ gentis religioſiſſimi haberentur, nunquam tamen Templum Hieroſolymitanum adibant, atque a victimis immolandis abſtinebant, ſubmiſſis licet per alios hoſtiis ac donis conſuetis. Verebantur enim, ne commercio cæterorum hominum, quorum mores longe deteriores erant, coinquinarentur.

Quar-

Quartam denique Judæorum ſectam conſtabant Herodiani, quorum originem alii ad Herodem Magnum referunt, Antipatri filium, qui altero poſt Chriſtum natum anno vita functus eſt. Alii cum Joſepho Judæ Gaulonitæ ſeu Galilæi diſcipulos fuiſſe autumant. Sunt quoque, qui Herodianos hos Herodem pro Meſſia habuiſſe credunt, eorumque dogmata revocant ad duo capita: primo docebant, Romanorum in Judæos imperio, utpote juſto & legitimo, Judæos ipſos ſubmitti oportere, in quo diſſidebant a Phariſæis, qui jugum hoc ferre recuſabant perſuaſi, uni tantum Deo ſubjici homines neceſſum eſſe: ſecundo, in rerum præſentium ſtatu nulla prohiberi Judæos religione, quo minus mores plurimos Paganorum adoptarent. E Sacris Literis illud conſtat, tum quod eorum ſecta a Phariſæis, Sadducæis, & Eſſenis fuerit multum diverſa, tum quod dogmata ſparſerint virulenta, ita ut Chriſtus ipſe (r) cavendum eſſe pronunciaverit a fermento Herodianorum. Atque hæ quatuor præcipuæ ſectæ Judæorum fuerunt. Nam Samaritanos S. Epiphanius & S. Auguſtinus in cenſu Hæreticorum habuerunt, quamquam ſchismate potius a Judæis ſegrega-

(r) *Marci* 8.

gregati fuisse videantur, uti colligere licet ex Evangelio Joannis (s). *Non enim coutuntur Judaei Samaritanis.* & Samaritana Mulier Sichemitis mirari se dixit, cur *Jesus aquam a se postularet*, quum tamen *ipse Judaeus foret*. His igitur sectis vera religio & doctrina sacra ob diversa, in quae isti Judaeae gentis Theologi, eorumque Synagogae scindebantur, dogmata maximum passa est vitium, & his haec, aliis alia sentientibus atque docentibus in partes abiit, in integrum non restituenda, nisi per Jesu Christi, ipsius Veritatis Magistri, in hunc orbem adventu.

## §. IV.

### *Theologia supernaturalis Novi Testamenti.*

### XXI.

Quemadmodum legi naturali ac scriptae lex gratiae successit, ita & Theologiam Adami & veterum Patriarcharum Theologia Mosaica per Prophetas & Synagogae Doctores propagata, atque hanc rudem adhuc nec satis perfectam Christiana Theologia Auctore Christo fundata, & numeris omnibus absoluta excepit.

(s) *Cap.* 4.

pit. Hic enim æternæ Sapientiæ Filius & veritatis Magister de cœlo delapsus, quum ea, quæ Antiquis Patribus & Judæis obscure fuerunt tradita, in lucem protraheret, & Prophetas interpretatus sub verborum ac mysteriorum involucris latentia re ipsa palam exhiberet, nova priscis abolitis instituit Sacramenta, mandataque renovavit adjectis quoque consiliis, atque ita plenissimam sacræ doctrinæ lucem in mundum intulit, quæ non solum a Judæa, verum etiam a Gentilibus per universum terrarum orbem errorum tenebras dispelleret, ac Theologicam scientiam ad summum splendoris ac majestatis apicem eveheret. Si enim singulas Theologicæ doctrinæ, ut modo traditur, classes lustremus, de Deo ejusque perfectionibus nemo clarius ac magnificentius testimonium præbuit, & trinum esse simul ac unum docuit, quam ipse Dei Filius, Patri per omnia æqualis: *Incarnationis* mysterium ineffabile nemo melius ac profundius explicavit, quam Verbum, quod caro factum est: doctrinam de Angelis optime declaravit Angelorum Dominus, qui ad ejus servitium destinati introeuntem in hunc mundum, & cum hominibus conversantem adorarunt: de gratia quis copiosius egit, quam ipse

ipse auctor & fons omnium gratiarum? a peccati servitute ut nos eximeret, cœlestem patriam deseruit, & mortem subire, non dubitavit: Fidei mysteria non ore Prophetarum alieno, sed proprio revelavit orbi: Virtutum Theologicarum, justitiæ, aliarumque Magister simul & exemplar fuit undequaque perfectissimum: viam ad veram supernamque beatitudinem verbis & exemplo monstravit ipse via, veritas, & vita: morum & omnis honestatis norma & regula: Septem Sacramenta denique instituit, & in iis infinitum meritorum suorum thesaurum, præsertim in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento hominibus aperuit.

Neque solum in doctrina Theologica Auditoribus suis exponenda usus est Servator plana semper methodo, verum etiam non raro ea, quam Scholæ adhibent, contentiosa. Certe (t) ut se Deum probaret, nec Davidis solum, sed Dei vivi Filium, verumque Deum ac hominem, verbis e Psalmista Regio (u) in medium productis ita conclusit: *Si ergo David vocat eum* (scilicet Christum) *Dominum, quomodo filius ejus est?* Ac si diceret: Christus vocatur a Davide non solum filius, sed etiam Dominus: ergo Chri-

stus

(t) *Matth.* 22. (u) *Psalm.* 109.

i non tantum Davidis filius, & homo
ıtaxat, sed etiam Filius Dei est, ac
us simul & homo. Alia occasione (x)
Pharisæorum sophisma de censu ex-
endo enervaret, nummum ostendi sibi
tulabat, eoque inspecto quæsivit: *Cu-*
*est imago hæc?* respondentibus illis esse
sfaris, *reddite ergo*, inferebat, *Cæsari*
*r sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.*
rsus (y) ut Pharisæis matrimonii vin-
um solvi non posse demonstraret, in
dium adduxit verba e Genesis libro
promta, *qui fecit hominem ab initio,*
*sculum & fæminam fecit eos; propter*
*dimittet homo patrem & matrem &*
*ærebit uxori suæ, & erunt duo in*
*ne una.* Tum subjunxit: *Quod ergo*
*us conjunxit, homo non separabit.* Alio
npore, quum exprobrassent Pharisæi Ma-
tro, quod discipuli esurientes die Sab-
i vellere cœperint ac manducare spi-
: *Ecce discipuli tui faciunt, quod*
*i licet facere Sabbato;* argumentatus
a majori ad minus, responditque.
*n legistis, quid fecerit David, quando*
*riit? quomodo intravit in domum Dei,*
*panes propositionis comedit?* (z) ac si
eret: Licuit Davidi ad famem pel-
len-

*Matth.* 22. (y) *Matth.* 19. (z) *Matth.* 12.

lendam rem Deo consecratam comedere, licebit ergo discipulis quoque meis die Deo sacra modicum hunc laborem esurie urgente suscipere, spicas vellere, ac manducare. Non minus iisdem Pharisaeis, superbo ac captioso hominum generi, dilemma tacitum objicientibus: *Si licet Sabbato curare* (a)? nimirum ut si affirmaret, violatae legis apud Principes Sacerdotum reum agerent; si negaret immisericordiae notam apud plebem incurreret, aliud apertum ac longe fortius dilemma ad pellendum veluti clavo clavum apposuit dicens: *licet Sabbatis bene facere, an male?* male non licet, igitur licet bene facere: male autem facit, qui opem, quam potest, miseris negat: bene autem, qui eisdem opitulatur. Demum ut contra Sadducaeos animae immortalitatem & corporum anastasin propugnaret, usus est tanquam validissimo argumento e verbis Exodi (b) depromto, quibus Abraham, Isaac & Jacob etiam post fatum vivere, ac Deum Abraham, Isaac & Jacob Deum esse non mortuorum sed vivorum asseritur. Ex his per legitimam conclusionem intulit: quum secundum corpus viventes non sint, vivere eos oportere secundum animam, sic-

que

(a) *Matth.* 12. (b) *Cap.* 3.

que hanc fore immortalem. Atque hac argumentandi ratione summus hic & supremus omnium Theologus ita Sadducæos, Scribas, Pharisæos, cæterosque legis peritos eum callide oppugnantes profligavit, ut Evangelista teste *nemo potuerit ei respondere verbum, neque ausus fuerit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

## XXII.

Ut autem sacram hanc doctrinam per totum orbem disseminaret, Apostolos tanquam primæ admissionis discipulos elegit, quos magisterio sane divino per plures annos in Theologiæ palæstra erudivit, exercuitque, futuros brevi Ecclesiæ a se fundatæ, ac mundi Orthodoxi primos Doctores. Hos ipsos fuisse Theologos palam est legenti Epistolam S. Dionysii Areopagitæ ad Timotheum, in qua de præsentibus morti ac glorioso in cœlum Assumptæ Virginis Deiparæ triumpho ait: *Aderat autem & Domini Frater Jacobus, & Petrus suprema & antiquissima Theologorum summitas.* Non enim solum ex ipso fonte Sapientiæ æternæ Christo Theologica principia & dogmata copiosissima hauserunt, verum etiam sacræ hujus doctrinæ eloquio omnes naturæ vires superante a Spiritu Sancto sub ignearum linguarum

forma cœlitus delapſo præditi fuerunt, quo pleni in publicum orbis theatrum ad fidei Chriſtianæ myſteria gentibus explicanda prædicandaque ſunt egreſſi, frequentiſſimam diſcipulorum auditorumque turbam ubique poſt ſe trahentes. Profecto Theologos, quales erant, ſe ſe probarunt, dum ad fidem illuſtrandam, ejusque dogmata ſtabilienda vel e Sacris Scripturis legitimas concluſiones deduxere, vel easdem vero ſenſu explicatas erroribus oppoſuerunt, vel argumenta contraria objecto veritatis revelatæ clypeo enervarunt. Luculenta hujus rei teſtimonia ſuppeditant Apoſtolorum Acta (c): ſuppeditant epiſtolæ, fidei morumque doctrina & ſubtilioris Theologiæ veſtigiis plenæ, duæ Apoſtolorum Principis D. Petri, quatuordecim gentium Apoſtoli D. Pauli, tres D. Joannis, una D. Jacobi, & altera D. Judæ Catholica: præ reliquis autem eſt tot myſteriis quot verbis referta D. Joannis Apocalypſis, quam in Pathmo inſula conſcripſit, ad inſpiciendam mortalibus oculis cœleſtium Secretorum urnam, & intuendum divinum ſolem proxime admiſſus, ac propterea jure merito Aquila Theologica appellatus: ſuppeditant

(c) *Act. c. 2. v. 17. 31. & 34. . . C. 3. v. 22. & 25. . . C. 8. v. 25. . . C. 10. v. 43. . . C. 13. v. 33.*

tant prima Concilia in ipso Ecclesiæ ortu ab Apostolis celebrata, in quibus de summis rebus ad fidem orthodoxam, & Ecclesiæ a Christo paullo ante fundatæ gubernationem pertinentibus est agitatum. Eminuit disputandi robore præ cæteris D. Paullus, uti palam est e prima Epistola (d), dum ut gratiam non ex operibus esse demonstraret, ita ratiocinatur: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt: si autem gratia, non jam ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Et ad Corinthios (e), dum ex eo, quod in corpore eodem diversa oporteat esse membra, officiaque diversa, probat & infert, non omnes in Ecclesia Doctores esse debere, dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, quum sint multa, unum tantum corpus sunt. . . Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?* Quando communem mortuorum anastasin e Christi ad vitam redeuntis exemplo legitima conclusione deducit (f), sic argumentatur: *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum*

(d) *C.* 11. (e) 1. *Cor. cap.* 12. (f) 1. *Cor. c.* 15.

*tuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Maximam vero argumentandi vim exeruit Paullus Athenis in Areopago, ubi oblata sibi occasione ab ara, *Ignoto Deo* structa, Deum hunc non alium, quam Christum esse demonstravit, tantaque energia fidei Christianæ veritatem propugnavit, ut Dionysium Areopagitam cum aliis Senatus illius gravissimi Patribus victas dare manus coegerit. Illustris quoque fuit ac solemnis disputatio plane Theologica, Hierosolymis in publico Judæorum consessu a S. Stephano Archidiacono instituta: *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant a Cilicia & Asia disputantes cum Stephano.* Hic Spiritu Dei plenus haustam ab Apostolis doctrinam tot Scripturæ locis (incipiens ab Abraham & Mose usque ad Christum) tamquam validis argumentis in medium adductis propugnavit, ut Judæi solvendis impares, frementesque ac dentibus stridentes gloriosum Christi Athletam, quem rationum momentis vincere non poterant, lapidibus in eum jactis vivum obruerent.

XXIII.

XXIII.

Non solum autem Hierosolymis, verum etiam per totum terrarum orbem paullo post Evangelica tuba insonuit, & Theologica scientia latissime propagari cœpit, facta nimirum Apostolorum divisione, quando Petrus & Paullus Romam, Jacobus Zebedei Hispaniam, ut traditur, Joannes Asiam minorem, Andreas Scythiam & Achaiam, Philippus Asiam superiorem, Thomas Parthos & Indiam, Bartholomæus Armeniam, Albaniam & citeriorem Indiam, Matthæus & Mathias Æthyopiam, Simon Mesopotamiam & Persidem, Judas Thaddæus Arabiam & Idumæam, Paullus insuper varias gentium regiones, fidei luce illustrarunt, & sacra imbuerunt doctrina, quam profuso etiam sanguine propagarunt. Varias jam tum temporis scholas condidere Apostoli, horumque Sectatores Alexandriæ, Cæsareæ, Antiochiæ, in quibus sacrarum literarum professio fieret, quasque Judæorum Synagogis & sathanæ ministris Hæresiarchis opponerent. Inter has primam & facile præcipuam fuisse legimus, quæ teste D. Hieronymo (g) Marci Evangelistæ tempori-

(g) *In Catal. Script. Eccles.*

poribus Alexandriæ Imperante Commodo fundata fuit, cui Moderatorem & Doctorem præfuisse tradit Eusebius (h) Pantænum, virum in omni eruditione nobilissimum, qui prius jam inter Philosophos, quos Stricos appellant, ingentem nominis & scientiæ famam sibi comparavit: postmodum autem tanto verbi divini & sacratioris scientiæ studio ac amore succensus est, ut depositis scholæ hujus fascibus ad prædicandum Christi Evangelium in ultimas Orientis plagas usque ad Indiam citeriorem profectus fuerit: unde redux Alexandriæ nobilem vitam nobiliore fine corronavit, tam viva voce discipulos instruens, quam librorum monumentis doctrinæ suæ thesauros posteris relinquens. De hac schola ita loquitur memoratus Eusebius: „ Per idem „ tempus fidelium scholæ præerat vir „ doctrinæ caussa celeberrimus, nomine „ Pantænus. Quippe jam a priscis temporibus sacrarum literarum schola in ea civitate fuit instituta, quæ quemadmodum „ nostra adhuc ætate perseverat, & ab „ hominibus tum eloquentia tum literarum divinarum studio instructissimis obtineri dicitur. „. Pantæno in Cathedra successit Clemens Alexandrinus, qui de Magi-

(h) *Eccles. Hist. l. 5. c. 10.*

Magistro suo testatum reliquit, quod divinæ quam tradidit doctrinæ veritatem ab ipsis Apostolis Petro, Jacobo, Joanne ac Paullo uberrime hauserit. Secutus est Origenes, anno ætatis decimo octavo ad Doctoris publici officium promotus: Pierius Presbyter, & Origenes junior dictus, aliique quos nonnili viros in scientia & eruditione probatissimos scholæ illi Theologicæ ad sua usque tempora præfici consuevisse, ut intelleximus, prodit Eusebius. His Alexandrinæ faustis progressibus excitatus Cæsareæ quoque Theologicam scholam instituit Pamphylus Pierii Discipulus & Martyr Seculo post Christum natum secundo, primas inter Christianos Bibliothecas ibidem instruentibus Alexandro Episcopo Hierosolymitano, & Juliano Africano (i).

Nihil tamen S. Doctrinæ studium & usum usque adeo primis statim Ecclesiæ temporibus promovisse visum est, quam quod eam perditum ibat; nempe hæresum, schismatum, & persecutionum integer exercitus ad profligandas in cunis res Catholicas orco emissus, agmen ducentibus tum Simone Magno, Cerintho, Ebione, Basilide, Carpocrate, Valentino, Mar-

(i) *Eusebius l. 6. Eccl. Hist.*

Marcione, aliisque tum Judæis, tum tyrannis immani odio in novæ Religionis Candidatos sævientibus; quibus tamen omnibus providum Numen, & Ecclesiæ suæ sartæ tectæ servandæ semper intentum, viros opposuit eminenti qua sanctitate, qua doctrina præditos. Inter hos fuere D. Hierotheus, cujus tamen scripta posteris edax tempus subtraxit: S. Dionysius Areopagita D. Paulli Apostoli discipulus, qui præter alia cœlestem, & Ecclesiasticam Hierarchiam, librum de divinis nominibus, & de Mystica Theologia sublimi stylo, sublimiore adhuc ingenio (ut plurimi censent) elucubravit: D. Ignatius Antiochenus Episcopus, & Clemens Romanus Pontifex epistolis Spiritu S. plenis ad Ecclesias exaratis clari: S. Justinus Martyr strenuus fidei orthodoxæ seu ore seu calamo defensor: S. Irenæus quinque adversus Valentinum libris doctrina & pietate refertis notissimus: Tertullianus ingenio styloque acer, operibus suis bene de Ecclesia meritus, sed in Montanam postea hæresin prolapsus: Clemens Alexandrinus, Vir doctissimus, Pantæni discipulus, & Origenis Magister: Origenes, cujus scripta teste Epiphanio ad sena millia librorum ascendunt, plura tamen desiderantur, quique nimio Platonis studio

dio a via veritatis deflexit, & graves in errores incidit: S. Cyprianus Chartaginensis Episcopus profana eloquentia par Ciceroni, sacra superior: Lactantius Firmianus divinarum Institutionum libris septem clarissimus. His aliisque luminibus per tria prima post Christum natum secula coruscabat Ecclesia Dei, & S. Doctrinæ majestas omnium venerationi patebat. At tribus succedentibus grassante per orbem Manichæorum, Donatistarum, Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum hæresi, pleraque fidei mysteria impugnantium, Theologia mirum quantum illustrata fuit a præstantissimis viris, qui pro Ecclesia Catholica murum se opposuerunt, & ingenio calamoque fortissime decertarunt.

Ut alios prætersam, D. Athanasius Alexandrini Patriarchatus mitra insignis ingenti animo fidem Orthodoxam propugnandam suscepit adversus Arianam hæresim, quæ totum orbem terrarum ita infecit, ut ingemiscens Arianum se esse miratus sit, uti loquitur D. Hieronymus: sæpius expulsus, restitutus sæpius, libros edidit plurimos doctissimosque, quatuor tomis comprehensos: D. Hilarius, qui teste Bellarmino, quamvis provecta jam ætate Christianam fidem professus fuerit,

brevi

brevi tamen in ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor maximus, & Ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus fuerit: D. Basilius M. Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Arianos ubique voce ac calamo persecutus opera præclara posteritati reliquit quatuor tomis contenta: D. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, S. Basilii studiorum & virtutum comes multa scripsit, in quibus sapientiam cum eloquentia admirabili fœdere conjunxit: D. Ambrosius e Mediolanensi Præfectura divino consilio ad Episcopatum evocatus plurimis eruditissimisque scriptis Bibliothecas auxit: D. Hieronymus Presbyter & Ecclesiæ Doctor, qui literis Græcis, Latinis atque Hebræis, omniumque artium disciplina instructissimus in S. Scripturis explanandis, & hæraticis confutandis totus fuit: D. Joannes Chrysostomus, os aureum, e foro profano ad Ecclesiasticum translatus virtutem exemplo docuit, e cathedra in vitia detonuit, & comentariis scripturam sacram, aliisque voluminibus rem Catholicam illustravit: D. Augustinus Hypponensis Præsul eo fuit ingenii acumine, doctrinæque ubertate ac sublimitate, ut omnes ante ac post se Doctores superasse videatur, Dialecticæ artis optime gnarus, ob

præcipuas Theologiæ quæstiones de Trinitate, de Prædestinatione, de Gra- & Libero Arbitrio acute non minus profunde enucleatas jure merito andus Theologiæ Scholasticæ Antesinus, cujus maxime vestigiis institisse stat Petrum Lombardum in libris sententiarum methodo scholastica construen-. Testantur hoc ejus opera in decem nos distributa: D. Cyrillus Alexandri- Episcopus, qui multa præclare, Christero carnem induti mysterium omn optime explanavit: Boetius Severus e Senatorio ordine præter libros ique de Consolatione Philosophiæ par- carmine, partim prosa eruditissimos, s quoque de Trinitate, de duabus isti naturis, & de Fide ad posteros smisit: D. Gregorius, qui plus omni- Pontificibus doctrina & fortitudine Ecclesia præstitit, idcirco Magnus jure ellatus, cui S. Ildephonsus in libro de is Illustribus primum adsignat locum.

## XXIV.

Iis patrum tum Græcorum tum Latinorum suffulta columnis Theologia simul Ecclesia Dei inter continuas hæresum arsiones stetit immota, magnisque aucest incrementis ad seculum usque se-

pti-

ptimum post Christum natum, quod una cum octavo erigendis ac fundandis publicis scholis ac cathedris Theologicis potissimam partem impensum fuit. In Hispania quidem manus operi huic admovit S. Isidorus Hispalensis Antistes, vir omni eruditionis genere cultissimus, Latinis, Græcis, & Hebraicis literis, divinis humanisque legibus instructus, qui ut loquitur *Breviarium* Romanum, Collegia ædificavit, ubi studiis sacris & lectionibus vacans plurimos discipulos „qui ad „ eum confluebant, erudivit, quos inter „ sancti Ildephonsus Toletanus & Brau„ lio Cæsar Augustanus, Episcopi emi„ cuerunt ... hic tantam apud omnes „ sanctitatis & doctrinæ famam adeptus „ est, ut elapso vix ab ejus obitu sexto „ decimo anno, universa Toletana syno„ do duorum supra quadraginta Episco„ porum plaudente, ipsoque etiam S. Il„ dephonso suffragante Doctor egregius, „ Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, „ in sæculorum fine doctissimus, & cum „ reverentia nominandus appellari me„ ruerit „. Non minorem sibi famam & gloriam comparavit Beda, sacræ Theologiæ in Anglia Professor: hic quidquid est mitiorum Musarum, evolvit, simulque Græcæ ac Hebraicæ linguæ peritus sacros

præ-

præcipue libros est interpretatus, ea cum laude, ut adhuc in vivorum numero degentis Commentaria in Ecclesiasticis officiis legerentur, tanti ab omnibus habitus, ut haud alio quam *Venerabilis* nomine adhuc compelletur. Hujus e schola prodierunt præstantissimi Theologi, inter quos eminebat Albinus, seu ut alii vocant Alcuinus, cujus opera Carolus M. ad instituendam Parisiensem Academiam usus est, e qua velut ex Equo Trojano præcipui Seculo VIII. & IX. Theologi continua serie in lucem prodierunt, Rabanus, Angelomus, Haimon, Strabus Abbas Augiæ Divitis, & *Glossæ*, quam Ordinariam vocant, Auctor aliique. Bedæ coævus fuit S. Damascenus, qui Orientem, uti prior Occidentem sapientia & sacra doctrina illustravit. Calamum hic primo strinxit pro SS. Imaginum honore contra Iconoclastas: tum profundiora aggressus mysteria quatuor libros de Orthodoxa fide elucubravit, in quibus ipse primus universam Theologiam recto ordine comprehendit, & posteris ad Theologiam scholasticam viam præluxit. Hanc inivere cum pluribus aliis Seculo X. & XI. Adelmannus & Lanfranus, e cujus disciplina in Academia Cœnobii Beccensis prodiit D. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui

qui apud Latinos, uti Damaſcenus apud Græcos, Auctor exſtitit methodi, a qua nomen ſortitam eſſe Theologiam Scholaſticam diximus; id quod ſatis demonſtrant horum Doctorum libri, prioris de fide Orthodoxa, poſterioris de *incarnatione* Verbi, *cur Deus homo*, de libero arbitrio, de caſu diaboli, de peccato originis, de Conceptione Virginis, de proceſſione Spiritus ſancti.

## XXV.

Progreſſibus iſtis ſacræ doctrinæ factis, & mellifluo Doctore S. Bernardo, ejusque ſacra progenie ſalutaris ſcientiæ aqua Eccleſiam irrigantibus, videns Petrus Lombardus Theologiam Græcorum Patrum variis libris diſperſam a S. Damaſceno collectam, & certis locis diſtinctam, ejus æmulandi ſtudio inductus fuit ad Patrum Latinorum, præſertim Auguſtini ſententias in ordinem redigendas. Exſecutus eſt grande hoc negotium quatuor libris, in quos eleganti ordine ſanctorum Patrum ſententias diviſit diſtinxitque, Magiſtri Sententiarum nomen præclaro hoc facinore promeritus. Fuit is gente Italus, patria Novarinus, Epiſcopus vero Pariſienſis, qui primus in illa Academia gradus honoris Literarii conſtituit in Theo-

logia,

gia, quos *Baccalaureatum*, *Licentiatum* *Doctoratum* vocare consuevimus. Hunc elut Antesignanum secuti sunt Albertus ognomento Magnus, natione Suevus, rofessione Ordinis S. Dominici, dignitate piscopus Ratisbonensis, Philosophicarum Theologicarum artium Doctor insignis: lexander Alensis natione Anglus, vir octissimus, & SS. Bonaventuræ ac Thoæ Aquinatis Præceptor, qui copiosissiam & omnibus notissimam Theologiæ ummam jubente Innocentio IV. typis ulgavit; D. Bonaventura e Familia S. rancisci, ad Episcopi ac Cardinalis dignitem a Gregorio X. evectus. Hujus doissima scripta Romæ jussu Sixti V. edita erunt, & in octo Tomos distributa: Alanus, Cisterciensis Ordinis grande ius, ob erudi ionem disputandique scienam a cunctis in admiratione habitus, iusque Doctor universalis: Joannes uns-scotus gente Hibernus, Oxoniensis cademiæ in Anglia Professor, cui Dooris subtilis titulus obtigit; præter alios D. Dominici, Benedicti, Francisci Seraici, Augustini, cæterisque Religiosis etibus præclarissimos Theologos, qui culo XII. ac XIII. sacræ doctrinæ rais Ecclesiam egregie illustrarunt. Inter os semper eminuit Angelicus Doctor

D. Thomas de Aquino, cujus Opera (ut S. Hieronymus de D. Cypriano ſcripſit) ſole clariora ſunt; unde ſolis imaginem ejus pectori pictores affigunt. Hic ultimam negotio manum tandem admovit, ſummamque Theologicam ad omnes ſcholæ leges exactiſſimam conſcripſit, in quam cunctorum retro Doctorum ſapientiam collegit, & in qua opulentiſſimum ſacræ ſcientiæ theſaurum, e quo omnes poſt ipſum diteſcerent, reliquit. In hac ut Joannes XXII. pronunciavit, tot miracula, quot articuli, & ut ait Alphonſus Fernandes, ,, quatuor inter ſe pugnantia in-
,, diſſolubili pacis fœdere tanta induſtria
,, copulavit, copiam, brevitatem, facili-
,, tatem, & ſeveritatem, quæ nulli antea
,, Theologiæ Profeſſori, nec poſt eum
,, contigit ſimul potuiſſe connectere ,,.
Hoc duce ingens Theologicorum heroum agmen tum ad profligandos veræ fidei hoſtes, tum ad Eccleſiam ſacra doctrina exornandam ſequentibus ſeculis usque ad hæc, quæ vivimus tempora, in campum apertum prodiit, quorum illuſtriora nomina vel ſola recenſere Eruditis nunc ſufficiat: Joannes de Bachone, Guilielmus Okamus, Dionyſius Richelius ſeu Carthuſianus, Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, Thomas Valdenſis, Tho-

mas

de Vio, seu Cardinalis Cajetanus,
nnes Medina, Alphonsus Castro, Mel-
r Canus, Dominicus Sotus. Ven. Pe-
Canisius, Franciscus Toletus Card.
ovicus Molina, Franciscus Suarius
ologiæ sidus clarissimum & Doctor
mius, Gabriel Vasquez, Thomas San-
z, Leonardus Lessius, Dominicus Ban-
, Petrus Ledesma, Gregorius Marti-
, Bartholomæus Mastrius, Philippus
nachæus, Anselmus Ysambertus, An-
as Duvallius, Jacobus Gretscherus,
gorius de Valentia, Joannes de Lugo
Cœlestinus Sfondrati, Cardinales,
nysius Petavius, Dominicus Viva,
noratus Tournelius &c. Atque his aliis-
summis ingeniis adlaborantibus Theo-
ica scientia ad supremum perfectionis
em evecta videri potest, quem post
seculorum ambages a primo velut
ndi exordio non interrupta serie ad
iernam usque diem propagata tenet,
hucusque demonstravi; non defectura,
nec ab exilii hujus loco in cœlestem
riam transferatur, ubi non jam per
culum quasi in ænigmate, sed de facie
faciem, sicuti est, Deum intueri li-
bit.

# CAPUT III.

## DUÆ COLUMNÆ AC BASES THEOLOGIÆ, AUCTORITAS ET RATIO.

### §. I.

### *Auctoritas.*

Auctoritas, cui sacra doctrina præcipue innititur (hæc quippe Domina est, Ratio autem famula) Auctoritas inquam latissime patet. Complectitur enim S. Scripturam, Traditionem, Ecclesiæ judicium, Conciliorum sanctiones, Apostolicæ Sedis Oracula, & SS. Patrum effata, e quibus tanquam fontibus Theologia non solum puram sinceramque doctrinam haurire, verum etiam firma & solida depromere argumenta potest & solet, quibus dogmata sua & placita stabiliat. Qua ratione id fiat, eundo per singula breviter modo explicandum est, & quidem non utilitatis solum, sed & eruditionis gratia, quam hi fontes sane uberrimam sinu suo continent. Itaque

## XXVI.

### *Auctoritas S. Scripturæ.*

Scriptura ſacra eſt Verbum Dei, nobis a Deo revelatum, manifeſtatum ab Eccleſia, & literis exaratum. E quo patet, divinam eſſe S. Scripturæ originem, ejusque veritatem & auctoritatem eſſe fundatam in veritate auctoritateque ipſius Dei loquentis, falli & fallere neſcii. Hæc quantumcunque magna ſit, admittit velut in conſortium Eccleſiæ quoque auctoritatem, cujus eſt non ſolum Scripturæ ſenſus interpretem agere, verum etiam judicem, quod exiſtat S. Scriptura, & quænam genuina illius ſoboles ſit, ſeu libri Canonici: quæ vero ſpuria, ſeu libri Apocryphi. Unde præclarum eſt Auguſtini effatum: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas* (k). Tria vero ſunt, quæ in Scriptura diſtinguere oportet, nimirum *res*, *verba*, & *verborum ordinem* ſive *ſtilum*. Res, quas continet, ſunt vel fidei morumque dogmata, vel præteritorum temporum hiſtoriæ, aut præſagia futurorum, vel leges & præcepta, quibus homines ad virtutem informantur, & abducuntur a vitiis.

(k) *Contra epiſt. fundam. c.* 5.

tiis. Verba sunt voces, quibus conceptus in mente loquentis vel scribentis sensus exprimitur: Stilus autem verborum series & structura. Non exigua heic graves inter Auctores orta est controversia: severiorem non pauci opinionem amplectuntur contendentes, non solum res & sententias, verum etiam singula verba, & apices verborum a Spiritu S. dictata fuisse, quum Prophetæ loquentes in scripturis ipsi fateantur: *Hæc dicit Dominus: Factus est sermo Domini ad me dicens &c.* Testantur hoc ipsum SS. Patres non pauci, quemadmodum D. Augustinus (l) S. Chrysostomus (m) & D. Gregorius (n) asserens: *Ipse hæc scripsit, qui hæc scribendo dictavit.* Mitior est illorum sententia quibus equidem dubium non est, propheticos sermones & fidei mysteria singula scriptoribus sacris a Deo fuisse revelata, testante Christo (o) *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Historiæ autem & facta, quæ palam fuerunt, quæque propriis usurparunt oculis, de quibus S. Joannes (p). *Quod fuit ab initio, quod audivimus,*

(l) *Epist.* 14. (m) *Homil.* 22. *in Genes.* (n) *in Expos. in Job.* (o) *Matth.* 16. (p) *Epist.* I. c. I.

*vimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, & testamur & annuntiamus vobis,* hæc inquam non opus habuisse videntur Dei speciatim loquentis ac dictantis magisterio, sed dirigentis solum & adsistentis, ut his quæ scriberentur, nulla ex parte deesset veritas, & omnis procul abesset falsitas, neç quidquam in medium proferretur vel non satis aptum, vel inconcinnum, vel expers mysterii, aut bonis repugnans moribus. Verborum denique ordinem ac texturam, seu stilum uniuscujusque Scriptoris indoli ac ingenio relictum fuisse suadet ipse stilus pro rerum, quæ proponuntur, temporum quibus contigerunt, ac idiomatis quo conscriptæ fuerunt, diversitate plane diversus. Certe sublimis, vehemens & instar fluminis exundantis est sermo Prophetarum: exultat Isaias, lamentatur Jeremias, minatur Ezechiel, ostentis absorbetur Daniel. Contra placido quasi alveo incedunt historiarum scriptores, non conquisitis ornamentis, sed simplici & aperta oratione narrantes ea, quæ plus habent admirationis: Concitatior est stilus Canticorum & Psalmorum, ac veluti Poeticus: lenis vero & perspicuus legum ac præceptorum. Inter ipsos quoque Novi

Testamenti scriptores elegantia sermonis vincere videtur, Hieronymo judice, Marcum & Joannem Evangelistam Lucas, utpote Græci idiomatis magis peritus.

Jam vero, sive scriptura sit verbum, Spiritu S. singula loquente ac dictante, sive dirigente solum ac assistente scriptum, palam est, eam esse verbum Dei, de cujus veritate nefas est dubitare. Posito igitur, quod talis scriptura existat, & de librorum, quos continet, Canonicorum numero constet, nec non de authentica Editione (quæ tria postmodum demonstrabimus, ubi de Theologia Positiva agemus) solum superesse dubium potest, e quo sensu Scripturæ fide certum atque adeo proprium habeatur principium, unde Theologicum argumentum erui possit. Est enim, ut Patres & Interpretes docent, duplex S. Scripturæ sensus, *Literalis* unus, alter *Spiritualis* sive *Mysticus*: Priorem rursus dividunt in *proprium*, quem verba proprie accepta significant, uti *diliges Dominum Deum tuum*, & in *metaphoricum*, quando verba a propria significatione ad impropriam transferuntur, uti *Oves meæ vocem meam audiunt*; ubi ovium nomine fidelis populus designatur: Posteriorem vero in *Tropologicum*, *Allegoricum* & *Anagogicum*. Hac in re

satis

ſatis certum eſt *primo*, ex ſenſu Literali S. Scripturæ proprio firmum ac certum ad ſtabilienda fidei dogmata, ac Theologicas veritates argumentum deſumi poſſe. Eſt enim ex una parte poſita vocum ſignificatione, ex libera hominum inſtitutione profecta, ſenſus iſte jam ex naturâ ſua determinatus ad hoc & non aliud indicandum, atque ita nobis per ſe ipſum manifeſtus: ex altera vero parte, quum verba, quæ ſenſum hunc conficiunt, ſint a Deo vel aſſiſtente vel dictante prolata, ipſe quoque ſenſus in iis contentus a Deo omnis veritatis fonte proficiſcetur. Quam ob rem D. Thomas (q) aſſerere non dubitat: nullam e pluribus ſenſibus in S. Scriptura confuſionem ſequi, *quum omnes ſenſus fundentur ſuper unum (ſcilicet literalem) ex quo ſolo poteſt trahi argumentum.* Qua autem ratione ſenſus *Literalis* verus ac genuinus deprehendi poſſit, certas regulas trademus in Theologia Poſitiva, Parte ſecunda. *Secundo*, etiam ſenſus Spiritualis ſeu Myſticus, & Metaphoricus ad fidei doctrinam, & certas inde probationes ducendas quandoque valet, ſi nimirum de illo nobis certo conſtiterit. Non ſolum enim ſenſus Litera-

(q) *Hæc art. 10. ad 1.*

teralis, sed etiam Spiritualis a Spiritu S. intentus est; quippe *omnis Scriptura*, ut loquitur Apostolus (r) *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Constare autem certo hic sensus potest inprimis, si ab ipsamet Scriptura alibi tradatur; unus siquidem scripturæ locus non raro alium interpretatur: dein si ex Apostolorum Traditione derivetur: porro si ab universa Ecclesia recipiatur: demum si Patrum consensu & expositione firmetur. Profecto ipse Salvator & Apostoli, qui utique mentem S. Spiritus hoc in negotio intime perspectam habebant, sæpius e scripturarum sensu mystico argumenta depromserunt ad confirmanda fidei dogmata. Christus quidem Legem, Prophetas & Psalmos de se ipso locutos esse testatus est (s): *Et incipiens a Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Ita apud Joannem (t) ex serpente æneo a Mose exaltato (u) intulit, se fore exaltandum in cruce. Apud Matthæum (x) ex eo, quod Jonas tribus diebus & tribus noctibus fuerit in ventre piscis deten-

(r) 2. *ad Timot.* 3. (s) *Luc.* 24. (t) *cap.* 3. (u) *Num.* 21. (x) *cap.* 22.

detentus, postea vero in lucem egressus (y) probavit similiter se fore in terræ sinu sepeliendum, & post tres dies surrecturum. Divus vero Paulus (z) ex eo, quod Abraham habuerit duos filios, Ismael de Ancilla, & Isaac de Libera (a), allegorice infert, Deum esse Auctorem utriusque Testamenti, Veteris ac Novi, & Patrem duorum populorum, Judæorum & Gentilium. D. Joannes Evangelista (b) illud, quod de Agno Paschali dicitur: *os non comminuetis ex eo.* (c) mystice explicat de Christo, cujus crura in cruce non fuerunt fracta. *Tertio*, sæpe ex sensu mystico nihil certi a Theologo potest inferri: atque ita intelligendus esse videtur S. Dionysius, quando *Theologiam Symbolicam non esse argumentativam* ait (d), seu quod idem est, non posse duci certum e sensu scripturæ mystico argumentum. Cujus rei ratio esse potest, quia quum sensus mysticus non dependeat tam a vocibus, quam a rebus per voces significatis, quæ sunt aliarum rerum signa plerumque obscura, dubia, & amphibologica, quid mirum, si probatio clara, certa, & sibi constans inde peti nequeat? Si

(y) *Jon. c.* 2. (z) *ad Gal.* 4. (a) *Genes.* 16. (b) *c.* 19. (c) *Exod.* 12. (d) *in Epist. ad Titum.*

Si quis autem sit, qui forte objiciat, & sensum literalem & mysticum ab eodem veritatis fonte, Deo videlicet in scripturis loquente manare, atque ita oportere, ut ejusdem quoque sint auctoritatis ambo, eleganter respondet Doctor Angelicus (e) his verbis: „Non est pro-
„ pter defectum Auctoritatis, quod ex
„ sensu spirituali non potest trahi efficax
„ argumentum, sed ex ipsa natura simi-
„ litudinis, in qua fundatur spiritualis
„ sensus: una enim res pluribus similis
„ esse potest: unde non potest ab illa,
„ quando in Scriptura sacra proponitur,
„ procedi ad aliquam illarum determi-
„ nate: sed est fallacia consequentis v. g.
„ Leo propter aliquam similitudinem signi-
„ ficat Christum & Diabolum; unde per
„ hoc, quod aliquid de Leone dicitur in
„ S. Scriptura, ad neutrum potest fieri
„ processus in S. Scriptura argumentando„.
Immo ut res magis pateat in exemplo Leonis a D. Thoma adducto, dicitur (f) *Leo rugiens* de Diabolo. (g) *Leo de Tribuda* de Christo. (h) De adversario quovis *salva me de ore leonis* (i). De homine justo *Justus quasi leo rugiens absque terrore erit.*

(e) *Quodl.* 7. *q.* 6. *ad* 4. (f) 1. *Petri* 5. (g) *Apocal.* 5. (h) *Psalm.* 21. (i) *Proverb.* 28.

*erit.* Quis autem, quod S. Scriptura leone tanquam ſymbolo aut figura utatur, hæc omnia argumentando transferre poterit vel ad Chriſtum, vel ad Diabolum, vel ad utrumque, per Leonem myſtice deſignatum? Hæc de auctoritate S. Scripturæ, quantum ad Theologiam pertinet, heic dicta ſufficiant. Plura proprio in loco Lectoris conſpectui patebunt.

## XXVII.

## *Auctoritas Traditionis.*

Non pauca occurrunt, ut in politica profana, ita etiam in ſacra & Eccleſiæ doctrina, quæ credi obſervarique oportet, licet nec Dei digito in Tabulis Moſaicis ſcripta, nec Prophetarum in Veteri Teſtamento, nec in novo Chriſti & Apoſtolorum ore palam prolata, & in SS. Commentariis conſignata reperiantur. Unde auctoritas Traditionis jure ſecundum ſibi locum poſt S. Scripturam vendicat, quem a Theologo ſæpius conſuli, & ex iſto argumenta, præſertim adverſus falſa hæreſum dogmata peti neceſſarium eſt. Nam omnis ævi heterodoxorum mos eſt, Traditionibus libellum repudii dare, ſolaque Scriptura pro fidei regula uti, vel potius abuti. Soli ſcriptæ Moſis legi aures

præ-

præbebant Sadducæi, spretis Patrum sententiis, omnique Traditione calcata. Ariani vocem ὁμοούσιον in solis quærebant S. Literis, quumque non invenirent, Filium Patri ὁμοούσιον, id est, *consubstantialem* negabant. Macedoniani & Eunomiani illum gloriationis ritum & honorem, quem tribus divinis personis Ecclesia defert solemni formula illa *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, tanquam novum quid & in Scriptura peregrinum ridebant. Eutychetis duas in Christo naturas sociare recusantis trita paræmia fuit: *qua in scriptura jacent duæ naturæ?* vulgo notum erat Pelagianorum dogma: *Credamus, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere.* Wiclefitæ seditiosas ubique voces has spargebant: *Quidquid Papa & Cardinales ex Scriptura deducunt, credendum; quidquid ultra præsumpserint, contemnendum ut hæreticum.* Calvini placitum erat: *Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur.* Reliquos tamen audacia superavit Lutherus, dum in Traditiones ita debacchatur (k): *Ego adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum pono non antiquum usum, non*

(k) *Lib. contra Regem Angliæ.*

*non multitudinem hominum, sed unius Majestatis æternæ verbum, Evangelium: hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci &c.* Ita hæretici Veteres & Novi Traditiones omnes penitus repudiarunt. Inter ipsos quoque Catholicos olim non exiguæ lites hoc in negotio fuerunt, salva tamen fide ac fidelium communione, *donec eliquatissima*, ut loquitur S. Augustinus, *perfectione discussæ crescente paulatim luce omninò patuerunt.* Sic acris admodum agitabatur controversia inter S. Stephanum Pontificem Romanum cum suis, & D. Cyprianum cum Africanis, illo hæreticorum baptisma legitimum, nec iterandum esse asserente, negante altero: consuetudo opponebatur consuetudini, Scriptura Traditioni; sed tandem S. Stephanus quidquam innovari vetuit, voluitque pro Traditione standum esse. Sic quoque Quartadecimani Pascha celebrandum esse contendebant decima quarta Lunæ, in quemcunque diem illa incideret; tuebanturque hanc opinionem e S. Joannis Evangelio: At S. Pius I. ut Pascha die Dominico celebraretur, prout Apo-

Apostoli tradidissent, præcepit, ac postmodum renovata lite S. Victor I. Quartadecimanos sacris interdixit. ' Posterioribus seculis in eo reverentiæ gradu traditiones collocatæ fuerunt, ut qui universam earum vim auctoritatemque negarent, merito in hæreticorum aut schismaticorum numero haberentur.

Est autem Traditio, de qua nobis sermo, Verbum Dei non scriptum, sed vivæ vocis oraculo quasi per manus ad nos usque transmissum; non quidem quod nullibi unquam literis sit consignatum, sed quod non sit scriptum a primo Auctore, solaque voce proditum ad nos veluti per ambages pervenerit, etsi posteri scripto id subinde complexi fuerint. Neque enim auctoritas verbi divini a calamo & atramento pondus & momentum obtinet, sed ab ipso Deo, cujus est verbum. Dividitur in varias classes: primo in *Divinam*, quæ ipso Deo docente proficiscitur, quemadmodum in lege naturæ *remedium pro delendo peccato originali adhibendum esse*, aliaque, quæ ad veri Numinis ea in Ecclesia cultum pertinuerunt. In lege scripta *Christi mortem per cruenta sacrificia quasi per totidem figuras significatam esse: divina libros Canonicos auctoritate præditos esse:* In lege nova

nova *Sacramenta numero septem a Christo fuisse instituta: Deiparam Matrem simul ac virginem fuisse.* Secundo *in Apostolicam*, quæ ab Apostolis vel Dei nomine promulgata, vel ab ipsismet edita fuit. Primi generis Traditio Apostolica dicitur etiam Divina, quam scilicet a Christo Domino acceperunt, dicente Apostolo (l) *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis*: item *præcipio non ego, sed Dominus.* Ejusmodi traditiones Apostolico Divinæ sunt: *matrimonium, confirmationem, extremam unctionem vere esse sacramenta novæ legis &c.* Secundi generis Traditio mere Apostolica, quam Apostoli ipsi, tanquam constituti Ecclesiæ Pastores suggerente Spiritu sancto ad fidelium utilitatem ediderunt, ut sunt *Quadragesimæ ac quatuor temporum institutum; dies Dominica diei Sabbati substituta.* Tertio in *Ecclesiasticam*, quæ ab Ecclesia ortum habet, & aliud non est, quam consuetudo antiqua non quidem a Christo, nec ab Apostolis, sed quæ post Christi in cœlos ascensum, & Apostolorum ex hac vita discessum, ab Ecclesiæ Rectoribus & fidelibus ad nos deducta, tacito populorum consensu vim legis obtinuit, quem-

(l) 1. *Cor.* 11. & 7.

quemadmodum in Republica civili *eadem est vis consuetudinum approbatarum, quæ legum scriptarum* (m). *Nam traditione & auctoritate regitur Ecclesia* (n): *& insolentissimæ insaniæ est,* teste Augustino (o) *disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Tales traditiones sunt: solemnitas & observantia dierum festorum, abstinentia a carnibus certis per annum diebus, pia laudeque digna crucis formandæ consuetudo, antiquus aquæ lustralis, candelarum, cinerum, palmarum ac similium, quibus Ecclesiæ ritu benedicitur, usus. Hæc tamen traditio Ecclesiastica rursum multiplex est: Alia de fide, ut *scripturam sacram, qua utimur in Ecclesia Catholica, vere divinam esse.* Alia de moribus & disciplina, ut *a servili opere die Dominica festisque diebus esse abstinendum.* Alia universalis, ad totam Ecclesiam pertinens, ut *solemnia Paschatis, Pentecostes, aliorumque festorum.* Alia singularis, quæ jus facit solum uni vel certis quibusdam Ecclesiis, quibus ea tradita fuit. Illustre hujus exemplum refert D. Augustinus (p) his verbis: „ Mater mea Mediolanum

„ me

(m) *C. consuetudo dist.* 1. *& l. diuturna ff. de lege.* (n) *c. catholica. dist.* 11. (o) *Epist.* 118. (p) *Epist.* 118. *ad Januar.*

„ me consecuta invenit Ecclesiam sabbato „ non jejunantem: cœperat perturbari „ & fluctuare, quid ageret; cum ego... „ propter ipsam consului de hac re Beat. „ mem. Virum Ambrosium. respondit... „ cum Romam venio, jejuno Sabbato, „ cum hic (Mediolani) sum, non je„ juno„ nimirum ob peculiarem hujus Ecclesiæ consuetudinem. Alia perpetua, uti *certa materia & forma cuivis Sacramento assignata.* Alia temporaria, ut olim *Agape seu convivium ante vel post cœnam Evcharisticam institui solitum: quotidianus Evcharistiæ usus.* Alia denique necessaria, uti *usus aquæ vino miscendæ in Missæ Sacrificio:* Alia libera, sicut *crucis formandæ consuetudo, aquæ lustralis aspersio.*

XXVIII.

Quam magnæ autem auctoritatis sit Traditio, colligitur primo ex ipsa S. Scriptura, si etiam concedatur adversæ parti, nihil credi oportere, quod in ea non reperitur. Dicit enim Apostolus (q): *Itaque Fratres state & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Non minus S. Scriptura nos

(q) *ad Thessal.* 2.

nos jubet parere Ecclesiæ, ipso supremo Legislatore Christo apud Matthæum (r) præcipiente: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Dum igitur Ecclesia Traditiones omnino tenendas esse pronunciat, una eademque opera Ecclesiæ quæ Traditiones, & Scripturæ quæ Ecclesiam jubet audiri, obtemperamus. Colligitur secundo ex omni veneratione dignissima Ecclesiæ antiquitate, quæ ipsam Scripturam sacram longo temporis intervallo excedit. Atque hinc necesse est, fidem ac Religionem veram sine Scriptura firmam & incolumem stetisse, non item sine Traditione. Certe non deerant in lege naturæ Religionis mysteria fideique dogmata, qualia fuerunt: Mundi totius conditorem fuisse Deum, Messiam venturum, reliquum esse pro peccato originis delendo remedium, Deum præmiari bonos, & malos punire, alteram præsenti vitæ successuram &c. Unde amabo horum omnium aliorumque notitia & fides? certe non ex sacra Scriptura, quæ nulla erat ante Mosen: igitur ex Traditione, quæ illorum hominum primorum erat fidei regula. Circumcisionem quoque a Deo primum impera-

(r) *Cap.* 18.

peratam Abrahamus deinceps familiæ suæ prodidit teſtante Deo (s). *Scio quod præcepturus ſit*, ſcilicet Abraham, *filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam.* Hi poſtmodum ejusmodi Sacramentum non aut membranis aut tabulis inſcriptum, ſed in animis traditione imbutis quaſi impreſſum conſervarunt, multosque annos in Ægypto citra ullam legem ſcriptam unius Dei veram fidem ac religionem tenuerunt. Ex his patet, toto illo temporis intervallo duorum millium annorum, quod fluxit ab Adamo ad Moſen, veram Dei Religionem ac cultum ſola Traditione ſtetiſſe incolumem. Non minus in lege Moſaica quam multa fuerunt, quæ nonniſi Traditio docuit? nimirum immortalem animæ conditionem, corporum anaſtaſin, remedium peccati *originalis* in gratiam fœminarum, & maſculorum, qui ante octavum a nativitate diem é vivis erepti ſunt, quin & genuinum legis ſcriptæ ſenſum. Teſtatur ipſe Legislator Moſes (t), & appellat ad Traditionis tribunal, dum ita populum alloquitur: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum,*

(s) *Geneſ.* 18. (t) *Deuteron. c.* 32.

*tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Regius quoque Psaltes (u): *Quanta mandavit Patribus nostris nota ea facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera; filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.* De nova lege quid dicam? Christus nullum scripsit librum, immo nec ut quid scriberetur, præcepisse legitur: *Euntes*, non ait scribite, sed *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et per Jeremiam (x) *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Non minus Apostolus (y): *Epistola estis Christi administrata a nobis, & scripta non atramento. sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Lex ergo Evangelica, quæ lex Spiritus est, non fuit in sui exordio literis exarata, sed animis fidelium insculpta. Nam & cæteri Apostoli prius viva voce Evangelium annunciarunt, deinde mandarunt literis, ut testes satis graves & idonei sunt Irenæus, Eusebius, Chrysostomus, Theophilactus, Hieronymus cum toto fere Patrum antiquorum senatu: quin ipse D. Lucas testimonium præbet omni exceptione majus, dum Evangelium suum sic orditur: *Quoniam quidem multi conati sunt*

(u) *Psalm.* 77. (x) *cap.* 30. (y) 2. *Cor.* 3.

*sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi, assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, o Theophile, ut cognoscas eorum verborum, quibus eruditus es, veritatem.* Colligitur auctoritas Traditionis (ut nihil dicam de SS. Patrum testimoniis luculentissimis, quæ omnibus seculis de Traditionum usu perhibuerunt) colligitur inquam tertio ex ipsa Traditionis admittendæ necessitate. Non enim omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, in SS. Litteris expressa invenire licet. Nam perpetuam B. Mariæ virginitatem, descensum Christi ad inferos, baptisma parvulorum, Spiritus sancti e filio procedentis, ac trium Personarum, communem habentium naturam, a se invicem autem vere, & non ratione solum distinctarum sublime mysterium non ita claris in S. Codice characteribus descripta reperies, quibus tamen adeo certa fides adhibenda est, ut contrariorum dogmatum defensores Ecclesia hæresis stigmate pridem notarit.

Videant igitur una ex parte hæretici nostrorum temporum, quid agant, dum omnem Traditioni fidem abrogant; hac

enim ratione, quum Scripturam ex ipsa Scriptura neutiquam probare possint, nec ista se ipsam esse legitimam ostendere queat, in eam demum miseram conditionem suo crimine rediguntur, ut sine Scriptura, atque ita sine fide, veluti sine aris & focis vivere cogantur; ex altera vero parte videant Catholici, quam Traditioni fidem, reverentiam & obsequium deferre debeant, nimirum quod illi tum in veteri lege veræ religionis cultores, tum in nova Christus, Apostoli, sanctissimi ac doctissimi Ecclesiæ Patres deferunt, ac deferendum decernunt. Theologo autem palam ex his fit, e loco Traditionis, quæ a Christo & Apostolis, uti dictum est, proficiscitur, certissimum & ad Ecclesiæ consuetudines, & ad fidei dogmata comprobanda argumentum trahi posse. Non minus e consuetudine Ecclesiastica universali, perpetua, ac semper ab omnibus ubique gentium recepta tuto illi licet argumentari. Si enim, inquit Melchior Canus (z) Apostolus Paullus Ecclesiæ consuetudinem, (scilicet fœminam aperto capite orare oportere) ubi tamen solum de ritu aliquo, non de re fidei agebatur, Corinthiis contentiosis opposuit (a), cur nos itidem Ecclesiæ morem

(z) *Lib. 3. loc. Theol. c. 6.* (a) 1. *Cor.* 11.

rem ab Apostolis usque receptum, totque seculorum usu ac gentium consensione probatum non opponemus hæreticis (Lutheranis & Calvinianis) quum a nobis Scripturam in cujusque rei confirmationem efflagitent: tanta vis in Traditione est, ut quos nec scripturæ nec naturæ ratio movisset, eos Paullus existimavit, Ecclesiarum more & instituto movendos. Ita Canus. Immo Tertullianus plus ultra progreditur, satisque aperte monet (b) ut adversum hæreticos magis traditionibus, quam scripturis differamus, cujus rei ratio est, quia Scripturæ varios in sensus facile trahuntur, non item Traditiones. Ut tamen inoffenso pede procedat Theologus in argumentis e loco Traditionum formandis, tres statuunt regulas periti hac in palæstra Critici: *Prima* est, si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem summa concordia tenuerunt, & quod huic contrarium est, hæresis damnarunt, quin tamen illius testimonium in Scriptura sit reperire, id per Apostolicam traditionem haberi ab Ecclesia censendum est: cujusmodi sunt perpetua Deiparæ Virginitas, descensus Christi

(b) *De præscript. hæres.*

sti ad inferos, certus Evangeliorum numerus &c. *Altera:* Si traditio sit talis, ut ejus materia Ecclesiæ auctoritatem sive potestatem excedat, uti quod aqua vino miscenda sit in calicis consecratione, dubium non est, quin hæc traditio originem divinam habeat. *Tertia* demum; si de communi Patrum consensu circa Traditionem aliquam, num divina sit; necdum constat, qua ratione contigit circa doctrinam de baptismo hæreticorum iterando, quem impugnabat S. Cyprianus, confugiendum est ad Ecclesiæ judicium; tenendumque pro Traditione divina, quod in SS. Literis quidem expressum haud est, tamen ut fidei dogma ab Ecclesia recipitur.

## XXIX.

### *Auctoritas Ecclesiæ.*

Scripturam sacram & Traditiones summam obtinere auctoritatem apud omnes Catholicos quidem res confessa & manifesta est: quum vero penes Ecclesiam sit de utriusque tum genuina conditione, tum sensu legitimo, quin de omni doctrina Theologica judicare ac sententiam ferre, merito nunc ipsius Ecclesiæ auctoritas penitius inspicienda declarandaque venit, ut palam fiat, quænam & quam firma

firma ex hoc loco, seu fidelium communi consensu argumenta duci possint ad dogmata Theologica comprobanda; Est igitur Ecclesia, si etymologiam petas, græcum nomen, & si verbum verbo reddas, in Latio dici potest *convocatio*, sive quod omnes ad se vocet, ut Julio & Rabbano visum est, sive quod, quicunque in eam conveniunt, hi non meritis & justitia sua, sed Dei gratia & *vocatione* conveniant. Ita Romanæ Ecclesiæ scribens Paullus: *omnibus*, ait, *qui sunt Romæ, vocatis sanctis* (c). Item, *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, vocatis sanctis* (d). Qui quidem usus apud Christianos adeo invaluit, ut in nulla nunc multitudine *Ecclesiæ* nomen agnoscant, nisi quæ Christi fide ac vocatione coaluit. Ad leges vero dialecticas Ecclesia difiniri potest, esse hominum cœtum in professione veræ fidei & communione sacramentorum sub uno capite Romano Pontifice congregatum. Ex quo facile duo intelligi possunt: Primum, ad Ecclesiam constituendam necessario requiri tum conjunctionem hominum eorum inter se, quos cœtus iste complectitur, tum submissionem omnium, quam debent uni Capiti, quod toti cœtui

(c) *ad Rom.* 1. (d) 1. *Cor.* 7.

tui præest. Alterum, quænam sint Ecclesia membra, quæ non: quinam inquilini, qui exteri. Prioris generis sunt, quotquot his tribus, nempe Christianæ fidei professione, communione sacramentorum, & submissione erga legitimos Pastores sunt instructi. Posterioris vero partim infideles, qui sacri baptismatis fonte non sunt lustrati, partim hæretici & apostatæ, qui a Matris gremio se avulserunt; tum schismatici quoque, qui tametsi fide non careant, iisdemque utantur sacramentis, legitimo tamen capiti non obediunt, nec subesse volunt: tum denique ii, quos *Excommunicatos* vocamus, qui Sacramentorum communione privati, de Ecclesia sublati dicuntur, & spirituali gladio interfecti. Nam teste D. Augustino (e) *hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc*, scilicet in lege veteri, *interfectio*. Heic non sunt audiendi hæretici, Cathari olim ac Donatistæ, hodie etiamnum Anabaptistæ, qui nullam in vera Ecclesia, Christi sponsa, rugam, nullam maculam tolerare videntur, excludentes ab ea omnes, quotquot non sunt perfecti, nec integri vitæ scelerisque puri. Sed quis hominum est, qui tantam vitæ integritatem sibi arrogare ausit,

(e) *Quæst. 39. in Deuteron.*

ausit, quum fateatur D. Joannes: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* (f). Si ergo Ecclesiam in membris suis omni prorsus culpa & labe carere oporteret, nulla profecto in terris esset Ecclesia, & accensa lucerna in ipso meridie quærenda foret cum Diogene. Multo minus audiendi sunt Wicleffus & Hussius, uterque in Concilio Constantiensi damnatus, qui Ecclesiæ portam occluserunt cunctis ad gloriam non *prædestinatis*. Hac enim ratione totum Reipublicæ Christianæ regimen funditus evertitur. Quis enim fidelium scit, an summus Pontifex, Episcopi, Sacerdotes, cæterique Ecclesiæ ministri in numero Prædestinatorum contineantur? quod si non ita foret, & isti nec Ecclesiæ membra nec Antistites essent, nec eorum decretis judiciisque morem gerere oporteret, id in quod unice pestilente hac doctrina collineabant hi fraudum & hæresis fabri. Demum nec audiendus est Lutherus cum asseclis suis, qui veterum hæreticorum vestigia prementes solis probis locum in Ecclesia concedunt, improbis foras ejectis atque proscriptis. Sed ignorant hi, vel potius ignorare volunt, Ecclesiam esse agrum

(f) 1. *Joan.* 1.

agrum illum Evangelicum, in quo triticum & zizania simul crescunt, donec ista tempore messis colligantur in fasciculos, & comburantur (g): esse aream, in qua sic collectum est triticum, ut sub palea delitescat, donec cribro purgatum inferatur illud in horreum, paleæ autem flammis absumantur (h): esse rete, quo piscium genus omne colligitur, nec seligitur, usque dum in litore exponatur; ubi *Angeli separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis* (i). Quapropter rejectis hisce erroribus certum est, & apud Catholicos civitate donatum dogma, omnes illos, seu probi sint seu improbi, sive *prædestinati* sive *non prædestinati*, omnes inquam illos esse membra Ecclesiæ Dei, quotquot veræ fidei professione, & sacramentorum communione sub uno capite, summo Pontifice, ut initio dictum est, congregantur.

Constituta in se suisque membris Ecclesia notas illas & characteres prodere oportet, e quibus vera dignosci possit a falsis, seu pseudo-ecclesiis. Plures enim Sponsa hæc Christi procos & rivales habet, pluresque sectæ de Ecclesia, quam olim urbes de Homeri patria certant: Nestoriani, Ariani, Eutychiani, Calviniani,

(g) *Matth.* 13. (h) *ibid.* (i) *Matth.* 37.

niani, Zwingliani, Lutherani, & Catholici suam esse jactant veram Ecclesiam. Quum autem hæc sit *civitas*, quæ *supra montem posita abscondi non potest* (k), pridem Donatistæ male metuentes Ecclesiæ suæ *invisibilem* eam esse somniabant, optime gnari, si sua, quam sibi vendicabant Ecclesia, notis genuinis destituta in oculos hominum incurreret, fore ut velut spuria repudiaretur. Nec melius vigilabant Lutherani & Calvinistæ, qui duas distinxerunt Ecclesias, unam veram & *invisibilem*, alteram *visibilem* & falsam. Soli Catholici palam & coram totius Christiani orbis facie spectandam exhibent Ecclesiam suam, quam unam veramque esse profitentur, extra quam veluti Arcam Noemicam nullas salus: neque solum profitentur, verum etiam talem esse e notis illis demonstrant, quæ non nisi veram & a Christo institutam comitantur. Ejusmodi notas e Patribus & Conciliis depromtas quindecim numerat Bellarminus, quæ tamen ad quinque reduci possunt. Prima est, quod sit *una*. Quamvis enim Ecclesia, ut observat S. Augustinus, sit ubique, & hæresis ubique, est tamen ista una in fidei articulis, ac morum doctrina, & eadem ubique:

(k) *Matth.* 5.

que: hæreses autem non sunt eædem, sed diversissimæ, & veluti vulpes Samsonis, quæ licet caudas ad nocendum collectas habeant, capita tamen ad credendum divisa, quibus in diversas partes abeunt; quod ista docet, damnat altera, & eadem sæpe, quod hodie affirmat, cras negat. Secunda est, quod *sancta* sit; non quidem ac si omnia ejus membra sancta forent, sed quia nulli extra illam sunt sancti. Nota hæc sanctitatis elucet tum in ejus Auctore ac Parente Christo totius sanctitatis fonte; tum in primis Ecclesiæ Patribus, in quibus quod reprehenderent, nil invenerunt adversarii, quam sanctitatem captu suo majorem; tum in continua serie hominum aliquorum, si singula percurramus secula, omni virtutum genere illustrium, quorum sanctitatem Ecclesia aris dignam censuit, & Deus ipse miraculis clarissimis testatam fecit; tum in ejus fine, scilicet cultu divino, in doctrina & moribus, præceptis, consiliis, & Sacramentis, quæ omnia sanctum quid ubique spirant, ac referunt. Contra vero alias sectas, ut de cæteris vitiis taceam, mater superbia genuit, & proprii sensus pertinacia enutrivit. Tertia quod sit *Catholica*, id est, ubique diffusa, & ubique veram diffundens do-

ctri-

ctrinam. *Catholica vocatur Ecclesia*, inquit S. Cyrillus Jerosolymitanus (l), *quia per universum orbem terrarum diffusa est, a finibus terræ usque ad extrema, & quia docet Catholice, hoc est, universaliter, & sine ullo defectu, vel differentia omnia dogmata.* Nomen hoc vix audent usurpare hæretici, ut acute notat Augustinus. Nam quum interrogantur a paganis, ubi ad Catholicam conveniatur, nemo audet domum suam ostendere: dum contra Catholici aperte fatentur cum Paciano, Episcopo Barcinonensi (m): *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit.* Quarta, quod sit *Apostolica.* Eam enim Apostolorum Principes Petrus & Paullus fundarunt, ac proprio sanguine consecrarunt. Præterea in ea datur continua successio Episcoporum, ab Apostolis ad nostra usque tempora deducta, quam exhibere nequeunt hæretici: *Cedant*, inquit Tertullianus (n), *origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquam ex Apostolis vel Apostolicis Viris habuerit auctorem & successorem,*

(l) *Catech.* 18. (m) *Epist. ad Sympr.*
(n) *Lib. de præscript.*

*rem, quomodo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum refert.* In ea quoque reperitur doctrinæ consanguinitas, ut appellat idem Tertullianus, quum vera Dei Ecclesia doctrinam constanter retineat, quam Apostoli tradiderunt. Quinta denique est, quod sit *Romana*, tum quia Romana Ecclesia Mater est ac Magistra aliarum Ecclesiarum, ut loquitur Tridentinum (o), ac primum inter alias Ecclesias locum obtinet; tum quia centrum est Catholicæ Religionis, e quo egrediuntur fidei ac morum oracula, & ad quod fidelium, Pastorum, Principum ac Regum, immo totius orbis Catholici veneratio & obsequia confluunt. Præter characteres istos & notas, quibus insignita est vera Dei Ecclesia, multis quoque prærogativis gaudet. E reliquis eminet judicium erroris expers & falli nescium: atque hoc est clava illa herculea, quam toties e manibus Ecclesiæ extorquere frustra conati sunt omnes hæretici, & aliqui etiam non probe Catholici: & ex hoc firmissimum sane pro sacra Doctrina argumentum peti a Theologo potest, & solet. Profecto in omni societate bene constituta supremum aliquod tribunal esse oportet, in quo lites & con-

(o) *Sess. 7. de baptismo. can. 3.*

controverſiæ, quæ inter plures diu abeſſe nequeunt, & communitatis cujuscunque corpus velut umbra ſequuntur, decidantur & finiantur, ne ſint æternæ, aut quovis partes judicis ſibi vendicante tota respublica ſusdeque vertatur. Hoc vel maxime fieri neceſſe eſt in ea hominum ſocietate, quæ non temporariam quandam, ſed æternam felicitatem pro fine ſibi præfixo habet, & ubi non de bonorum fortunæ, ſed animæ immortalis ac ſalutis ſempiternæ jactura res agitur. Hæc evitari nequit, nec ille de quo dixi, finis obtineri poteſt ſine fide, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo* (p). Fidei autem noſtræ myſteria ſunt obſcura nec evidentia, ſed ſola duntaxat Dei revelantis, & Eccleſiæ ſive ſcripturas ipſas ſive legitimum earum ſenſum proponentis auctoritate credi poſſunt: opus igitur eſt tribunali ſupremo, ad quod exortæ tum circa Scripturam ejusque ſenſum, tum circa res credendas, moresque informandos lites & controverſiæ deferantur, & in quo definiantur: opus eſt judicio, quod errori non ſit obnoxium, quum agatur de rebus ejusmodi, in quibus error emendari nequit, & errare eſt æternum perire; neque alias unquam judicium hoc, niſi

(p) *ad Hebr.* 11.

nisi erroris expers & esset, & esse crederetur, in rebus ad Religionem pertinentibus mentis nostræ adsensum certum obtineret. Jam vero tribunal istud tam pretioso Dei dono, quod *Infallibilitatem* vocant, instructum est Ecclesia Catholica. Huic enim dictum est a Christo (q), dum Petro dixit: *Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Prævalerent autem hæ, si a fide illa deficere aliquando posset, ac falsa pro veris, aut mala pro bonis populo Christiano dogmata proponere. Originem vero suam debet immunitas ista, & non errandi privilegium, quo gaudet Ecclesia, æternæ Veritatis, Sapientiæ ac Sanctitatis sibi perpetuo adsistentis magisterio, quod Christus sponsæ suæ Ecclesiæ promisit verbis quoque illis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Non enim censendum est, Christum Ecclesiam suam, cui licet sudore sanguineque suo fundatæ, modico tamen temporis spatio se ipsum indulsit, pessime constitutam subito reliquisse, ac Petri naviculam sine remigio tot fluctibus ac tempestatibus cum certo naufragii periculo exposuisse.

XXX.

(q) *Matth.* 16.

XXX.

Distinguunt heic quidam novandi studio correpti inter Ecclesiam per orbem dispersam, & inter coactam in Conciliis, huicque judicium falli nescium tribuunt, negant illi. Sed profecto dum hoc agunt, summopere falluntur ipsi, & alios fallere per injuriam conantur. Nam qua ratione fieri possit, ut omnes per orbem dispersi Episcopi judicio suo errorem committant, quin e vestigio fidei suæ commissas oves in idem secum trahant errandi præcipitium, utpote quæ obsequi a Christo jubentur Pastoribus suis, ea quæ ad fidem & mores spectant, præcipientibus? *Obedite Præpositis vestris : qui vos audit, me audit.* Atque ita communis ovium cum suis Pastoribus error manifeste universam Ecclesiam errori obnoxiam redderet, & virus in membris receptum in totum corpus diffunderetur, quum Ecclesia aliud non sit, quam fidelium cœtus sub uno capite congregatus. Immo si rem, ut est, fateri velimus, potiori jure immunitas hæc, a communi erroris periculo Ecclesiæ a Christo promissa, dispersæ, quam in Conciliis collectæ adjudicanda videtur, ut egregie observat Canus. Posterior enim quædam duntaxat Ecclesiæ imago est, & repræsentatio: prior vero est ipsamet Ec-

clesia tanquam grande corpus, quod se per totum terrarum orbem porrigit. Neque Christus in Conciliis, sed in Ecclesia sua, utique dispersa, constituit Apostolos, ut regant subditum sibi gregem: *Posuit vos Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei* (r), justitque, ut irent in universum mundum, & omnes gentes docerent. Ad quod ministerium humeris suis impositum, ut rite illo fungerentur, vel maxime opus habebant, ut ab omni erroris discrimine removerentur. Neque tam facilis aditus est ad Concilia, nec diei unius labor, ex ultimis etiam orbis partibus tot Episcoporum ac Doctorum Ecclesiæ senatum cogere: quin sæpe nec operæ pretium. Certe ante Nicænum, quod fuit Oecumenicum primum an. 325. multæ hæreses damnatæ profligatæque fuerunt sine Conciliis. Aperte id testatur D. Augustinus (s), ubi Pelagianis tumultuantibus & ad Concilium Generale provocantibus ita respondet:
„ Aut vero congregatione Synodi opus
„ erat, ut aperta pernicies damnaretur;
„ quasi nulla hæresis aliquando, nisi sy-
„ nodi congregatione damnata sit; quum
„ potius rarissimæ inveniantur, propter
„ quas damnandas talis necessitas extite-
„ rit,

(r) *Act.* 20. (s) *l.* 4. *ad Bonifacium c. ult.*

„ rit, multoque ſint atque incomparabi-
„ liter plures, quæ ubi exſtiterunt, illic
„ improbari damnarique meruerunt, at-
„ que inde per cæteras terras devitandæ
„ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum
„ ſuperbia - - - hanc etiam gloriam ca-
„ ptare intelligitur, ut propter illos Orien-
„ tis & Occidentis Synodus congrege-
„ tur. Orbem quippe Catholicum, quo-
„ niam Domino eis reſiſtente pervertere
„ nequeunt, ſaltem commovere conan-
„ tur„. Et quid obſecro demum fieret, quamque gravia rei Catholicæ damna imminerent, ſi minorum gentium Eccleſiæ judicium ferre non poſſent, cui tuto certoque acquieſcendum eſſet, ſed Spiritus ſancti, qui omnem veritatem nos docet, veluti aquæ motus in piſcina probatica (t) foret exſpectandus, donec Eccleſia in Concilio univerſali conveniret? nullus profecto foret interea litium ac diſſenſionum finis, errores hæreſesque impune in viſcera orbis Chriſtiani graſſarentur, rebelles ac contumaces in officio contineri nequirent, privatus quisque in fidei ac morum controverſiis munus judicis ſibi arrogaret, inveherenturque in Eccleſiam cruenta illa tempora Ma-

(t) *Joan.* 5.

Magni Interregni, quo vigebant *Diffidationes*, ut appellant, quibusque Nobilium quivis, quævis civitas jus sibi ipsi dixit, & in vicinos suos arma corripuit, totoque Imperio nonnisi latrocinium dominabatur. Tristis experientia rem totam nos docuit, quando depravatis moribus ingens errorum colluvies Germaniam inundavit: hæresum Architecti, qui jam tum temporis secessionem ab Ecclesia meditabantur, decretis Romanis obtemperare recusantes, magnis ubique clamoribus ad Concilium universale provocabant, ibi ut spoponderunt, causam suam acturi: convocato denique immensis plurium annorum laboribus ac impensis Concilio Tridentino nemo illorum usquam comparuit, sed viribus interim & ferocia aucti rem Catholicam ubique turbarunt, & hæresis, quæ in cunis suffocari & potuisset & debuisset, in apertum postea Germaniæ incendium erupit. Salva igitur manet Ecclesiæ quoque dispersæ prærogativa in rebus fidei morumque judicandi absque periculo, quin vel ipsa erret, vel subditos in errorem inducat. Duo tamen hac in re scitu digna occurrunt: primum est, quod in Ecclesiis, in quarum gremio orta est controversia, ad eam finiendam decidendamque opus sit

con-

consensu expresso, in reliquis sufficiat tacitus. Ita olim Pelagii impietas in Concilio Chartaginensi damnata, communi dein aliarum Ecclesiarum, quibus illa innotuit, consensu proscripta fuit: ita vicinioribus temporibus Gallicana Ecclesia Constitutionem, quam ab Innocentio X. contra famosas quinque Jansenii propositiones, aliamque, quam a Clemente XI. contra novum testamentum Quesnelli obtinuit, publico judicio comprobavit, quin constet, eas ab aliis extra Italiam Ecclesiis expresso consensu aut publica sententia ratas habitas fuisse. Alterum est, quod hoc in negotio majore saltem suffragiorum parte standum, nec paucorum judicio, sed plurium Episcoporum consentientium sententiæ sit deferendum. Docet hoc Epistola Caroli M. (u) quam scripsit ad Elipandum, cæterosque Hispaniæ Episcopos Cæsar Ecclesiæ Romanæ devotissimus: *Cum his sanctissimis prædictorum Patrum decretis & Catholicis statutis consensum subnexui . . . ne paucorum subdolis assertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerem . . . horum me sanctissimæ multitudini & probatissimæ auctoritati veræ fidei*

(u) *Tom.* 7. *Concil. p.* 1047.

*fidei professione firmiter associem, nec vestræ me paucitati hujus novæ assertionis socium admitto* &c. Quodsi vero contingeret, Episcopos inter se discordes fore, ei adhærendum semper parti censent Doctores, pro qua stat Vaticanum Oraculum, seu Pontifex Romanus; hujus enim auctoritas etiam paucitati suffragiorum in ipsis quoque Conciliis invictum pondus addit. Quid jam prohibet, quo minus ex auctoritate Ecclesiæ hactenus exposita firmissimum ad doctrinam suam stabiliendam argumentum petat Theologus?

## XXXI.

### *Auctoritas Conciliorum.*

Ecclesia Dei vera, uti per totum, qua late patet, terrarum orbem diffusa est, ita non raro angustos intra limites collecta videtur, quod potissimum fit, quando Concilia Oecumenica in loco quodam ad id destinato celebrantur, ubi membra, si corpus vastissimum spectes, pauca quidem ex omnibus, sed altiore præ cæteris in gradu dignitatis constituta, totam Ecclesiam veluti præsentem exhibent. Nam ut Tertullianus (x) loquitur: *Aguntur illa certis in locis Concilia* ex

(x) *Lib. de jejuniis c.* 13.

*ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Atque horum Conciliorum si legitima fuerint, quum summa sit & auctoritas, & in rebus fidei ac morum definiendis potestas ut mox videbimus, eorumque Decreta, quemadmodum D. Ambrosius appellat, sint *hæreditaria signacula nullius temeritate violenda*, locum constituunt sane insignem, e quo ad dogmata sua firmanda ac errores adversæ partis refellendos Theologo argumenta validissima, fortissimaque arma depromere licebit. Jam vero nomen Concilii derivat S. Isidorus (y) a Cilio: *Concilii nomen*, inquit, *tractum ex communi intentione, eo quod in unum dirigant omnes (scilicet congregati) mentis obtutum: Cilia enim oculorum sunt; unde & qui sibimet dissentiunt, non agunt Concilium, quia non sentiunt unum.* Cicero autem ait (z): Concilium esse Congregationem ad aliquid cum deliberatione agendum institutam. Nunc vero diviso in Ecclesiasticum & Politicum imperio longa consuetudo & usus obtinuit, ut celebriores Virorum Principum conventus ad res arduas in profana reipublicæ guber-

(y) *L. 7. Etymol. c. 16.* (z) *Orat. pro Roscio.*

gubernatione statuendas, publica & legitima auctoritate convocati dicantur *Comitia*; *Concilia* vero conventus Ecclesiasticarum personarum, maxime Episcoporum, a superiore legitimo indicti convocatique, ut de rebus fidei & Religionis deliberent atque decernant. Duplex autem Conciliorum genus distinguere oportet: Universale seu Generale voco, quod totius Ecclesiæ nomine celebratur, & ad quod omnes ex toto orbe Christiano Episcopi vocantur: hoc si quoque legitimum fuerit, Oecumenicum dici solet. Constat enim ex Annalibus Ecclesiasticis, plura fuisse Concilia Generalia, uti Mediolanense an. 354. in causa Athanasii habitum: Ariminense anno 357. coactum, in quo per fraudem damnata fuit Nicæna fides: Ephesinum II. an. 439. in quo Præside Dioscoro confirmata est Eutychetis hæresis; hisque similia, quibus tamen Oecumenici nomen nemo tribuit, nemo honorem habuit, quum nec a summis Pontificibus probata, nec ab Ecclesia tanquam legitima unquam recepta fuerint. Unde Concilia Generalia *in Legitima* seu Oecumenica, in *Reprobata*, & in *partim Approbata*, *partim Reprobata* dividendi mos inolevit. *Particulare* appello, in quo vel integra cujusdam nationis, vel certæ

pro-

provinciæ Præsules, aut Diœceseos alicujus animarum Pastores congregantur. Hinc *Particulare* Concilium in Nationale Provinciale, ac Diœcesanum plerisque partiri libuit. Primum est, quando totius cujusdam regni, aut integræ ut dixi Nationis, Germanicæ, Gallicæ, Hispanicæ &c. Archiepiscopi & Episcopi ab uno Patriarcha vel Primate coguntur. Alterum, si plures Episcopi alicujus Provinciæ ab Archiepiscopo suo evocentur. Tertium, quod a singulis Episcopis in sua Diœcesi, vocatis Parochis aliisque Sacerdotibus ob privatas singularum Ecclesiarum necessitates institui solet, quale fuit illud, de quo meminit D. Augustinus (a) dicens: Contra Pelagianam hæresin quum fuisset diutius disputatum, etiam ad Concilia Episcopalia novissima necessitate deventum est. Huic *Synodi* nomen frequentius modo imponitur, quamvis omnibus Conciliis commune sit.

Origo Conciliorum ipsi Ecclesiæ coæva est, non solum Novi, verum etiam Veteris Testamenti. Hæc quidem quum in formam Reipublicæ redigi cœpisset, Numinis jussu in ea Moses constituit (b) Tribunos, Centuriones, & Decanos, qui colla-

(a) *De grat. & lib. arbitr. c.* 4. (b) *Exod.* 18.

collatis in medium consiliis populum in lege divina instruerent, quemadmodum patet ex illo Dei Mosen alloquentis mandato (c): *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Rex quoque Josaphat Solymæa in urbe Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israelitico populo selegit, præcepitque illis, ut judicium & caussam Domini judicarent habitatoribus ejus (d), subjungens: *Amasias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Illud vero Concilium solemnius erat apud Judæos, quod Hebræi Sanhedrim, Græci συνέδριον appellabant. Sacrum hunc Senatum conflarunt septuaginta duo Seniores, duodecim Principes populi secundum numerum familiarum seu tribuum Israel, quatuordecim Principes Sacerdotum, qui totidem classibus eorum præerant, excepto Summo Pontifice ac Scribis, qui legem interpretabantur, quos Josephus vocat Prophetas. Præter summum hoc Con-

(c) *Num.* 11. (d) 2. *Paralip. c.* 19.

Concilium aliud minus erat, quod Synagogam dicebant, & ad quod populus cum Principe ſuo minorum gentium cauſſis retulit, ejus judicio decidendas. Utriusque & Magni & minoris meminit Chriſtus ipſe (e): *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.* In nova vero Lege Servator Conciliorum Eccleſiaſticorum inſtitutum aperte ſatis demonſtravit & commendavit verbis illis (f): *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hæc enim verba de Conciliorum inſtitutione a Chriſto facta interpretantur Concilium Chalcedonenſe (g): ſexta Synodus (h): Cœleſtinus Papa (i): Concilium Toletanum tertium: Alexander (k) aliique plurimi. Non minus Apoſtoli, priusquam in omnem terram dividerentur, Spiritus S. impulſu convenerunt, ut fidei tradendæ breve Compendium, quod Symbolum Apoſtolorum dicimus, conficerent, omnibus deinceps Chriſti fidelibus proponendum. Exorta poſtmodum Antiochiæ de legalibus ſervandis controverſia coacto Jeroſolymis Concilio *convene-*

(e) *Matth. c.* 10. (f) *Matth. c.* 18. (g) *In epiſt. ad Leonem.* (h) *Act.* 17. (i) *Epiſt. ad Concil. Epheſin.* (k) *Epiſt. ad Anaſtaſ. Alexandr.*

*venerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc* (l). Atque ab eo tempore Conciliorum mos in Ecclesia invaluit, quæ pro necessitatum impendentium diversitate diversa singulis pene ætatibus celebrata fuerunt. Palam igitur est, antiquissimam esse sacrorum Ecclesiæ Conciliorum originem, & ad ipsum Deum tanquam Auctorem esse referendam, illorumque institutionem ac celebrationem non humani, sed juris esse divini. Si enim humanum duntaxat inventum foret convocare Concilia, uti censuit Albertus Pighius (m) male tribuissent Apostoli Spi- Spiritui Sancto id, cujus ipse nec Auctor esset, nec Actor, dum in primo Concilio supra memorato professi sunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Quamvis autem non sit ea Conciliorum ineluctabilis necessitas Ecclesiæ imposita, ut absque his fides Catholica, & animarum regimen salvum esse ac incolume nequeat, quum ut alias demonstravi, Ecclesia dispersa non minus, quam in Concilio congregata, erroris expers sit, nec falli possit, pluresque hæreses sine Concilio quam in Concilio proscriptas fuisse jam sua ætate observarit S. Augustinus, summæ tamen

(l) *Act.* 15. (m) *L.* 6. *de cælest. hierarch. c.* 1.

men utilitatis, ac prope necessitatis rem hanc censuerunt omni tempore supremi Antistites & Patres: *Nullibi melius enim,* ait Illustriss. de Marca (n) *fides universalis Ecclesiæ solet apertius explicari, quam in compendio universalis Ecclesiæ, quæ Conciliis generalibus repræsentatur.* Et ipsa Synodus V. Generalis reddens rationem indicti Concilii (o) his verbis præfata est: *Licet Spiritus S. gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt.*

## XXXII.

Porro caussas convocandi Concilii opportunas si quis nosse desideret, quinque suppeditat constans Ecclesiæ praxis & consuetudo. *Prima* est nova & recens orta hæresis, quæ nunquam antea in judicium vocata fuit. Atque hoc negotium erat septem primorum Generalium Conciliorum. Nam in Nicæno I. damnatus est Arius,

(n) *Concord. l.* 5. *c.* 8. (o) *Collat.* 8.

Arius, negans Dei Filium ὁμοούσιον seu Patri consubstantialem: in Constantinopolitano I. Macedonius exuens divinitate Spiritum S. quem Patre Filioque minorem esse contendebat: in Ephesino Nestorius duas in Christo personas conjungens: in Chalcedonensi Dioscorus & Eutyches, qui unam tantum in Christo naturam admittebant: in Constantinopolitano II. Origenis errores proscripti fuerunt: in Constantinopolitano III. Monothelitarum hæresis profligata, unam solum in Christo voluntatem agnoscentium: in Nicæno II. demum Iconoclastarum impietas debellata fuit. *Alteram* Concilii celebrandi caussam Doctores assignant schismata, si quæ forte inter Pontifices Romanos oriantur, in cunis suffocanda. Ita contigit tempore Cornelii, Symachi, Innocentii II. Alexandri III. & in Constantiensi, quum triceps appareret Ecclesia, essentque tres, qui se Pontifices appellarent. *Tertiam* subministrant pericula a Turcis & aliis Ecclesiæ hostibus orbi Catholico impendentia, ut communi consilio, subsidiis, collectisque viribus avertantur. Ob hanc Urbanus II. Callixtus II. & Eugenius III. Concilium olim coegerunt. *Quartam* caussam præbet suspicio hæresis, infidelitatis, aut tyrannidis, si Romanus Pontifex, quod absit,

absit, eam incurreret, alia via non tollendam. Propterea congregatam fuisse Synodum Sinuessanam in caussa Marcellini tradunt magni nominis Auctores, quamvis hodie Critici satis periti historiam hanc fabulis adnumerandam esse censeant: Romanum in caussa Damasi, Sixti III. Leonis III. nullum tamen ex his Conciliis sententiam damnationis in Papam tulisse legitur. *Quinta* demum adferri solet ad tollendos abusus, extirpanda quæ in Ecclesiam forte irrepserunt vitia, & ad Ecclesiasticam disciplinam in vigore suo conservandam; quem sibi laborem vendicarunt fere omnia hucusque, etiam *particularia* Concilia, præ reliquis tamen novissimis temporibus Sacrosancta Synodus Tridentina. Omnes has caussas hactenus recensitas Concilii Constantiensis Patres (p) complexi esse videntur pronunciantes: „ Frequens Conciliorum „ generalium celebratio agri dominici cul„ tura est præcipua, quæ vepres, spinas, „ & tribulos hæresum & errorum & „ schismatum extirpat, excessus corrigit, „ deformata reformat, & vineam Domi„ ni ad frugem uberrimæ fertilitatis ad„ ducit: illorum vero neglectus præ„ missa disseminat atque fovet. „

Jam

(p) *Sess.* 39.

Jam quæ quantaque Conciliorum sit auctoritas atque potestas, discutiendum occurrit. Hoc ut ordine fiat, tria potissimum in negotio isto sane gravissimo sunt observanda: quædam nimirum antecedunt Concilium, quædam comitantur, alia sequuntur. Primum est quod antecedit, ut Concilium legitime congregetur: opus igitur erit, ut a Romano Pontifice Christi vices gerente indicatur ac convocetur, isteque tanquam Ecclesiæ universæ Caput vel per se, vel per Legatos suos quocunque demum modo præsideat: Episcopos quoque totius Orbis Catholici, si Universale fuerit Concilium, vocari & quantum fieri potest, præsentes esse necessum est, ut Universæ Ecclesiæ imaginem exhibeant, cui Christus adfuturum se promisit. Alterum est, quod comitatur, ut in ipso Concilio res, quæ ad fidem ac mores pertinent, ea industria, cura, & zelo Patrum agantur, quem adhiberi voluit Christus, dum dixit': *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio eorum sum.* Unde divinum implorari auxilium oportet, simulque nihil humanæ industriæ, studii, consilii omittere, donec discussis errorum ac ignorantiæ tenebris Catholicæ veritatis ac fidei lux clarissima se se prodat.

Duo

Duo tamen heic rurſus diſcutienda veniunt: undenam certa Concilii legitimi nota peti debeat, & qua ratione conſtare poſſit, omnia rite in Concilio tractata, & peracta fuiſſe? Audiamus duorum graviſſimorum Theologorum, Bellarmini & Cani ſuper hæc judicium. Prior ita loquitur (q): *Iis qui Concilio præſentes adſunt, evidens eſſe poteſt, Concilium iſtud eſſe legitimum. Vident enim conveniſſe in unum Epiſcopos, qui habentur ab omnibus veri Epiſcopi; & conveniſſe ex variis Provinciis, & vocatos ab eo, qui habet auctoritatem; & ſi quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre poſſunt. . . Poſteris autem vel abſentibus id ipſum eſt notum ex humana fide, ſed certiſſima, & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit.* Poſterior vero, nempe Canus, ait (r): *Deum ſuaviter omnia diſponere, ſimulque proſpicere & finem & media ad finem neceſſaria. . . . Cum ergo Eccleſiæ firmitatem fidei fuerit pollicitus, deeſſe non poteſt, quo minus tribuat Eccleſiæ preces cæteraque præſidia, quibus hæc firmiter conſervetur. . . Quod ſi ſemel hæreticis licentiam permittimus, ut in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ Judi-*

(q) *Lib.* 2. *de Concil. c.* 9. (r) *Lib.* 5. *q.* 3.

*Judices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat, ut quæstio via & ratione finiretur, ecquis adeo cæcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum & Conciliorum judicia labefactari?* Tertium est, quod subsequitur; nimirum si Concilium Universale, actaque illius vel præsentis vel absentis Pontificis auctoritate, ac tacito vel expresso consensu firmentur, tunc enim vero certam fidem facit, & numeris omnibus absolutum censetur. Est enim Pontificiæ confirmationis æqua conditio cum definitione, quæ ut postea demonstrabo, nulli errori obnoxia esse potest. Unde Nicænæ Synodi Patres, quamvis eidem Pontificis Legati interfuerint, nihilominus datis ad Sylvestrum literis; *Quidquid constituimus*, inquiebant, *precamur, ut oris vestri consortio confirmentur.* Quod ubi factum est, tantam apud orbem Catholicum auctoritatem obtinuit, ut D. Cyrillus (s) ejusdem Synodi Decretum appellare non dubitarit *sanctissimum & divinum oraculum.*

## XXXIII.

His ita constitutis absque hæsitatione pronunciandum est, Concilium universale a Pontifice indictum convocatumque, ac debi-

(s) *L.* 1. *de Trinit.*

debitis conditionibus instructum, vel saltem a Pontifice postea confirmatum, omnis erroris expers esse, certamque Catholicorum dogmatum fidem facere. Argumenta hujus veritatis plurima sunt, ac minime dubia; sed pauca cæteris fortiora in medium producere juvat. Primo quidem ejuscemodi Concilium, quod vere Oecumenicum est, in definiendis causis non suo sed Spiritus sancti magisterio regitur, ita ut cum omnium primo Apostolorum Concilio, quod norma est reliquorum (quæ non minus quam istud ob exorientes identidem hæreses, pravosque mores in Ecclesiam irrepentes Spiritu sancto adsistente opus habent) dicere possit: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Deinde Concilia Generalia legitime congregata totam exhibent Ecclesiam, ita ut in eorum velut gremio totius Ecclesiæ, nimirum capitis & membrorum, consensus resideat; tota vero Ecclesia in credendo & docendo errare nequit, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, (t) & *Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis* (u). Quapropter Bellarminus (x) asserere non dubitavit: *Assistit Concilio*

(t) *Matth.* 16. (u) 1. *Tim.* 3. (x) *l.* 2. *de Concil. c.* 9.

*cilio Spiritus S. non tam propter Concilium, quam propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari.* Prætera regitur vel confirmatur Concilium a Pontifice tanquam supremo capite ac controversiarum judice errare nescio: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (y). Deficeret autem vel maxime, si ejus auctoritate munita in orbem Catholicum prodirent erronea falsaque dogmata. Quid quod nulla profecto via nobis superesset in fidei controversiis Catholicam explorandi veritatem, si Concilia in fide errandi periculo essent exposita; qui enim summi Pontificis ac reliquorum omnium Ecclesiæ Pastorum detrectat judicium, is nullum vivum Judicem est inventurus, a cujus tribunali non liceat discedere; atque ita velut postliminio redibunt omnes hæreses a Conciliis olim damnatæ sublata illorum auctoritate, ac impune rursum Ecclesiam vastabunt. Hinc quoque sapientissimus Imperator Marcianus lege sanxit, ne semel definita in Conciliis generalibus retractentur (z). Denique vel populus fidelis tenetur stare definitione Concilii, vel potest ei repugnare? si tenetur, jam

(y) *Luc.* 22. (z) *l. nemo c. de summ. Trinit. & fide Cathol.*

jam errante Concilio populus in eodem errore versabitur: si repugnare potest, ubinam illud est: *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me* (a). Neque opus est Ecclesiarum subsequente consensu vel acceptione, ut Concilium vim suam, & auctoritatem supremam sortiatur. Nec enim illi ac decretis illius robur & vires, veritatisque privilegium confert Episcoporum, qui Concilio non interfuerunt, aut Ecclesiarum singularium consensio, sed certissimum Christi promissum, quo Ecclesiæ universali, qualis est, si in Concilio sit congregata, semper adfuturum se spopondit. Quapropter anathematis pœna cautum est, ut Concilii Generalis decreta, non expectata privatarum Ecclesiarum Pastorumque comprobatione, statim ac illa publici juris facta, riteque cognita fuerint, effectui dentur: quin etiam, ubi dubium non est, Concilium aliquod esse legitimum ac Oecumenicum (secus exspectandum foret, donec lis hæc ab Ecclesia componeretur) in Hæreticorum ac Schismaticorum numerum referendæ sunt, quotquot singulares Ecclesiæ fidei decretis ab hujusmodi Concilio Oecumenico statutis non acquiescunt,

(a) *Luc.* 10.

scunt, uti contigit illis, quæ (*Reformatas* nunc vocant) Tridentini definitionibus sese opposuerunt. Publici enim boni ratio poscit, ut in quacunque Republica detur suprema quædam auctoritas, penes quam potestas sit ferendi leges, & obligandi omnes: nullam vero majorem in Ecclesia Dei est reperire, quam auctoritatem Concilii Oecumenici, cujus proinde erit leges condere, quibus totum orbem Christianum obedire oporteat. Quamvis autem maxima Conciliorum sit, semperque fuerit auctoritas, tamen tanta non erit, ut illi, quam sacra obtinet Scriptura, æquiparari possit, quemadmodum sine fronte criminantur hæretici. Nam sacra Scriptura est ipsum Dei loquentis Verbum, dictante ac assistente Spiritu sancto exaratum: Concilia vero solum, quod sit Dei verbum, & quomodo intelligendum, declarant, atque ex eo rationis & dialecticæ ministerio dogmata sua deducunt, humanaque incedentes via rationum momentis verum a falso discernunt, qua præmissa diligentia, invocato postmodum Patre luminum, & promisso Spiritus sancti auxilio freta, fidei morumque decreta concipiunt. Præterea in Scriptura quæcunque continentur, seu mysteria, seu historiæ sint, seu vaticinia,

seu

ſeu epiſodia, ſeu nudæ adſertiones, quocunque nomine veniant, ad fidem pertinent, non item quæcunque in Conciliis vel immiſcentur vel allegantur. Demum Scriptura non eget Papæ calculo, ut ſit authentica, ſed ſolum ut innoteſçat ejus auctoritas, dum contra Pontificis confirmatione indigeant Concilia Generalia, ut rata ſint, & vim obligandi habeant. Quod autem ad Conciliorum placita & decreta adtinet, quatuor præcipue indicia veluti totidem regulas produnt rerum periti, quibus ea, quæ tanquam res fidei a Conciliis ſtatuuntur, dignoſcantur a reliquis, quæ ſunt extra fidei ſphæram poſita. Primum eſt, ſi hæretici eſſe declarentur, qui contrariam opinionem tueri auſint; alterum, quando Synodus hac loquendi præcipiendique formula utitur: *Si quis hoc aut illud ſenſerit, anathema ſit.* Tertium ſi in eos, qui contradixerint, ſententia ipſo jure fertur, qua fidelium cœtu excluduntur, uti videre eſt in Tridentino (b). Ultimum, ſi non opinando duntaxat, ſed certo firmoque decreto, ac verbis diſſertis aliquid tanquam fidei dogma tenendum fidelibus, aut vice verſa Evangelio doctrinæque Apoſtolorum eſſe contrarium declaretur. Subtilior atque

(b) *Seſſ.* 13. *can.* 11.

que difficilior sese offert controversia, num in morum decretis errare possint Concilia. Distinguere heic oportet inter morum doctrinam, quorum aliqui ad salutem necessarii sunt, alii sine pietatis & salutis jactura adesse vel abesse possunt: rursus aliqui Ecclesiæ toti communes sunt, & ad universalem Ecclesiæ disciplinam, divini cultus decorem, publicam Sacramentorum administrationem spectant, alii ad privatorum hominum vel Ecclesiarum regimen, ac jurisdictonem Ecclesiasticam referuntur. In primi generis morum doctrina eorum scilicet, qui ad salutem necessarii sunt, vel ad universalem Ecclesiæ doctrinam pertinent, sane Conciliorum decreta ab erroris suspicione absolvenda sunt. Nam instar principii tenendum est: Deum non deficere in necessariis, quod plane fieret, si Judices ac Doctores Ecclesiæ in rebus ad salutem & Ecclesiæ disciplinam necessariis errori paterent. Huic adsertioni luculentum præbet testimonium synodus Tridentina (c). In secundi generis morum doctrina, qui ad pietatem ac salutem necessarii non sunt, nec toti Ecclesiæ communes, Concilia ab omni errandi periculo absolvere adulationis genus quoddam esse videtur, non veritatis

(c) *Seß.* 21. *c.* 2. & *Seß.* 7. *can.* 13.

itatis: *Non eget*, inquit Canus, *non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget:* Profecto Pontificis ac Conciliorum omne de re quacunque judicium emere ac sine delectu probando defendendoque non persuadebit hæreticis veritatem Catholicam, qui partium studio & affectu abreptus nimium pertinax, & in omnem omnino casum obfirmatum Pontificum & Conciliorum infallibitatis patrocinium in se susceperit: neque abnuit ipse Pontifex Innocentius III. (d).

## XXXIV.

### *Synopsis Conciliorum Oecumenicorum, aliorumque.*

Juvat nunc præmissis, quæ ad Conciliorum auctoritatem stabiliendam pertinere videbantur, principiis Oecumenica diversis in Ecclesia temporibus celebrata in conspectum dare, utpote quorum notitia theologicæ eruditionis studioso si non omnino necessaria, certe utilissima est. Quamvis autem de numero eorum non omnes scriptores conveniant, præsertim antiquiores, hodie tamen communiori eruditorum calculo octodecim recensentur, quorum octo in Oriente, in Occidente decem congregata fuerunt.

I. Pri-

(d) *In c. a nobis de sent. excomm.*

I. Primum est Nicænum, ita dictum ab urbe Nicæa, Bythiniæ in Asia metropoli, ubi S. Sylvestro Ecclesiam, & Constantino M. Imperium moderante in Aula Palatii Constantini Anno 327. ut Bellarmino, vel 325. ut Barronio aliisque visum est, coactum fuit. Interfuerunt ex toto Oriente 318. Episcopi, e quibus, multi sanctitate ac tormentorum, quæ fidei causa Diocletiani, Maximiani & Licinii temporibus subierunt, recentibus veluti vestigiis conspicui eminuere: Nicolaus Myræ in Lycia, Paphnutius Thebarum in Ægypto, Potamon Heracleæ, Spiridion Threnituntis in Cypro, Paullus Neo-Cæsareæ, Jacobus Nisibis in Mesopotamia, Alexander Constantinopolis, Arostenes in Armenia superiore Episcopi, & M. Athanasius tunc Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus: quos Theodoretus (e) *Dei ministros totius orbis lumina, Martyrumque collectam multitudinem adpellare non dubitavit.* Summi Pontificis nomine auctoritateque præsederunt Legati Osius Cordubensis in Hispania Præsul, Vitus & Vincentius Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, qui locum ante omnes reliquatum Ecclesiarum Antistites & Patriarchas occuparunt, suaque nomina Actis subscri-

pse-

(e) *Lib. 1. cap. 7.*

pserunt. Hos sequebantur Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ Patriarchæ, Macarius Hierosolymorum Episcopus: Constantinus vero Imperator locum Concilio destinatum ingressus, licet purpura auroque micaret, humiliorem tamen ac infra Episcopos positam sedem, nec nisi his annuentibus, sibi vendicavit, quos etiam ad pacem & concordiam, communeque bonum Ecclesiæ strenue promovendum eleganti oratione latina cohortatus est, non ut Judicem, sed ut Moderatorem se adesse professus. Duæ præ reliquis fuerunt controversiæ in Concilium adductæ: Prima perversum Arii de Verbo Divino dogma: altera Asiaticorum secta circa Pascha celebrandum. Inprimis Arius Presbyter Alexandrinus ægre ferens, ad sedem Patriarchalem Alexandrum Virum integerrimum se prætermisso evectum fuisse, ambitione ac invidia flagrans quum Præsulis hujus vitam non posset, doctrinam impugnare cœpit, ac impium dogma spargere, scilicet Dei Filium haud esse ὁμοούσιον, id est, *Consubstantialem*, sed puram *creaturam*, Patreque minorem. Doctrina hæc Arii semen fuit plurimarum, quæ orbem Catholicum diu afflixerunt, calamitatum. Nam sceleris ac erroris socios nactus dum in synodo cen-

centum Episcoporum ab Alexandro coacta damnatur, ipse aliam suæ factionis in Bythinia congregatam opposuit, post quam magnis aucta est incrementis Ariana hæresis. Accessit huic malo alterum inveteratum, scilicet schisma ortum a Præsulibus Asiaticis, sæpius oppressum, nunc iterum reviviscens: Quartadecimanos adpellabant, qui Pascha Judaico ritu non die dominico, sed luna decima quarta, in quamcunque diem incidisset, celebrabant. Utrique huic errori obviam itum est in Nicæno, de quo dixi, Concilio: impium Arii dogma damnatum, & Dei Filium esse Deum verum de Deo vero, ὁμοούσιον seu Consubstantialem Patri conclamatum, fideique Symbolum omnium nomine ab Osio sedis Apostolicæ Legato conscriptum ac promulgatum fuit. Constitutum quoque est contra Quartadecimanos, quos jam dudum Victor Pontifex Romæ, Theophylus Cæsareensis in Palæstina, & Irenæus in Gallia damnarant, ut post decimam quartam Lunam primi mensis in ipsum Æquinoctium vernum incidentem, vel ipsum proxime sequentem Pascha celebretur. Atque ita post varios Canones alios (virginti passim numerantur) conditos Concilium hoc, cui datum fuit initium anno 325. die 13.

Kalen-

Calendas Julii, eodem anno 8. Kalend. Septembris finitum solutumque fuit, postquam illius decreta Romam perlata a Sylvestro Pontifice rata habita fuerunt.

II. Secundum inter Oecumenica locum obtinet non Sardicense, ut quidam opinantur, quum Nicæni potius appendix dicendum sit, sed Constantinopolitanum I. indictum auctoritate Damasi Papæ, & consensu Imperatoris Theodosii Senioris anno 381. ut tradit Baronius, vel ut Bellarminus 383. Convenerunt in eo e diversis Orientis provinciis Episcopi Catholici centum & quinquaginta, Mecedoniani sex, semi-Ariani triginta sex. Inter Orthodoxos eminuit Gregorius Nazianzenus, qui gravissima oratione in hoc Patrum senatu habita Constantinopolitani Episcopatus dignitati sponte nuntium remisit, vitamque solitariam professus est: in cujus locum omnium suffragiis substitutus fuit Nectarius Senatorii Ordinis vir, ætate gravis & Prætoris tunc officio clarus. Quis autem Concilio huic summa cum potestate præfuerit, res est admodum ambigua inter Scriptores, aliis Nectareo Constantinopolitano, aliis Meletio Antiocheno, aliis Timotheo Alexandrino Præsuli honorem hunc deferentibus. Cuique quod suum est, tribuendum esse videtur; &

quum satis constet, tres intra unius anni spatium Synodos Constantinopoli fuisse celebratas, dicendum primæ Meletium, secundæ Oecumenicæ, de qua heic sermo est, Timotheum, tertiæ Nectarium præsedisse. Tres potissimum caussæ fuerunt, ob quas convocatum est Concilium: inprimis ut Nicæna fides tot procellis jactata, & a tot Pseudo-Synodis rejecta novo velut adversus Arianorum insultus munimento firmaretur: dein ut Macedonii hæresis, Spiritum S. divinitate exuentis, profligaretur: demum ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsul Orthodoxus præficeretur, quam Ariani Episcopi Eusebius, Macedonius, Eudoxius, Demophilus alter alteri succedendo multum labefactarunt. Ut vero legitimum ac Oecumenicum dici possit Concilium hoc, cui Pontifex nec per se, nec per Legatos suos præfuit, duo vel tria potius sub Damaso Papa non intercepta serie celebrata in unum colligi oportet: primum Aquileiense, cui Valerianus Aquileiæ Antistes: Secundum dimisso priore Romanum, cui Damasus ipse præsedit, invitatis quidem ad utrumque Episcopis Orientalibus, sed absentiæ suæ rationem ut poterant reddentibus per literas Synodi nomine Romam missas: tertium Constantinopoli-

opolitanum; quæ tria pari auctoritate
rædita in unum coaluere Concilium Ge-
erale, consentientibus Occidentalibus, qui
ı Aquileiensi & Romano convenerant,
um Orientalibus Constantinopoli con-
regatis. Præter tres Canones editum
st in hac Synodo fidei Symbolum, quod
ulgo Nicænum dicitur, neque ab hoc
iscrepat, nisi quod Constantinopolitanum
uædam prioris sensa uberius explicet:
stque illud ipsum, quod inter Missarum
olemnia cantari solet ab Ecclesia.

III. Tertium Oecumenicum erat Ephe-
inum, seu Ephesi Asiæ minoris metropoli
uctoritate Cœlestini Pontificis, petente
c favente Theodosio juniore Imp. con-
ocatum anno 431. vel ut censet Baro-
ius, 434. Numerus Patrum Conscripto-
um fuit plus quam ducentorum, quibus
ræerat inter alios Legatus Cyrillus Epi-
copus Alexandrinus, qui primus mitra
ontificia & titulo Judicis universi orbis
. Cœlestino Papa, cujus personam susti-
iebat, insignitus comparuit. Misit quo-
ue Legatos Theodosius, Iræneum &
Candidianum Comites, ut Synodum de-
enderent, ea tamen conditione, ne fidei
c Ecclesiæ negotiis sese immiscerent. Ve-
um hi parum memores mandati, ac
Nestorii partibus supra modum addicti

ſeu Chriſtiparam aſſerebat.
quippe Chriſto perſonas affinge
nam unam, alteram humanam
tanquam rem, quam conſequi
erat, Mariam perſonæ ſolum hı
divina prorſus diſcretæ genitri
Hæreſin hanc latius in dies graſſ
invaleſcentem quum Cyrillus tril
ad Theodoſium & Reginas Eud
Pulcheriam miſſis egregie confut
perator ad ſedandas iſtas, quibı
ſia confli&abatur, procellas de
Univerſali celebrando apud C
Pontificem egit, hocque conſ
licet in Synodo Romæ coacta
num dogma jam damnaſſet ider
fex, illud Epheſi celebrandum
vit. Ter citatus Neſtorius, quur

storum opera ipsum Theodosium in transversum egit, & contra Cyrillum concitavit, quem cum Nestorio ac Memnone Ephesino Episcopo carceri mancipari jussit. Verum Augustus detectis fraudum machinis meliora edoctus per sororem Pulcheriam eximiæ pietatis & prudentiæ Virginem, tandem S. Synodo benevolum se exhibuit, Cyrillum ac Memnonem pristinæ libertati restituit, acta per Candidianum & Iræneum condita rescidit, & admissis legitimi Concilii decretis Nestorium rite damnatum, omnique dignitatis gradu dejectum exulare coegit. Præter duodecim illos Anathematismos alii octo Canones hoc e Concilio contra Nestorium, ejusque sectatores prodierunt, cunctaque Romani Pontificis auctoritate fuerunt munita: ad reparandam vero injuriam Deiparæ illatam creditur heic definitum fuisse, ut salutationi Angelicæ verba hæc: *Sancta Maria Mater Dei &c.* adjungerentur.

IV. Quartum ex Oecumenicis apertum fuit Chalcedone in Bythinia, convocante Leone I. & cogente Marciano Theodosii successore anno 451. unde dictum est Chalcedonense. In hoc comparuere, uti traditur a multis, Patres trecenti triginta sex, inter quos eminuerunt Concilii Præsides ac Leonis Legati Paschasius Lilybe-

tanus, Lucentius Asculanus Episcopi, & Bonifacius ac Basilius Presbyteri, adjuncto istis Juliano, Coensi Præsule. Post Legatos secundam occupavit sedem Anatolius Constantinopolis, tertiam Dioscorus Alexandriæ, quartam Maximus Antiochiæ, quintam Juvenalis Jerosolymæ Episcopi aliique deinceps ordine quisque suo. Principes vero a Marciano missi cum amplissimo senatu consederunt in medio ante cancellos aræ. Demum & ipse sua cum uxore Pulcheria Marcianus Imperator interfuit, non Judicis partes, sed Tutoris ac Defensoris acturus, quemadmodum palam in Act. 6. declaravit Princeps religiosissimus. Synodi autem celebrandæ occasionem præbuit hæresis Eutychetis & Dioscori. Quippe Eutyches cœnobii Constantinopolitani Archimandrita, dum impiam Nestorii de duabus in Christo personis doctrinam est detestatus, non minus perversam ipse cœpit disseminare de una in Christo natura. Divinam enim humanamque in eo naturam premisceri docuit, ita ut humana per divinam velut absorpta sola divina in Christo superstes fuerit. Fidem superat, quantas pestilens hoc dogma turbas, quantos in Oriente tumultus excitarit. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus

de

de re tota edoctus continuo Synodum convocavit, cui Euthyches ter sistere se jussus ter adesse recusavit, nunc senio nunc solitudinis inviolabili jure impediri se caussatus; tandem & Monachorum caterva, & militum armis stipatus comparuit; sed qua fraudibus qua minis omnes Patrum saniora suadentium conatus elusit. Quum tamen hi in sententia sua firmi persisterent, Dioscori Patriarchæ Alexandrini, quem Flaviano infensissimum noverat, patrocinium imploravit. Hic homo impotens & crudelis, ut laboranti Eutycheti succurreret, impetravit a Theodosio Imperatore, ut renitentibus licet Flaviano, probisque omnibus Ephesi cogeretur secunda Synodus, in qua divina humanaque jura pessumdata fuerunt, non paucis Episcopis in vincula conjectis, ipsoque Flaviano pugnis & calcibus tam dire excepto, ut post triduum animam efflaverit. At Marcianus Theodosii Successor, & Pulcheria tantam crudelitatem execrati missis ad Leonem Pontificem literis Concilium, de quo dixi, Chalcedonense congregarunt, in quo Dioscorus prolatis per Alexandrinos testimoniis devastatorum ab ejus satellitibus & ministris agrorum, incensarum ædium, abreptarum per vim uxorum & virginum violatarum, una

cum Eutychete damnatus, & sede sua expulsus fuit: Ephesini Episcopi veniam suppliciter orantes in gratiam recepti: fides demum & pax unanimi omnium consensu stabilita, editis præterea viginti & septem canonibus.

V. Quintum inter Oecumenica Concilia numeratur Constantinopolitanum II. quod, an & qua ratione Pontificia auctoritate convocatum ac celebratum fuerit, non exigua inter Scriptores Ecclesiasticos est controversia, quæ haud alia componi posse via videtur, quam si auctoritatem suam Vigilium Papam, quamvis invitum, in convocando indulsisse, operam vero ac studium in exequendo Justinianum Imperatorem indulsisse dicatur. Quamvis enim Vigilius tum temporis Constantinopoli degeret, noluit tamen licet invitatus vel per se, vel per Legatos suos præsidere, non eam ob caussam, ne (ut hæretici criminantur) secundum post Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham locum occupare cogeretur, sed ne tum a Majorum suorum, qui Synodis generalibus in Oriente coactis non interfuerunt, consuetudine recederet, tum ne pauci Episcoporum, quos ex Occidente secum adduxit, cum tam multis Orientalibus non sine libertatis ac suffragiorum discri-

discrimine committerentur. Certe primas hoc in negotio partes Eutychium, qui præfuit Concilio, Pontifici detulisse constat ex ejusdem epistola ad Vigilium data his verbis: *Necessarium conferri de tribus Capitulis: unde quibusdam quæstio nata est; & ideo petimus præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæstioni imponi, Deo placitum & convenientem his, quæ a sanctis quatuor Conciliis definita sunt.* Cui Pontifex hunc in modum respondit: *Vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis Sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens iis, quæ a sanctis quatuor sunt definita Conciliis.* Jam vero Concilio huic anno 553. inchoato, ac diuturnæ Patrum plus quam centum & sexaginta, qui convenerant, contentioni materiem præbuerunt famosa tria Capitula, quorum primum versabatur circa personam & libros Theodori Episcopi quondam Mopsuesteni, quibus ita duas in Christo naturas sociavit,

 vit,

vit, ut Nestorianum de duabus quoque personis dogma tueri ac excitare videretur: alterum tangebat Theodoretum Cyri in Palæstina Episcopum, ejusque Commentarium, in quo duodecim a Cyrillo in Ephesina Synodo editis fidei capitibus totidem anathematismos opposuit, aculeo & felle adversus Sanctum hunc Præsulem plenos: tertium agebat de Ibæ Edesseni Episcopi ad Marium Persam epistola, in qua eodem calamo Cyrillum perinde ac Nestorium perstringit, ac utrumque in rebus ad fidem pertinentibus errorum insimulat: Theodorum vero Mopsuestenum magnis laudibus extollit. Hæc tria Capitula quum in Chalcedonensi Concilio producta damnationis sententiam effugissent, licet Nestorii doctrinæ non parum faverent, insuper Ibas & Theodoretus in Ecclesiæ gremium fuissent recepti, occasionem captarunt Nestoriani palam dicendi jactandique, Nestorii doctrinam cum auctore suo contra jus & fas ab Ephesina Synodo Oecumenica damnatam fuisse. Contra vero Eutychianæ Sectæ addicti totis viribus in id incubuere, ut memorata tria Capitula publico Patrum edicto proscriberentur. Unde factum, ut Orthodoxi per centum fere annos ancipites hærerent, ac velut sacrum

inter

inter & saxum deprehensi fluctuarent, timentes, ne si ea probarent, Nestorianis: si condemnarent, Eutychianis partibus accessisse crederentur. Huic igitur malo grassanti ut obviam iretur, indictum fuit præsens Concilium invito, ut dixi, Vigilio probe gnaro, Capitula illa in Chalcedonensi Concilio nec damnata, nec approbata fuisse; nihilominus consentiente tandem, ut gravioribus malis viam occluderet. Atque ita urgente vehementer Imperatore, cunctaque festinante præter Origenis errores cuncta, quæ tribus his Capitulis continebantur, scilicet libri Theodori Mopsuesteni, anathematismi Theodoreti, ac Ibæ epistola, tanquam impia & hæretica anathemati subjecta fuere. Verum quum Justinianus contra fidem datam Episcoporum ex Occidente adventum non exspectasset, multaque gessisset, quibus potestatis suæ limites excessit, Vigilius Papa dum Synodum hanc, ejusque acta suo probare suffragio recusavit, ab irato Imperatore ac trium Capitulorum hoste acerrimo exilio multatus, multaque perpessus est, & supremi Imperatoris moderatione, & Summi Pontificis fastigio sane indigna: libertati tamen restitutus & in Italiam redux post medium annum tandem Concilium

istud

istud auctoritate sua confirmavit, ne gravioris tempestatis periculo fluctuantem Ecclesiæ navim exponeret, velut futurorum præsagus, cujus rei testimonium præbet luculentum epistola Vigilii ad Eutychium exarata, quæ ab Illust. Petro de Marca e Regia Parisiensi Bibliotheca in publicam lucem protracta, & sexto Conciliorum Tomo editionis Venetæ (f) inserta legitur. Accedit, quod eandem hanc Synodum sequentes Pontifices Pelagius II. Gregorius M. ac Leo II. probarint; quin & reliqua generalia Concilia post hanc quintam celebrata illam ut Oecumenicam agnoverunt. Cætera præter anathematismos hoc in Concilio pronunciatos quindecim Canones contra Origenem conditi fuerunt, quos e Codice vetustissimo manuscripto idiomate græco in lucem dedit Petrus Lambecius, Bibliothecæ Viennensis Cæsareæ Præfectus, & Joannes Harduinus S. J. in latinam linguam transtulit.

VI. Constantinopolitanum II. excepit Oecumenicum sextum, seu Constantinopolitanum III. cum Papæ Agathonis consensu ab Imperatore Constantino Pogonato convocatum anno 680. cœptumque eadem in urbe intra Palatii Imperatorii *Secretarium*, Trullus dictum, præsidentibus

(f) *Mihi pag.* 240.

tibus Apostolicæ Sedis Legatis Theodoro & Georgio Presbyteris, atque Joanne Diacono: Patrum autem numero ad ducentos octoginta & novem ascendente. Ab his dies dictus Monothelitis, quorum duces fuerunt Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, ejusque postea successores Pyrrhus & Paullus. Novam isti hæresin velut e ruderibus Eutychianæ infelici conatu excitarunt. Quum enim probe nossent, Eutychetem duas in Christo naturas negantem a Chalcedonensi Concilio fuisse damnatum, quod palam asserere non audebant, occulta tentarunt via, docentes unicam solummodo voluntatem operationemque in Christo locum habere, propterea Monothelitæ dicti: atque ita sperabant, fore ut sepulta hæresis Eutychiana e tumulo ad vitam rediret. Jamque eo rem perduxerant Sergius & Cyrus, ut Heraclius Imperator eorum fraudibus irretitus doctrinam hanc publico edicto vulgarit, quod *Ecthesim* seu fidei expositionem dixere, quodque Sergius Imperatoris auctoritate fretus post Pseudo-Synodum Constantinopoli coactam spectante populo principis templi foribus affigi mandavit. Verum nefandis hisce ausibus opposuit se Sophronius,

nius, monasticam vitam summa cum integritate professus, qui ubi primum ad Jerosolymitani Patriarchæ dignitatem fuit evectus, hoc Monothelitarum dogma proscripsit. Indigne id ferens Sergius acerbas ad Honorium Papam literas dedit, quibus Sophronium accusavit, ac si novis duarum in Christo voluntatum actionumque nominibus totum Orientem turbaret: dedit & Sophronius, quibus & suam innocentiam & fidei integritatem tuebatur. Quare ad lites has componendas, & pacem Ecclesiæ restituendam optimum remedium fore utriusque partis silentium sibi persuasit Honorius, Sergii literis, quibus sinceram & orthodoxam mentem præsetulit, deceptus, & ab unius vel geminæ voluntatis vocabulo deinceps abstinendum esse censuit. Romanæ acquievit sententiæ Sophronius, ut tempori cederet, non item Sergius, qui cum suis palam jactare ausus est, ex Honorii Pontificis sententia nonnisi unicam in Christo voluntatem ab orthodoxis esse admittendam. Ita hæresis ista per quadraginta circiter annos ab Heraclii usque ad Constantini Pogonati, & ab Honorii I. usque ad Agathonis tempora magnis Orientem tumultibus implevit. Tandem, ut dixi, opera Constantini, & Agathonis auctoritate

ate præsens Concilium congregari cœ-
iit, in quo post octodecim actiones, &
nni unius decursum Monothelitarum se-
ta cum auctoribus suis solemni ritu da-
nnata fuit, universo Patrum cœtu ac-
lamante: *Omnes ita credimus, hæc est
ides Apostolorum, hæc est fides orthodo-
orum:* & Imperatore Constantino sub-
cribente: *Constantinus in Christo Deo
Rex ac Imperator legimus & consensimus.*
Acta Synodi confirmata fuerunt non ab
Agathone, qui interea e vivis excesse-
at, sed ab ejus Successore Leone II.
An autem Honorius una cum Monothe-
tis in Synodo ista damnatus fuerit, ce-
ebris est inter eruditos controversia, de
ua in Theologia historica (g) pluribus
im acturus.

VII. Sequitur septimum Oecumenicum,
eu Nicænum II. anno 787. ab Impera-
ore Constantino VI. & Irene illius ma-
re, consensu Hadriani I. Pontificis con-
regatum, confluentibus Nicæam Bythi-
iæ metropolim trecentis & quinquagin-
a vel sexaginta septem Episcopis, diver-
sque Monasteriorum Archimandritis, qui
atrum consessum magno sanctitatis do-
trinæque splendore decorabant. Occa-
onem præbuit celebrando huic Concilio
Paul-

(g) *Capit.* 8. §. 3.

Paullus Patriarcha Constantinopolitanus, qui abdicata dignitate sua, ut de se ipso criminis supplicium sumeret, intra Monasterii parietes se conclusit, caussamque rei suscitantibus Augustis respondit, æterno se adjudicatum iri supplicio, ni pœnitentia scelus elueret, quo incautum se obstrinxisset, dum Pseudo-Synodi, quam impius Copronymus adversus sacrarum imaginum cultum coegerat, decretis subscripsit. Quare Tharasius, qui Paullo in Patriarchali sede suffectusfuit, gravissimum onus non alia lege suscepit, quam si fore pollicerentur Constantinus & Irene, ut legitimam Synodum Romani Pontificis auctoritate indicendam habendamque curarent. Dedit ergo literas ad Hadrianum Papam Tharasius: dedere Augusti rogantes, ut Synodo convocandæ consentiret, suosque pro more Legatos mitteret. Lætior nuncius Pontifici nullus afferri poterat. Dudum enim Orientis Ecclesias vastavit immanis Iconoclastarum furor, inter quos fuere plures quoque Imperatores, plures Constantinopolitani Patriarchæ, qui non solum in eos, qui debitum sacris imaginibus honorem detulerunt, sed in ipsa etiam Divorum simulacra, & Christi crucem igne ferroque sævire ausi sunt. Itaque probatis collau-

datis-

datisque Imperatorum & Patriarchæ studiis quamprimum Petro Ecclesiæ S. Petri Archipresbytero, & alteri Petro S. Sabæ Abbati vices suas demandavit, ut Concilio præsiderent. Primum in eo negotium erat, ut causa discuteretur Episcoporum, qui synodo Copronymianæ datis suffragiis consenserunt. Re in utramque partem diu agitata, postquam supplices libellos obtulissent, rogassentque veniam, cantata palinodia ejurataque hæresi in gratiam recepti, suisque sedibus sunt restituti. Tum e Sanctorum Ecclesiæ Doctorum libris depromtæ palam recitabantur sententiæ, exemplaque, quibus religiosa imaginum veneratio asseritur, ab ipsis Ecclesiæ primordiis continuo seculorum usu comprobata, a quo qui deficerent, ac debitum negarent honorem, anathemate perculsi fuerunt: damnata quoque omnium consensu Synodus Copronymi, productique Canones viginti duo. His rite constitutis in medium prolata fuit Servatoris imago, quam omnes flexo proplite procumbentes adorarunt. Illustre præ cæteris est decretum, quod in Actione ultima Patrum Senatus edidit his verbis: *Regiam viam incedentes, & Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes & Catholicæ Ecclesiæ, in qua S. Spiritus habitat,*

*bitat, traditionem observantes, definimus cum omni diligentia & cura venerandas, & sanctas imagines in templis esse collocandas, ut omnes, qui eas contemplantur, in prototyporum memoriam veniant, illis salutationem, & honorariam adorationem exhibeant: imaginis enim bonor in prototypum resultat. . . . S. Synodus exclamavit: omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscribimus: hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmavit.* Ita finitum est Concilium eodem, quo inchoatum est anno IV. Idus Octobris, quæ dies tanta religione coli deinceps cœpit in Oriente, ut teste Bowino (h) festis adnumerata & græco Menelogio inserta fuerit: Die 12. Octobris *Sanctæ septimæ Synodi trecentorum sexaginta septem Patrum commemoratio.* Hæc tamen, tantaque Concilii hujus veneratio impedire non potuit, quo minus a Synodo Nationali, ut vocant, Francofordiæ ad Mœnum tempore Hadriani I. & Caroli M. Francorum Regis anno 794. celebrata damnaretur. Ansam præcipiti huic judicio Episcoporum plus quam trecentorum dedit geminus error ad quæstionem facti pertinens. Crebant

(h) *Theol. p. 4. de Concil.*

debant enim Patres Francofordienſes ſeu ignorantia linguæ græcæ, ſeu Iconomachorum fraude decepti, Concilium Nicænum II. absque Pontificio conſenſu convocatum, tum etiam iconolatriam ſeu adorationem imaginum ab eodem probatam fuiſſe. Sed utrumque ſane falſum eſſe patet: primum quidem ex iis, quæ initio ſtatim dicta fuerunt: alterum, quia aliud eſt vera *Latria*, aliud *honoraria adoratio*, quam imaginibus ſacris exhibendam decrevit Synodus Nicæna, quæque longe inferiorem cultum illo latrevtico dicit, qui ſoli Deo convenit. Quapropter ipſum quoque Concilium Tridentinum, quamvis voce *adorationis* nunquam utatur, quando (i) de veneratione ſacrarum imaginum agit, ad Nicænum tamen ſe refert dicens: *Id quod Conciliorum, præſertim vero Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.* Quamobrem Concilii Nicæni hujus neque veritati, neque auctoritati quidquam detrahit Francofordienſis Synodi ſententia, geminis erroribus manifeſtis innixa.

VIII. Octavum Oeconomicum Concilium eſt Conſtantinopolitanum IV. coactum a Baſilio Imperatore, adſenſum præbente Hadriano Papa II. anno 869. cui Patres

(i) *Seſſ.* 25.

Patres interfuerunt duo ſupra centenos, inter quos Legatorum Apoſtolicorum munere functi ſunt Donatus Oſtienſis & Stephanus Nepeſſinus Epiſcopi ac Marinus S. R. E. Diaconus. Agitata heic eſt cauſa Ignatii Conſtantinopolitani Patriarchæ legitimi, ac Photii eandem in ſedem intruſi. Ignatius Michaelis Curopalatæ Imperatoris filius e Monaſterii tenebris, ad quas iniqua ſorte damnatus erat, extractus Patriarchale ſolium non tam generis ſplendore quam vitæ ſanctitate per undecim omnino annos illuſtravit. Sed pacem Imperii ſimul ac Eccleſiæ turbavit unius hominis multiplex ſcelus. Nam Bardas Michaelis Imperatoris avunculus & Theodoræ Auguſtæ matris frater, quem S. Præſul ob ſtupri conſuetudinem ſæpius reprehenſum nec emendatum ipſa Epiphaniæ feſta luce a S. Synaxi palam repulit, ut ſe ſe vindicaret, Michaeli malis artibus circumvento perſuaſit, ut matrem Theodoram virilis animi fœminam, quæ filii juventutem ac Imperium ſapientiſſime moderabatur, regni gubernaculis exutam ad vitæ ſolitariæ ſortem deturbaret, Ignatium vero ſede ſua dejectum exulare juberet. Hujus locum eodem urgente Barda occupavit Photius, genere illuſtris, dignitate Protho-Spatarius, &

pri-

primus a Secretis, vir summæ simul eruditionis ac ambitionis, & contra sacros Canones e Laico ad omnes omnium Ordinum sacrorum gradus repente promotus. Hic quidquid ei furor Bardæ, & propria dominandi libido suggessit, non solum in Ignatium exulem, verum etiam in ipsum Pontificem Nicolaum I. a quo damnatum se intellexit, evomuit, ita quidem, ut convocata Synodo, ausu plus quam temerario in Christi Vicarium excommunicationis, ut vocant, sententiam ferre non dubitarit. . Sed interfecto Michaele Basilius Macedo justitiæ ac religionis amantissimus Princeps rerum potitus, annuente Hadriano II. Nicolai successore Oecumenicum, de quo sermo est, Concilium Constantinopoli coegit. In hoc imprimis contra Iconomachos rursum decernitur, Salvatoris nostri effigiem eadem cum sacris Evangeliis veneratione colendam esse: *Quæcumque enim*, ait Canon secundus, *literis Scripturæ, eadem coloribus picturæ docent ac repræsentant.* Adjungitque: *Virginis Dei genitricis, Sanctorumque imagines esse venerandas, & Angelorum Dei effigies, quales in Scripturis præsentantur.* Deinde Photius in jus vocatus est, qui pedo innixus comparuit, sed eo spoliatus, utpote quod

pastorem, non lupum gestare deceret, ac respondere jussus insigne pertinacis ingenii specimen in Patrum consessu dedit. Nam facinorum suorum rationem ut redderet, poscentibus Legatis, respondit cum Davide: *Posui ori meo custodiam, & quod sequitur, vos ipsi legitote:* scilicet *cum consisteret peccator adversum me.* Urgentibus, eum hoc silentio damnationis sententiam non evasurum: *Neque Jesus,* ait, *tacendo evasit damnationem.* Blande rogatus, ut objecta crimina purgaret: *Justificationes meæ* inquit hypocrita, *non sunt de hoc mundo.* Monitus ut pœnitentiam ageret, tacuit, & Patrum conspectui se subduxit. Quare Imperatoris & Concilii jussu omnia, quæ Photius contra Nicolaum Papam & Ignatium in Pseudo-Synodis egit, igne absumpta fuerunt: ipse cum asseclis damnatus dignitateque sua exutus est, & Patres anathemati subscripserunt atramento sanguine Christi diluto, ut perhibet Nicetas in vita Ignatii. Hic vero sanctissimus Præsul jam antea, quam Synodus indicta fuit, Basilio jubente ab exilio Constantinopolin reversus est: reducem Patriarcham universus Ordo Patricius occurrens excepit, & lætitia gestiens populus est veneratus, atque triumphali ad-

parato

paratu inter faustas adclamationes ad templum S. Sophiæ deduxit. Canones viginti septem in lucem prodierunt ex hac Synodo, quam Pontifex confirmavit auctoritate sua convocatam, ut ejusdem epistola ad Basilium data testatur, in qua: *Volumus autem*, inquit Hadrianus, *per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium cui nostri quoque Legati præsidentes, delictorum hominumque discrimine perspecto statim cuncta impii Conciliabuli exemplaria ab iis, qui illa retinent, ablata ignibus concremanda tradant.* Subscripsit equidem Synodi Actis Imperator post Patriarchas ante Episcopos, professus tamen modeste, hoc a se non fieri, nisi honoris gratia, sibi a Patribus ultro oblata, nec definientem, sed consentientem se subscribere.

IX. Orienti succedit Occidens, in quo primum, sed inter Oecumenica nonum Concilium Romæ, in orbis Urbe celebratum fuit anno 1122. vel ut Gabriel Cossartius tradit 1123. in Ecclesia S. Joannis, ubi olim erat palatium Constantini Imp. exstructum in fundo cujusdam civis Romani, qui dictus est Lateranus, a quo & nomen ad Ecclesiam transiit. Unde Concilium istud adpellatum est Latera-

nense I. Hoc ut convocaret Callistus II. P.M. duo magni momenti negotia ipsi persuasère, scilicet schisma sub Henrico IV. Imp. exortum, quo Sacerdotium & Imperium inter se gravissime collisa fuerunt, & bellum sacrum Saracenis inferendum ad eripiendam e barbarorum manibus Terram Sanctam. Utriusque rei originem paucis exponam. Ab aliquo jam tempore soliti fuerant Imperatores Episcopo quodam aut Abbate defuncto designare successorem, aut saltem nullum agnoscere, nisi a se eo dignitatis promotum. A sic designatis, ut sacramentum sibi dicerent, exigebant, tumque iis possessionem usumque bonorum tradebant oblato in concessionis signum Episcopali Pedo, & Annulo: atque hæc concessio & traditio dicta est *Investitura*. Modeste primum res acta, mox violenter: nam adempta Capitulis, ut vocant, eligendi libertas, sacræ dignitates factæ venales, nec obtinendæ, nisi persæpe ingenti pecuniarum vi adnumerata: tanto munere indigni, & non raro improbi lupi, non Pastores, in Episcoporum solio collocati; quæ pestis maxime ab Henrico IV. in Geamania fovebatur. Ad hæc ingemiscebant Romani Pontifices, probe gnari, sacros Canones ita conculcari, præsertim

Con-

Constantinopolitanæ quartæ Synodi vigesimum secundum, qui omnibus Laicis Principibus sapienter inhibuit, ne se Episcoporum eligendorum ac promovendorum negotio immiscerent: non minus jura Ecclesiæ aperte violari traditione horum Insignium, quibus potestas spiritualis ab antiquis jam temporibus indicabatur. Itaque Gregorius VII. ut malo huic remedium afferret, primum blanditiis, mox minis usus est, iis qui Henrico a Consiliis fuere, malique totius caussa esse credebantur, anathemate perculsis, cui ipsum denique Imperatorem post fidem sæpius fractam, Romam biennio obsessam, excitatum Anti-Papam subjecit. Nihilo melior factus Henricus Ecclesiæ jura calcare perrexit, donec a proprio filio purpura exutus misere interiit. Verum hic, Henricus V. scilicet, paterni in Pontifices odii hæres non minuit, sed auxit Ecclesiæ calamitates, usque dum concitatis contra se Germaniæ Principibus & populis, palam defectionem & arma minitantibus victas tandem manus dedit, & in Comitiis Wormatiæ celebratis usurpato *Investiturarum* jure cessit. Dum hæc agebantur in Germania, Romæ Concilium Lateranense indixit Gelasius cui interfuerunt trecenti & amplius Episcopi

 teste

teste Abbate S. Dionysiii tunc præsente, præter alios complures monasteriorum Præsules, quibus omnibus præsedit ipse Pontifex Heic probatæ confirmatæque fuerunt pacis Wormatiæ Papam inter & Henricum sancitæ conditiones, quæ hujusmodi erant: ut Imperator liberas Episcoporum & Abbatum electiones Ecclesiæ relinqueret, ac *investituras* per Pedum & Annulum faciendas Pontificiæ Sedi restitueret: Papa vero vicissim Regalia per sceptrum conferenda, & jus sacras electiones inspiciendi, partique saniori adsensum præbendi permitteret, atque ita quæ Dei sunt Deo, & quæ Cæsaris Cæsari redderentur. Hæc de primo Concilii negotio. Alterum erat expeditionis sacræ adversum Saracenos. Primus, qui Christianis Principibus classicum cecinit ad bellum saracenis inferendum, Terram quæ sanctam eorum jugo subducendam, fuit Urbanus II. anno 1095., qui concessis quas vocant Indulgentiis præcepit, ut quisquis sacræ huic militiæ nomen daturus esset, tesseræ instar Crucis insigne vestibus armisque inscriberet. Unde *Cruce Signati*. Dux expeditionis tum delectus fuit Godefridus Bullionius, Lotharingiæ Princeps, sub quo ingens Christianorum exercitus stipendia meruit. Hic felici

felici marte Syriam, Liciam, Pamphiliam, aliasque regiones in fidem recepit, & profligato Saladino Babylonico atque Ægyptio Palæstina ſanctaque Urbs Jeroſolyma ejusdem armis ceſſit anno 1099. Plures poſtmodum hujuscemodi expeditiones ſuſceptæ fuerunt, ad quas ut allicerentur Chriſtiani, præſens Concilium Canone undecimo omnibus ad pugnandum contra infideles Jeroſolymam pergentibus Indulgentias conceſſit, eorumque familias & bona B. Petri, & Eccleſiæ Romanæ auctoritate protegenda ſuſcepit, lato in prædones anathemate; præterea decrevit, ut cruce ſignati, qui eam e veſtibus ſuis dimiſiſſent, & deſeruiſſent ſigna, cruces quamprimum reſumerent, viamque a Paſchate præſenti usque ad proximum, quod ſequeretur, denuo relegerent, ſtatuta in eos, qui detrectarent, *excommunicationis* & *interdicti* pœna. His aliisque per canones viginti & duos rite conſtitutis Concilio huic finis impoſitus eſt.

X. Lateranenſe primum excepit ſecundum, idque Oecumenicum decimum anno 1138, vel ut aliis placet 1139. ad Eccleſiæ clavum ſedente Innocentio II. Imperium moderante Lothario II. Tria potiſſimum hac in Synodo, ad quam præſidente ipſo Pontifice convenerant mille circi-

circiter Patres, gesta fuisse leguntur. Primum erat, ut schisma exortum supprimeretur. Quippe Honorio II. e vivis sublato, antequam ejus mors populo innotesceret ad seditionem tum temporis admodum prono, major ac sanior pars Cardinalium sine mora congregari cœpit, elegitque successorem Honorii Innocentium II. reliqui vero numero impares eodem adhuc die Petrum Leonis potentissimi civis Romani filium, cui Procerum magna quoque pars adhæsit, in defuncti Pontificis locum suffecerunt. Ingentes ea res tumultus Romæ excitavit. Nam Petrus Clientum multitudine ac potentia fretus Basilicam S. Petri, aliasque urbis Ecclesias per vim occupavit, Innocentio cum addictis sibi Cardinalibus Roma discedere ac in Galliam profugere coacto, ubi tanquam legitimus Christi Vicarius summo cum honore exceptus strenuos dignitatis suæ vindices nactus est Ludovicum VI. Galliæ, & Henricum Angliæ Reges, quorum exemplo permotus Romanorum Imperator Lotharius numeroso exercitu comparato redeuntem e Gallia in Italiam Innocentium Romam usque deduxit, & repressis schismaticis, impositoque urbi ad tuendum Pontificem præsidiario milite Imperii corona donatus in Ger-

Germaniam rediit. Non minus ſtrenuam in extinguendo ſchismate, ac defendenda veri Pontificis auctoritate operam navavit S. Bernardus, cujus præclara exſtant verba (k). *Merito illum recipit Eccleſia, cujus opinio clarior, & electio ſanior inventa eſt, nimirum eligentium numero vincens ac merito.* Demum fatis erepto Petro Leone, ac Victore, quem pſeudo-Papam ſchismatici ſubſtituerant, Innocentio ſeſe ſubmittente pax rediit Eccleſiæ. Alterum fuit, ut exſcinderetur hæreſis, quæ has inter Eccleſiæ turbas caput extulit duce Petro de Bruis, & Arnaldo Brixienſi, qui docere auſi ſunt, Baptisma nihil prodeſſe parvulis, templa eſſe diruenda, & cruces conculandos, aliaque prava dogmata his ſimilia. Tertium, ut priſtino nitori ac integritati depravati Clericorum æque ac Laicorum mores reſtituerentur. Omnia hæc in iſto, ut dixi, Concilio feliciter geſta fuerunt: Acta Petri Leonis, quem Anacletum II. vocarunt, reſciſſa, dictumque ipſi cum autoribus anathema: damnati cum ſuis ſequacibus, quos Petrobruſianos adpellabant, Petrus de Bruis & Arnaldus: atque collapſa Eccleſiæ diſciplina conditis viginta canonibus ab Innocentio una cum Synodo confirmatis redintegrata.

(k) *In Epiſt.* 125.

XI.

XI. Lateranensi secundo successit tertium, non minus Oecumenicum, fuitque inter reliqua undecimum. Convocavit hoc Alexander Papa III. anno 1179. imperante Friderico I. in Lateranensi Basilica, ubi confluxere trecenti duo Patres præsidente ipso Pontifice summo ac Synodum confirmante. Hic Senis in Tuscia natus in locum Hadriani III. vita functi, uno & viginti Eligentium suffragiis surrogatus est, sed non sine schismate, per Octavianum S. R. E. Cardinalem conflato, qui Pontificiam dignitatem spe improba quum devorasset, ubi ea dejectum se sensit, tres sibi Purpuratos Patres conciliavit, a quibus Pontifex electus est imposito Victoris IV. nomine. Utrinque magnis certatum studiis, Octavianum Anti-Papam tuente Friderico Imperatore, Alexandrum vero Papam legitimum agnoscente colenteque Gallia, Hispania, Britannia, ac plerisque orbis Catholici partibus. Interea novo subeunte anno Fridericus ad revocandam, ut videbatur, concordiam Papiæ Concilium indixit, in quo Episcopi, licet ex universo Occidente acciti non plures quam quinquaginta circiter comparuere. Detractavit, uti oportebat, adesse Alexander, quantumvis invitatus: non item Octavianus, qui

gra-

ratia Imperatoris & potentia nixus, etsi Romæ contemptui haberetur, Papiam venit, ac palam pro Pontifice se gessit. Augustus ipse in Concilio præfatus, penes se esse jus indicendæ Synodi habendæque, liberaliter tamen se acturum testatus est, omniaque Episcoporum judicio relicturum: hæc locutus conventu abscessit. Agitata est igitur Alexandri & Victoris causa: ille ut contumax damnatur, huic summa in terris dignitas adtruitur. His insuper habitis Alexander in Galliam profectus, & honorifice ubique locorum exceptus duas convocavit synodos, in quibus acta conventiculi Papiensis irrita declaravit, & Victorem cum suis fautoribus à fidelium communione removit. Inde Romam revertitur, nec tamen, Victore licet morte sublato, ipsi quieto esse licuit. Nam factiosi Guidonem Cremensem, dictum Paschalem III. & huic defuncto Joannem Strumiensem Abbatem, Calistum III. adpellatum substituere. Ita finiendi schismatis spes nulla affulgere videbatur, si non denique Fridericus bello profligatus, majoreque suorum parte tum aperte deficiente, tum vacillante resipuisset. Venetias ad Pontificem profectus arma simul & odia posuit; quumque Callistus quoque Anti-Papa

legi-

legitimo Christi Vicario sese subdidisset, hoc de quo dixi Concilium Lateranense ab Alexandro convocatum fuit, atque in eo rursus damnato schismate, proscriptaque Catharorum, Waldensium & Albigensium hæresi per Occitaniam & Aquitaniam tunc grassante, ac emendata viginti septem saluberrimis canonibus Ecclesiæ disciplina, simoniaca labe admodum infecta, tandem tranquilla Christianæ Reipublicæ tempora redierunt.

XII. Post Lateranense tertium anno 1215. Imperium tenente Friderico II. Secutum est Lateranense quartum, inter Oecumenica duodecimum. Si ullum hactenus, certe istud & numero & dignitate illorum, qui convenerunt, conspicuum fuit. Præsentes aderant Patres mille ducenti octoginta quinque, nimirum summus Pontifex, qui præsidebat, Innocentius III. Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Jerosolymitanus (Antiochenus enim & Alexandrinus partim morbo, partim itineris difficultate prohibiti Legatos miserunt, quos *Apocrisarios* dicunt) septuaginta Archiepiscopi, quadringenti Episcopi, duodecim Abbates, Præsules minores octingenti, præter Imperatorum Orientis & Occidentis, aliorumque Regum, Principum & Civitatum Legatos.

Caussa

Caussa facile princeps numerosissimi conventus erat Terra Sancta e Saracenorum manibus penitus eripienda. Hujus enim rei maxima spes affulgebat, quam præivit memorabilis victoria a Latinis Sacro bello fœderatis relata, dum Græcia subjugata Constantinopolin Imperii Orientalis sedem expugnarunt, constituto in ea Imperatore Balduino Flandriæ Comite. Quo felici successu animatus Pontifex, doctrina virtutumque splendore conspicuus, missis ultro citroque ad Episcopos & Principes Catholicos literis præsentem Synodum indixit, in qua sapientiæ suæ ac piæ solicitudinis monumenta sane præclara reliquit. Primo quidem insigni oratione ingens suum tum recuperandæ Solymæ, tum restituendæ fidei morumque disciplinæ desiderium coram exposuit: dein varios hæreticorum tum temporis grassantium, præsertim Albigensium errores confutavit, damnavitque doctrinam Abbatis Joachimi: præterea canones septuaginta partim ad Ecclesiæ disciplinam pristinæ integritati restituendam, partim ad emendandos fidelium pravos mores perquam opportunos condidit: denique communi Patrum suffragio varia pro sacra in Palæstinam profectione; pro pace inter Principes Christianos componenda, vel

ſaltem firmandis per quadriennium induciis, deque ſubſidiis ad bellum hoc neceſſariis comparandis ſaluberrime decrevit.

XIII. Oecumenicum decimum tertium fuit Lugdunenſe primum, Lugduni in Gallia congregatum indictumque ab Innocentio IV. anno 1245. Ad id convenere Patres ultra centum & quadraginta, inter quos Præſidem egit ipſe Pontifex, ad dexteram ejus ſedente Balduino II. Imperatore Conſtantinopolitano, ad ſiniſtram aliis Principibus Laicis. Tribus actionibus, licet graviſſimis, tota Concilii periodus abſolvebatur. In prima Fridericus II. Cæſar multorum in Eccleſiam criminum commiſſorum poſtulatus, & ut rationem redderet, ſiſtere ſe juſſus eſt: ſed id renuente Friderico ejusdem Orator, Vir toga ſagoque inclytus, nomine Thaddæus, Cæſaris partes tuendas ſuſcepit, objecta crimina partim inficiando, partim excuſando, quin & in ipſos Pontifices eorum occaſionem retorquendo. In ſecunda Pontifex graviſſima oratione Concilio expoſuit, qua ratione Imperator juramento firmatam pacem ſæpius fregiſſet: fœdus cum Saracenis iniiſſet, violentas intuliſſet manus Cardinalibus, qui tum ex Gallia, tum ex Hiſpania Genuen-

ſium

sum triremibus vecti, ut ad indictum Romæ Concilium pergerent, navali prælio capti fuerunt: Romani Pontificis ditiones, quas *D. Petri Patrimonium* vocant, invasisset ac vastasset, nullisque Ecclesiæ censuris coerceri se pateretur; hæc inquam aliaque dum Pontifex exposuit, demum in tertia actione lata est in Fridericum sententia, qua & a fidelium communione remotus, & Imperii dignitate fuit exutus. *Qua sententia per mundum volante,* inquit Albertus Stadiensis Abbas, *quidam Principes reclamabant dicentes, ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere, vel destituere, sed electum a Principibus coronare.* Præter hæc innovatum est decretum de sacra in Saracenos expeditione, cujus dux designatus est S. Ludovicus Galliarum Rex, multique favores cruce signatis concessi fuerunt, variis canonibus, quos refert Bonifacius VIII. in lib. 6. Decretalium, adjectis.

XIV. Alterum Lugdunense Concilium, ex Oecumenicis decimum quartum anno 1274. Pontifice Gregorio X. ac Imperatore Rudolpho I. in Basilica S. Joannis Lugduni celebratum fuit. Ex omnibus mundi plagis ad Synodum hanc, cui Papa præsedit, confluxere Patres mille circiter, inter quos Purpurati quindecim, Patriar-

chæ duo, Constantinopolitanus & Antiochenus, Archiepiscopi sexaginta vel septuaginta, Episcopi quingenti, aliique Abbates ac Principum Oratores. Dignitate regia eminuit Jacobus Arragoniæ Rex, qui præsens adfuit: sanctitate vitæ D. Bonoventura, & D. Thomas Aquinas, qui tamen posterior in ipso itinere lethali correptus morbo obiit in Monasterio Fossæ Novæ, prior autem needum soluto Concilio 14. Julii non sine magno Procerum congregatorum luctu diem extremum clausit. Inter præcipuas sacri hujus Conventus curas fuit, ut post tot annorum gravissima (de quibus in Theologia Historica mentio fiet) dissidia tandem Ecclesia Græca in gratiam cum Latina rediret. Quare ubi primum Gregorio nunciatum est, adesse Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris Legatos, ingenti exultans gaudio cum universa Synodo illos honorifice excepit. Lectæ tum sunt Imperatoris & Episcoporum Orientis literæ, quibus Catholicæ Romanæque Ecclesiæ fidem recipere, Spiritum S. a Patre Filioque procedentem profiteri, Romanæque sedis principatum agnoscere ac revereri se sancte pollicebantur. Eadem quæ literis continebantur, totidem verbis juramenti religione firmatis Græcorum

rum Orator præcipuus Georgius Acropolita, Magnus Logotheta, Imperatoris totiusque Imperii nomine promisit. Reversis hac via in Ecclesiæ Romanæ gremium Græcis dici vix potest, quanto totus Patrum Senatus solatio sit delibutus, ipso Pontifice hymnum *Te Deum Laudamus* solemni cantu præeunte, Græcis græco sequentibus idiomate, ac vocem *Filioque* ter repetentibus. His peractis alia, quæ tum ad subsidia Christianis contra Saracenos in Syria militantibus procuranda, tum ad Romani Pontificis electionem certis legibus definiendam pertinere videbantur, editis triginta & uno canonibus sapientissime constituta fuerunt, ac tres intra menses finis Concilio impositus est.

XV. Decimam quintam synodum Oecumenicam anno 1311. Viennæ Allobrogum ad flumem Rhodanum in Gallia celebratam, dictamque Viennensem convocavit Clemens V. Imperium gubernante Henrico VII. eique suprema cum potestate præfuit. Interfuere Concilio huic Cardinales non pauci, Patriarchæ duo, Alexandrinus & Antiochenus, ac Episcopi trecenti: cohonestarunt idem præsentia sua tres potentissimi Reges, Philippus Pul-

cher Galliæ, Eduardus II. Angliæ, & Jacobus II. Arragoniæ Rex. Expositis coactæ synodi caussis Pontifex cum eadem de abolendo Templariorum Ordine multis egit. Erat militaris Ordo hic admodum potens olim, ac celebris, cujus prima fundamenta Jerosolymis anno 1118. ab Hugone de Paganis, & Godefrido a S. Audemaro jacta fuerunt sub Balduini II. Regis Hierosolymitani auspiciis. Membra, e quibus grande hoc corpus componebatur, Milites erant religiosis votis adstricti, qui quum prope Templum habitarent, *Templarii* dicti sunt; albo colore tinctis utebantur vestibus, inserta pallio rubra cruce. Munus illorum erat, Christianæ ditionis fines armis tueri, ac itinera in Palæstinam perigrinantibus a latrociniis & incursionibus tuta servare. Qua in re sedulam initio navarunt operam, & magnam nominis famam atque insignia de orbe Christiano merita sibi compararunt. Verum immensis opibus aucti, & moribus luxu depravatis eo nequitiæ tandem prolapsisse ferebantur, ut occulta cum Saracenis & Turcis fœdera in fidelium perniciem inierint, seque omni genere impietatis, & nefandæ libidinis flagitiis contaminarint nocturnis in conventibus, in quibus cæsorum infantium nefarias victimas

ctimas idolo litasse, & concubitus sacrilegos exercuisse dicebantur. Scelera hæc gravissima quum partim innumeris per diversas provincias testimoniis, partim summi Pontificis, plerorumque Principum Laicorum mandato, atque Prælatorum & Magistratuum institutis ex officio judiciis abunde comprobata fuissent, necesse visum fuit, pestem tam exitialem e medio tollere. Sed quia summi simul momenti ac discriminis res erat, potentissimum Ordinem funditus extirpare, sapienter judicavit Clemens, negotium hoc non alia via, quam per legitime congregatam Synodum esse definiendam. Quare omnibus in utramque partem summa diligentia discussis tandem sententia publico in consessu lata est, qua universus Ordo post ducentos & amplius ab ortu suo annos suppressus, abolitus & extinctus fuit, eorum opibus in alium Ordinem Equestrem S. Joannis seu *Hospitaliorum* translatis, ipsis vero maxime facinorosis ad scelerum vindictam sumendam potestati magistratuum relictis. Non equidem me latet, Pontificis & Concilii factum a nonnullis (hæterodoxos scriptores non moror) præsertim a Trithemio Abbate Spanheimensi in Chronico, quod scripsit, gravi censura perstringi: a Mariana quo-

que (1) ipsum Ordinis Magistrum Jacobum Mola Burgundum, dum ad supplicium raperetur, ita loquentem induci: *Ego extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, ac per omnia Numina juro, quæ de Templariorum impietate criminibusque & ante jactata, & nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, justus, & orthodoxus est: ego tamen extremo supplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus flagitia impia, sceleraque mentitus sum in Ordinem meum, de Religione Orthodoxa optime meritum &c.* Non inquam ista me latent. Verum quis sanæ mentis ausit Concilii tanta Procerum utriusque sortis auctoritate conspicui judicium, quod omnibus sanctum esse deberet, damnare ac sceleris incusare omnium profligatissimi? Quodsi humanis etiam rationibus rem ponderare velimus, profecto credere nefas est, tantam ex tot provinciis convocatam Præsulum, Principum, Legatorum ac Doctorum multitudinem, quorum haud exigua pars etiam sanguinis vel affinitatis vinculo plerisque illius Ordinis Militibus conjuncta erat, in tam immane flagitium unanimi adsensu conspirasse, & quidem in tanti momenti causa, in qua de

(1) *Hist. Hispaniæ l.* 15. *c.* 10.

de potentissimi, & nobilitate illustrissimi Ordinis toto orbe propagati non abolitione duntaxat, sed atroci quoque supplicio agebatur. Porro damnatæ fuerunt etiam hoc in Concilio impuræ Beguardorum & Beguinarum sectæ, docentium: hominem in sublimi sanctitatis gradu positum nulla humanorum mandatorum, aut Ecclesiasticarum legum observatione adstringi, utpote in summo libertatis filiorum Dei apice constitutum: libidinum actus, ad quos natura ipsa inclinat, nullatenus culpæ obnoxios esse &c. item Fraticellorum, Dulcistarum, & Petri Joannis errores: denique de ferendo Terræ sanctæ subsidio provisum est, multaque alia sancita sunt, Corpori Juris postmodum inserta, quæ dicuntur Clementinæ Constitutiones, quas anno 1317. Joannes XXIII. publicavit.

XVI. Post centum viginti & septem annorum intervallum indicta est Synodus Oecumenica decima sexta, Ferrariæ inchoata anno 1438. sed peste urbem hanc depopulante Florentiam, principem Thusciæ civitatem translata; unde Florentinum adpellatur Concilium. Diu jam schisma gravissimum Orientalem Ecclesiam ab Occidentali avulsit; & quamvis in Lugdunensi Concilio, ut nuper dictum est,

 palam

palam cum Orthodoxis Græci professi fuerint Spiritum S. a Patre Filioque procedere, brevi tamen fracta fide in antiquum errorum chaos relapsi sunt. His malis quidem ingemiscens Eugenius IV. Pontifex Maximus non tamen spem abjiciens rursum missis qua literis qua Legationibus Joannem Palæologum Imperatorem ac Josephum Patriarcham Constantinopolitanum, quorum indolem pronam ad pacem intellexit, ad rem perficiendam est cohortatus. Quare regnante Cæsare Alberto II. Concilium hoc Oecumenicum Ferrariæ celebrandum indixit convocavitque, in quo comparuere inprimis ipse Palæologus cum amplissimo Episcoporum Orientalium comitatu, honorifice ac liberaliter ab Eugenio, sacraque Synodo exceptus: tum regiæ urbis Patriarcha Josephus; Ecclesiarum Alexandrinæ, Antiochenæ, ac Jerosolymitanæ Legati: demum varii Præsules tum Græci tum Latini centum quadraginta & unus, quibus omnibus primo Nicolaus Albergatus Cardinalis Presbyter Pontificio nomine, paullo post ipse Eugenius præfuit. Ordo sedentium hic erat: Super erecto solio ante aram collocatus est liber Evangeliorum inter sacra Beatorum Apostolorum Petri & Pauli capita accensis hinc inde

cereis:

cereris: Pontifex cum Latinis dexteram occupavit partem, sinistram Imperator cum Græcis tenuit: infra solium Papæ uno fere passu distabat Cæsari Alberto destinata sedes, sed eo absente vacua relicta est: e regione Pontificis paullo inferius sedebat Josephus Patriarcha Demetrio Imperatoris Fratre a dextris ejus, sed humiliore gradu, collocato: reliqui Patres ac Præsules hac & illac sedes sibi præparatas occuparunt. Initio præcipua dissensionum capita Latinos inter & Græcos ventilata sunt: de Spiritu S. qua ratione ex Patre Filioque procedat: de symbolo fidei: de azimo pane aut fermentato in Sacrificio adhibendo: de purgatorio: de præsenti Sanctorum in cœlo felicitate; deque Romani Episcopi supra reliquos dignitate ac principatu. His de rebus in Concilio ita est disputatum, ut seni ex Latinis, totidem e Græcis delecti fuerint, uno disputationis thema proponente, respondente altero, & interpretibus utrinque adhibitis. Quum vero Ferrariam pestilens lues invasisset, ut initio memini, Synodus Florentiam est translata, ubi iisdem capitibus rursum discussis denique Græci victas dedere manus, & ingenti lætitia, bonorumque omnium gratulatione Ecclesia Græca Latinæ se adjun-

xit

xit. Itaque decretum *Unionis* conditum ac solemni ritu promulgatum est, cujus initium: *Lætentur cæli & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit &c.* Gaudium nonnihil turbavit tristitia, quam Synodus tota concepit ob fatum Josephi Patriarchæ, qui sanctissimo negotio immortuus est. Accesserunt triumpho huic Armeni quoque ac Jacobitæ, simili ratione cum Ecclesia Latina reconciliati. Finis autem impositus est Concilio 6. Julii anno 1439. non item schismati, quod Græcis domum reversis denuo suscitavit Marcus Ephesinus, eo infelici exitu, quem in Theologia historica videbimus.

XVII. Penultimum seu decimum septimum ex Oecumenicis erat Concilium Lateranense quintum anno 1512. Julio II. Pontificiam, Imperatoriam vero sedem occupante Maximiliano I. Indixit illud atque præsedit Julius, sed paucos post menses morte sublatus locum cessit in Cathedra & Synodo Leoni X. qui etiam illi finem imposuit anno 1517. præsentibus centum & quatuordecim Patribus. Caussam convocandi hanc synodum præbuit altera Pseudo-Synodus, quam Cardinalium quidam erga Pontificem male affecti

cti ac æmulatione ducti Pisis coegerunt. Quare ut schismati, quod præ foribus esse videbatur, tempestive occurreret Julius Papa, provideretque orbi Christiano, qui tum temporis latissime sparso bellorum incendio conflagrabat, præsentissimo hoc, cujus utilitatem tot sæculorum experientia docuit, remedio utendum esse censuit. Neque fefellit eum spes concepta. Nam illo adhuc vivente communi Patrum suffragio Concilii Pisani acta gestaque rescissa fuerunt, ipsumque omnis auctoritate destitutum fuit. Defuncto Julio ac Synodi cura in Leonem successorem translata Cardinales ac Prælati in tres partes distribuebantur, quarum una de pace inter Principes Christianos componenda, altera de Curia Romana in meliorem formam redigenda, tertia de sanctione *pragmatica*, ut vocant, quam Franciæ Reges Ecclesiæ juribus admodum inimicam condiderunt, abroganda communibus consiliis ageret. Omnia hæc, quantum præsens temporum iniquitas permisit, felicem sortita sunt exitum, & post quinque annorum lapsum finis Concilio impositus est.

XVIII. Ultimum denique ac decimum octavum inter Oecumenica Concilia locum obtinet Tridentinum, de quo licet aliquam

in

in libro de Jurisprudentia mentionem jam jam fecerim, ut hoc loco uberius illud persequar, rei magnitudo postulat. Diuturna orbis Catholici, præsertim Germaniæ cum variis hæresum monstris misere luctantis suspiria demum exaudivit Paulus III. Pontifex Maximus, & quamvis Catholicorum Principum æque ac Turcarum arma, populorum seditiones, & hæresum tumultus undique fremerent, perruptis omnibus, quæ plurima se offerebant, obstaculis invicti animi robore indixit Concilium hoc anno 1542. Locus pro eodem celebrando delectus denique fuit post multas ambages urbs Tridentina, & a Germanis desideratus, & reliquis nationibus admodum opportunus. Caussæ, propter quas erat necesse hanc Synodum cogere, fuerunt hæreses corruptique mores. Hæresis enim, quæ Lutherum parentem habuit, male fausto, sed fœcundissimo partu multiplicem edidit sobolem, quæ per totum septentrionem late sparsa non solum ingentem illi stragem intulit, verum etiam finitimis regnis ac provinciis non absimilem cladem minitari visa est. Non autem fidei duntaxat lumen in fidelium animis extinxit hæc lues; in mores quoque grassabatur quotidie truculentius, qui tam in

clero,

clero, quam in populo ea tempestate fuerunt sane corruptissimi, ita ut Ecclesiæ disciplina propemodum omnis collapsa esse videretur. Opus igitur fuit ad universale malum depellendum universali remedio, quale omni tempore judicatum est esse Concilium Oecumenicum. Uti vero duplex erat morbus, ita duplicem adhibuit medelam Synodus Tridentina, geminumque sibi scopum præfixit, nimirum condemnare hæreses, ac mores emendare, ut hac ratione quies, pax, & sanitas Ecclesiæ restitueretur. Utrumque ut uno velut obtutu conspiciendum præbeam, inprimis postquam in sessione I. & II. certas in Concilio vivendi, consultandi, ac definiendi regulas præscripsit, profitebatur ipsum suam, quam teneret, fidem in Sess. III. per Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum publice recitatum. Deinde in Sess. IV. agebat de libris S. Scripturæ, ac Traditionibus Apostolicis, velut de fundamentis, ex quibus controversæ quæstiones erant decidendæ ac hæreses damnandæ. Post hæc in Sess. V. de peccato originali, quod per justificationem peccatoris tollendum est, differebatur. Unde porro in Sess. IV. modum & seriem explicavit justificationis: & quia justitia semel obtenta debet conservari, augeri,

in ſpecie, quid credendum eſſet
damnandum. Atque hæc eſt mat
quam Concilium tradidit, &
ſum erroribus purgavit. Egit
inſuper de purgatorio, invocati
ctorum, eorumque Reliquiis,
nibus Seſſ. XV. in principio:
gentiis vero, delectu ciborum, j
diebus feſtis in fine illius: de h
definitiones novas non edidit,
quas confirmavit, & abuſus d
qui in fidelium mores irrepſer
minare ſtuduit. Reformandi
præbuit ipſa vitæ licentia in utr
minum genere, Clericorum ac L
quaſi civitate donata. Nullus po
lis gradus eſt, nullus ſexus, cu
lium hoc non optimas leges p

ium interſit ad gregem innoxium ſervandum, ut ei Paſtores adſint & invigilent, verbis exemplisque præluceant, perpetuæ legis religione obſtringit omnes Epiſcopos, hisque inferiores, & animarum curam gerentes, ut in ſuis diœceſibus & parochiis reſideant, ſibique de neceſſariis vitæ, morum ac ſcientiæ dotibus proſpiciant. Quia vero plurimum per temporum & hominum injuriam paſſim irrepſerunt, quæ poteſtatem Epiſcoporum, officium & adminiſtrationem impediebant, ea ſi non omnia, ſaltem pleraque S. Synodus in ſequentibus ſeſſionibus removit emendavitque obſtacula. Correxit denique & alias, quæ circa ſeptem ſacramenta, Monaſteria, & perſonas deo devotas deprehenſæ ſunt, corruptelas. Atque hæc ſynopſis eſt eorum, quæ a Concilio iſto viginti quinque ſeſſionibus acta fuerunt, ita ut in plerisque duo promulgata ſint Decreta, quorum unum ad res fidei, alterum ad reformandos mores pertineret. Utraque in plura dividuntur capita, quæ exquiſitam exhibent & utilem doctrinæ catholicæ explicationem, hæreticorum pravis dogmatibus oppoſitam. Decretis autem fidei ſubnectuntur plures Canones, in quibus hæreſes damnantur, & qui eas tuentur, vel

undecim de Euchariſtia, quind
Pœnitentia, quatuor de extrem
ne, quatuor de Communione
que ſpecie, novem de Sacrifici
octo de Ordine, & duodecim d
monio. Jam vero modus, quem
Patres in Concilio, erat hujusi
annuente Pontifice velut legem
ſcriberent: Primo quidem, ut
finirent ac declararent eſſe de fi
non fere plerisque Patrum ſuffra
comprobatum: Secundo, nullam
nem, de qua ſcholæ Theologo
utramque partem probabiliter di
voluit Synodus decidere, qu
ad controverſas Theologorum
tias, ſed ad hæreſes damnandas,
que fidelium emendandos con

ut veteris disciplinæ rigorem inter, ac præsentium temporum conditionem velut media incederet via, utque ita, quæ salubriter statuta fuerunt, facilius in usum deduci possent: frustra enim leges magis arduæ communitati præscribuntur, quarum observatio apud potissimam ejus partem sperari nequit. Præterea dubias fidei quæstiones S. Synodus semper prius Theologis quam accuratissime discutiendas tradidit, qui e quavis natione delecti præstantissimi quique Viri, scientia & religione summe conspicui aderant, & incredibili studio ac contentione tum e Scripturis, tum ex Conciliis præcedentibus tum ex SS. Patribus gravissima opinionum suarum testimonia produxere, quibus rite perpensis fidei decreta fere semper non plurium duntaxat, sed omnium communi consensu condita fuerunt & publicata. Ea vero, quæ ad mores pertinebant placita, quum in his non tam scientiæ quam prudentiæ ratio habenda esset, non committebantur Theologis, sed Patribus ipsis in diversas classes distributis, qui præmisso examine solertissimo, ac obtento majoris partis consensu, ea demum publice constituerunt. Hos intra cardines grande hoc negotium tam feliciter processit, ut a Paulo III. impe-

rante Carolo V. anno 1545. cœptum, post duos annos ab eodem ob metum pestis Bononiam translatum: inde a Julio III. Tridentum an. 1549. reductum, ibique continuatum, postea ob bellicos tumultus an. 1552. abruptum, & sub Marcello II. & Paulo IV. per decem fere annos suspensum, denique post decem & octo annorum a primo sui exordio intervallum a Pio IV. regnante Ferdinando I. Cæsare instauratum, ac Tridenti anno 1563. communi totius orbis catholici adplausu fuerit absolutum. Subscripsere ad finem. Concilii decretis Patres numero ducenti quinquaginta & quinque, videlicet Legati quatuor, Cardinales duo, Patriarchæ tres, Archiepiscopi viginti quinque, Episcopi centum sexaginta & octo, Abbates septem, absentium Procuratores triginta novem, Ordinum religiosorum summi Antistites septem, quamvis longe plures diversis temporibus Synodo huic interfuerint, nimirum Cardinales Legati septem, non Legati duo, Archiepiscopi tres, Episcopi ducenti triginta quinque; præterea Oratores & Legati Imperatoris Ferdinandi, Regis Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, septem Cantonum Helvetiæ, Bavariæ, Sa-

bau-

baudiæ, Florentiæ, aliorumque Principum Ecclesiasticorum. Denique præter doctissimos Episcopos numerabantur soli Theologi, Jurisque Doctores e præcipuis totius orbis partibus plures quam centum. Neque fructu optato caruit grande hoc, & tot annorum opus. Pleraque fidei orthodoxæ dogmata velut nova luce collustrata, & gravissimis definitionibus stabilita fuerunt: refrenata est hæresis, quæ prius torrentis instar longe lateque se diffudit: aliam eamque splendidam vitæ morumque faciem post tot saluberrima decreta induit Clerus & populus, tantoque pietas Christiana incremento est aucta, ut post prima nascentis Ecclesiæ tempora fortassis nunquam adeo velox & mira morum metamorphosis contigisse visa fuerit, uti Card. Bellarminus testatur. Unde in tanta ad præsens usque tempus veneratione habetur, ut quamvis ipsum Concilium statuerit, in omnibus suis decretis salvam semper esse ac intelligi debere Pontificis auctoritatem, Pontifices tamen nunquam iis derogare censeantur in suis, ut vocant, Bullis & Constitutionibus, in concessis privilegiis & gratiis, nisi clare ac studiose hujus Concilii meminerint: quumque illius tam quæ ad fidem, quam quæ ad mores spectant,

decreta a ſupremo in terris Chriſti Vicario ſolemniſſime ſint adprobata, conditaque fuerint conſentientibus per Oratores ſuos, qui eidem interfuerunt, Catholicis Principibus plerisque (quamvis Gallia inſtigante Carolo Molinæo, in Curia Pariſienſi cauſarum Patrono, aliquamdiu reluctari viſa fuerit) quin etiam in cunctis ferè regnis, provinciis ac dioecefibus ſint promulgata, vel acceptata, dubium eſſe non poteſt, quin jus quoddam generale ac commune conſtituant, quod omnes Chriſti fideles obliget, quidquid contra clamare auſint veræ fidei hoſtes, quibus favere viſus eſt Paullus Sarpi, ſub ficto Petri Suavis nomine latens, cujus in hiſtoria famoſa Concilii Tridentini, quam ſcripſit, innumera mendacia & errores detexit mactavitque Eminentiſſimus Cardinalis Sfortia Pallavicinus.

Oecumenicis Conciliis hucusque enumeratis ſubnectere juvat velut appendicem duplex Conciliorum Generalium genus. Primum eſt eorum, quæ *Reprobata* dicuntur, ſeu omni ex parte rejecta. Horum ſeptem numerari ſolent: I. Antiochenum anno 341. vel ut aliis placet, 345. convocatum ſub Pontifice Julio I. & Imperatore Conſtantio, in quo

o Ariani reclamantibus frustra Catho-
is Cæsaris nutu & favore Athanasium,
ntra Canones, ut ajebant, ab exilio
vocatum, & suæ Alexandrinæ Eccle-
: sine Synodi decreto restitutum ex-
ctorarunt, intruso in ejus locum Gre-
rio Cappadoce, viamque simul ad ever-
ndum Concilium Nicænum I. per qua-
or subdolas, quas fabricarunt, fidei for-
ulas patefacere visi sunt. Hanc tamen
nodum non pauci e Generalium Cata-
go expungunt, utpote cui Orientis dun-
tat Episcopi nonaginta interfuerunt.
Mediolanense trecentorum Patrum,
ngregatum anno 355. a Pontifice Libe-
, regnante Constantio, atque ita legi-
ne inchoatum, sed coactis per vim
tribus, ut iniquæ in Athanasium latæ
ntentiæ subscriberent, & Hilario aliis-
e Episcopis in exilium relegatis pessime
itum. III. Ariminense secundum, ut
tat Baronius, anno 359. Liberio Ponti-
e, Imperatore eodem Constantio. Fu-
stum Synodus hæc exitum habuit, sub-
a e fidei formula voce ὁμοούσιον, & S.
udentio Ariminensi Episcopo, quod
bscribere nollet, fustibus & lapidibus
terfecto, ipsoque summo Pontifice ean-
m ob causam in exilium ejecto. IV.
hesinum secundum anno 449. celebra-

tum, Papa Leone I. Imperatore Theodosio Juniore, centum viginti & octo Episcoporum, in quo cœtu omnia vi & minis acta fuerunt: Eutyches absolutus: occisus Flavianus Episcopus Constantinopol. Unde *prædatoria* Synodus, & *Latrocinium* merito fuit adpellatum. V. Est Constantinopolitanum tempore Leonis Isaurici Iconomachi, & Pontificis Gregorii II. 730. Patres congregati plerique fuere Laici: bellum indictum est sacris imaginibus, nec solum in eas, sed etiam in earundem Patronos sævitum, S. Germano Patriarcha Constantinopol. eam ipsam ob rem sede sua deturbato. Hujus tamen Synodi nec Baronius, nec Binius meminit, videturque nonnullis male inter Generalia numerari, quemadmodum & illa, quæ sequuntur. VI. Constantinopolitanum pseudo-septimum anno 754. ævo Stephani II. & Constantini Copronymi, ad quod convenerant Episcopi Iconomachi ex Oriente facile trecenti triginta octo, qui damnarunt SS. Imaginum cultum, easque omnino abolendas esse decreverunt. VII. Denique fuit Pisanum, diversum ab eo, quod paullo post inter dubia referemus, coactum circiter anno 1510. Sub Julio II. & Maximiliano I. a quibusdam Cardinalibus, supremo Chri-

sti

cti Vicario rebellibus: Sed a Concilio Lateranensi V. solemniter reprobatum.

Alterum Conciliorum Generalium genus est eorum, quæ *partim confirmata, partim reprobata* fuerunt. Ex his I. Sardicense primum locum obtinet, anno 351. Pontifice Julio I. Imperatore Constantio Arianæ sectæ addicto celebratum. Patres ex Occidente convenerunt trecenti, ex Oriente septuaginta sex. Coactum fuit adversus Arianos, qui Ecclesiæ pacem vehementer turbarunt, nullum non lapidem moventes, ut Athanasius Arianæ hæresis malleus condemnaretur. Sed Patres illius innocentiæ luculentum præbuere testimonium, fidemque Nicænam confirmarunt, exauctoratis Episcopis Ario adhærentibus. Verum hi Philippopolim in Thracia migrantes aliam ibi pseudo-Synodum congregarunt, & sacramentum Ario dixere. Unde Cardinalis Bellarminus aliique notant, duo Concilia hoc nomine fuisse nuncupata: unum vere Sardicense ac legitimum, & Concilii Nicæni I. velut appendicem, aliud spurium & potius Philippopolitanum. In priori Patres Occidentales fidem Catholicam strenue defenderunt; in posteriori Orientales pro Ariana hæresi pertinaciter dimi-

caruent. Horum igitur acta merito fuerunt rejecta, illorum vero adprobata.

II. Sirmiense anno 356. Papa Liberio, & Imperatore Constantio. Hujus synopsin exhibet Bellarminus (m) dum ait: *In hoc enim Concilio duæ formulæ fidei dissentientes inter se editæ sunt. Unam composuit græce Marcus Arethusius, qui postea sub Juliano illustre martyrium pertulit, quæ quidem ea esse videtur, quam Hilarius in libro de Synodis prope extremo ut Catholicam explicat. Alteram alii composuerunt latine, plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis non procul ab initio.* In eodem etiam Concilio Photini hæresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiæ adprobarunt.

III. Quini-Sextum (uti Balsomon adpellat) Constantinopoli in Palatio Trullo coactum anno 692. regnante Justiniano II. inscio sane Pontifice Sergio, qui nec per se, nec per Legatos suos præsedit, illudque quamprimum repudiavit. Interfuere Patres undecim supra ducentos, qui Canones centum & duo heic condiderunt, ut supplerent defectum quintæ ac sextæ Synodi Oecumenicæ (quemadmodum dicebant) utpote quæ nullos edi-

(m) *L.* 1. *de Concil. c.* 7.

ediderunt Canones; unde orta est adpellatio *Quini-Sexti.* E memoratis tamen Canonibus nonnisi aliqui, in quibus sana continebatur doctrina, fuerunt recepti, ut ex literis Hadriani I. ad Carolum M. scribentis, ac citantis pro SS. Imaginum cultu aliquos Synodi hujus canones satis constare videtur. IV. Est Francofordiense, quod tamen vix meretur adpellari Generale, quum nulli ex Oriente Episcopi fuerint præsentes, sed solum ex Occidente trecenti. Convocatum fuit ab Hadriano I. Pontifice ac Carolo M. Imperatore adversus Felicem & Elipandum Hispaniæ Episcopos, qui Nestoriana lue afflati Christum filium Dei adoptivum duntaxat esse docebant. Adprobata fuit pars una hujus Concilii, in qua Christum Dei filium naturalem esse definivit: reprobata altera, in qua Synodum VII. damnavit. V. Constantiense, inchoatum anno 1414. Papa Joanne XXIII. Imperatore Sigismundo: finitum anno 1418. sub Martino V. Episcopi interfuere plusquam trecenti, minores Prælati fere septingenti. Sublatum est hac in Synodo schisma inter Gregorium XII. Benedictum XIII. & Joannem XXIII. Tribus his gradu suo motis Papa electus fuit Martinus V. Damnatæ quoque fuerunt hæreses Wicleffi & Hussi,

Hussi, ac posterioris auctor flammis absumtus. Adprobavit Concilium hoc Martinus Pontifex, si sessionem IV. & V. excipias, quæ Papam Concilio subjiciunt, hujusque auctoritatem supra Pontificiam extollere videntur. VI. Basileense inchoatum Basileæ ad Rhenum anno 1431. Sub Eugenio IV. Pontifice, ac finitum Lausannæ ad lacum Genevensem anno 1449. sub Nicolao V. Initio legitimum erat, sed progressu temporis, quum varia statuerent Patres congregati, quæ Papæ auctoritatem infringerent, ipsumque Concilio subesse decernerent, edito Romæ decreto Eugenius illud dissolvit. Perrexere nihilominus, ac Pontificem citare velut ad tribunal suum, quin etiam quasi contumaciæ reum dignitate sua exuere ausi sunt, substituto Amadeo Duce Sabaudiæ, cui Felicis V. nomen indiderunt. Sed quum hic sponte sua cessisset Pontificiam sedem, Nicolaus V. Eugenii Successor pacis constituendæ gratia confirmavit acta quædam hujus Concilii, quæ ad beneficia Ecclesiastica & censuras pertinebant: reliqua omnia reprobavit. De Pisano Concilio Pisis in Italia anno 1409. celebrato Scriptores non conveniunt, dum alii legitimum, alii spurium esse censent. Agebatur ibi de schismate tollendo. Quum

enim

enim Petrus de Luna, quem Benedictum XIII. dixere, & Angelus Corarius Gregorius XII. adpellatus diu de supremo Ecclesiæ regimine contenderent, neutro cedere volente, contra quam promiserant, nec alia superesset via schismatis extinguendi, Cardinales utriusque partis Pisis convenerunt viginti tres cum tribus Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis trecentis, plurimisque aliis Præsulibus, & Principum Europæ Legatis, ac memoratos duos Pontifices sede sua deturbarunt, Alexandro V. in locum substituto, qui inter veros Pontifices numerari solet: schisma tamen non sublatum, sed potius auctum fuit.

## XXXV.

### *Auctoritas Sedis Apostolicæ.*

Per Romanam seu Apostolicam Sedem intelligo eam, in qua sedet ac præsidet summus Pontifex, quamque D. Petrus Apostolorum Princeps fidei suæ professione fundavit, ac sanguine profuso consecravit, non interrupta serie a successoribus suis occupandam ad finem usque mundi, adversus quam portæ Inferi non prævaluerunt unquam, nec prævalebunt. Atque ex hujus auctoritate ac definitionibus

*omne de re quacunque judicium temere ac sine delectu defendunt, ii sedis Apostolicæ auctoritatem labefactant, non fovent; evertunt, non firmant.* Si vero alteram personam sustinet, quod fit, quando aliquid ab omnibus credendum aut faciendum solemni ritu proponit ac definit, tunc *ex Cathedra loqui* dicitur, & omnis erroris expers esse credendus est, quemadmodum brevi palam fiet. Porro ut Pontifex censeatur loqui ex Cathedra, Doctores communi suffragio tres has statuunt conditiones, quarum prima est, ut seria mente velit definire aliquid, seu præcipere pro universa Ecclesia tanquam Caput Ecclesiæ, ut docet Suarius (q) dicens: *Tunc definire Pontificem ut Caput Ecclesiæ, cum definit vel approbat tanquam credendum vel observandum ab universa Ecclesia.* Altera ut nil definiat contrarium Scripturis divinis, aut Articulo fidei alias jam definito: nulla enim veritas alteri contraria esse potest, vel si est, alterutra veritas esse desinit. Tertia, ut ne temere procedat, sed causa in pluribus, quas vocant, Congregationibus, Consistoriis, Synodoque Cardinalium ac. Doctorum discussa, post solemnes publicasque preces, & invocato Numinis auxilio. Nam, ut ait

(q) *L. 1. c. 3. contra Regem Angliæ.*

ait memoratus Cardinalis Bellarminus (r), *non debet solo judicio suo fidere, aut exspectare revelationem, sed adhibere diligentiam, quantum tanta res postulat, & ordinaria media: & tum demum exspectare assistentiam Spiritus S. & directionem divinam.* Atque has conditiones a Pontifice aliquid solemniter definiente impletas fuisse pro certo haberi oportet, nisi eas fuisse neglectas manifestum foret: secus enim refractariis ac disciplinæ impatientibus via semper pateret eludendi definitiones Pontificum; nec subditorum est, ad examen vocare imperia & placita Superiorum, multoque minus illius, qui Christi vices in terris gerit.

XXXVI.

His præmissis rem ipsam aggredior. Nemo est, nisi S. Scripturæ aperta fronte se se opponere velit, qui non fateatur, D. Petrum fuisse a Christo constitutum Pastorem Ecclesiæ Universalis: huic enim nec alteri dixit: *Pasce oves meas.* Nec ullum inter oves discrimen fecisse legitur, ut palam faceret, omnes omnino a se Petro, ut pasceret, fuisse commissas. *Qui enim non distinxit,* scite inquit Innocentius Papa (s), *inter has oves & illas, alie-*

(r) *L.* 1. *de Concil. c.* 11.

(s) *De major. & obed. c. Solitæ.*

*alienam a suo demonstravit ovili, qua Petrum Pastorem non recognosceret.* Atque his vocibus, *pasce oves meas*, hanc quam dixi significandi vim inesse agnoverunt dudum præcipua Ecclesiæ lumina, Patres doctrina & sanctitate conspicui. Duos omnium ore loquentes juvat audire: D. Gregorius M. (t) *cunctis enim*, ait, *Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? pasce oves meas.* Theophilactus vero (u) in hunc modum loquitur: *Quum prandii finem ipse* (Christus) *fecisset, totius orbis ovium præfecturam Petro commisit, non autem alii, sed huic tradidit. . . Te enim dico ut præsis orbi, & sequaris me.* Fateamur igitur necesse est, D. Petrum Apostolum fuisse a Christo constitutum Pastorem Ecclesiæ Universalis: Sed non hoc solum, verum etiam Petrum, quum Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat, errare non potuisse. Christum enim, qui Petro dixit apud Joannem: *Pasce oves meas*, eidem apud Lucam dixisse legimus. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & Tu aliquando conversus*

(t) *Epist.* 20. *l.* 5. (u) *In c.* 21. *Joan.*

*versus confirma fratres tuos.* Singula heic probe ponderanda sunt verba. Christus Dei Filius rogat, cujus utique oratio inanis esse non potuit, sed ad obtinendum, quidquid a Patre petierat, quam efficacissima fuit. *Quia præparatur*, inquit D. Augustinus (x) *voluntas a Domino, ideo pro illo* ( Petro ) *Christi non potest esse inanis oratio.* Dein pro Petro rogat, non pro aliis. Hunc enim jam tunc cæterorum Caput, Principem, Doctorem ac Pastorem designavit, huic claves sui in mundo regni destinavit, hunc velut petram, cui Ecclesiam suam superædificaret, solidavit. Ne igitur ullo tempore deficeret corpus, ovile, aut ædificium, Caput, Pastor, & Fundamentum erat ita in omnes casus firmandum, ne unquam deficere posset. Hinc S. Leo (y) *pro fide Petri*, ait, *proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Rursus Petro præcipit Christus, ut aliquando conversus confirmet fratres suos; scilicet quando

(x) *L. de corrept. & grat. c. 8.* (y) *Serm. 3.*

do post lapsum, ubi ore non corde negavit Christum, Ecclesiæ summus Pastor erat futurus, ut pro muneris sui ratione fratres cæteros in fide confirmaret, quod utique fieri non potuisset, nec Ecclesiæ ædificium a ruina tutum persistere, aut oves a pascuis aberrandi periculo eximi, si ipsum in fide vacillaret firmamentum, aut a veritatis tramite omnino recederet Pastor. Unde S. Leo IX. (z) *Solus est*, scribit, *ille, pro quo ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator noster asserit se rogasse. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.* Et sane si Caiphas, Vir in Synagoga impius, quum esset Pontifex illius anni, quia Pontifex tamen erat, prophetavit, nonne magis Petrum, summum a Christo Pontificem Ecclesiæ datum, divino Spiritu ad veritatem fidelium cœtui enunciandam agi credemus? Agnovit beneficium hoc divinitus sibi collatum ipse Petrus inquiens: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii,*

(z) *Epist. ad Petrum Antiochenum.*

*gelii, & credere* (a). Ecce! Petrum peculiariter inter cæteros elegit Christus, ut eum gentes in fidei controversiis non audirent solum loquentem, sed ut etiam ea quæ loqueretur, crederent. Agnoverunt hoc reliqui quoque Apostoli, Discipuli, & Fideles; quum enim Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo, Petro definienti consentiens (b). Sed pergamus ultra.

Non tantum Petrus Apostolus fuit constitutus Pastor Ecclesiæ Universalis: non tantum Petrus, quum Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat, errare non potuit, uti dictum est; sed Petro vita functo etiam divino jure omnis, qui legitime illi succedit in eadem auctoritate & potestate, quod nunc dicendum. Et profecto quis vel somniare ausit, quum oves Christi usque ad seculi *consummationem* sint futuræ, ac Domini grex seu Ecclesia ad mundi finem sit duratura, ut constat e S. Literis, Christum ovili perpetuo Pastorem duntaxat temporarium suffecisse? Quum Christus e cœlo in hunc mundum descenderit, ut regnum æternum stabiliret, quis credet, illi Principem ac Rectorem ad tempus solum esse præficiendum,

(a) *Act.* 15. (b) *Ibid.*

dum, quo sublato viduatum sibi ac fatis incertis relinqueretur? si humanæ providentiæ id vitio verteremus, & quidem grandi nec veniæ digno, quid quæso de divina providentia existimabimus, Ecclesiæ suæ tam male prospiciente, si perpetuo Regimini, Navi, ac Ovili non de perpetuo quoque Rectore, Nauclero, ac Pastore providisset, & quidem de tali, qui eadem cum Petro auctoritate ac potestate gauderet? Non enim minora posterioribus seculis, sed plane majora ac difficiliora fidei certamina, salutis pericula, hæresum monstra & schismata in Ecclesia Christi insurrexere, quæ neutiquam finiri, averti ac domari potuissent, nisi divina virtute Rectori supremo veluti ad latus continuo adsistente. Et quis hic, nisi Pontifex Romanus, legitimus Petri Successor, & Christi Vicarius? Innumera sunt hac de re Patrum & Conciliorum testimonia: pauca seligo. S. Hieronymus (c): *Hæc est fides*, inquit, *Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a Te, qui Petri fidem, & Sedem tenes.* D. Cyrillus Alexandrinus (d): *Debemus nos, ut*

(c) *In Exposit. Symboli.*

(d) *In lib. Thesaur. de SS. Trinit.*

*ut qui membra sumus, Capiti nostro, Pontifici Romano, & Apostolicæ fidei adhærere: ad nos pertinet, inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit quærere.* Philippus Presbyter S. R. E. in Ephesino Concilio ita Patres palam est allocutus: *Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique Columnæ, & Ecclesiæ Catholicæ Fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore claves cæli accepit - - - qui ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet.* Ipse etiam Imperator Justinianus (e) pronunciare palam non dubitavit: *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.* Quid? quod in Conciliis Generalibus sæpius a Patribus adclamatum fuisse legamus: *Petrus per os Leonis: Petrus per os Agathonis locutus est.* Unde mos adhuc obtinet, ut quum Romanus Pontifex solemni ritu templum ingreditur, totus Clerus festivo cantu illum salutet, corde ac ore: *Tu es Petrus.* Satis multa de Scriptura & Patribus.

Nunc

(e) *Epist. ad Hormisdam Papam.*

Nunc agamus etiam ratione: Quando in Ecclesia quædam in fide ac Religionis negotio controversia excitatur, non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Coloniensem &c. Episcopos, sed ad Romanum Pontificem omni semper ætate ut decideretur, fuit delata. Quis igitur dubitet, hunc esse, quem ut successorem Petri, ita quoque doctrinæ Apostolicæ Magistrum, quæstionumque de fide Judicem habemus? nam si aliquem ejusmodi post Petrum ad Ecclesiam instituendam, atque in veritate continendam reliquit Christus, nimirum aut hic est, aut nullus est. Jam vero concludere juvat: Certum est, Petrum Apostolum fuisse a Christo constitutum Pastorem Universalem: certum est, Petrum quum Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat, errare non potuisse: certum est, Petro vita functo aliquem esse jure divino, qui illi succedat in eadem auctoritate & potestate, atque hunc non esse alium, quam Romanum Pontificem, legitimum Petri successorem, & Christi in terris Vicarium: igitur quoque certum est, eundem in rebus fidei & morum definiendis errare non posse, ac *infallibilem* esse. Hæc certe veritas e SS. Literis erui-

tur,

tur, a Patribus & Conciliis proponitur, a Theologis docetur, a toto fere orbe Catholico contra paucos propugnatur ac creditur. Quodsi commentitia vanaque opinione hoc Papæ privilegium Theologi adseruissent, non tam stabilis sententia hæc permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum seculis ætatibusque hominum inveterasset; quamvis fateri oporteat, hanc, quam hoc loco discutiendam suscepi, quæstionem non esse fidei quæstionibus adnumerandam, ut quidam heterodoxi ad invidiam faciendam perperam objiciunt.

## XXXVII.

Sed accedamus modo ad eam, quam nonnulli fabricarunt in cerebro suo, opinionem, qua Pontificem a Concilio Universali, aut certe *particulari*, vel a Sede Romana separant, itaque segregatum negant esse erroris expertem. Ad utrumque quod adtinet, & ratio, & usus, & experientia reclamant, atque ipsi opinioni hujus patroni in primo statim limine hærent, ac diversas in partes abeunt. Sunt, qui Pontificis judicium tunc falli & fallere nescium esse contendunt, quando accedit Ecclesiæ consensus, quin clariorem doctrinæ suæ rationem reddere

velint. Sed hac responsione nullis limitibus circumscripta quid absurdius? quomodo cuipiam innotescere poterit, fideles vel Episcopos per Indiam, Scythiam, Sinas, Americam dispersos, totoque velut cœlo sejunctos suum adjicere consensum, ad quos post multos sæpe menses & annos Pontificii dogmatis aut Constitutionis notitia pertingit? num exspectari tamdiu debebit horum consensus? Si ita est, male profecto ac contra jus actum est cum Pelagianis, (unum pro multis exemplum adduco) dum statim ac ab Innocentio I. condemnati fuerunt, hæreticorum loco habiti sunt, nondum explorato tot Ecclesiarum dissitarum consensu, qui tamen adversariorum judicio necessarius omnino est, ut Papæ sententia sit *infallibilis*. Sunt alii, qui sufficere volunt majoris partis Ecclesiæ consensum: bene. Sed quis est tantæ auctoritatis in Ecclesia, ut suo arbitrio velit Ecclesiam numerare ac in partes dividere? Fingamus tamen id fieri, quid tum? hoc enim vero; si consensus majoris partis Ecclesiæ Pontificem in definiendo reddit *infallibilem*, actum est de adversa opinione, totaque illius machina corruit. Quippe tot Pontifices se tanquam Christi Vicarios & Petri Successores Ecclesiæ caput esse,

ſſe, omnes omnino fideles ſibi ſuæque oteſtati ſubeſſe, ſe Chriſti promittentis & piritus ſancti adſiſtentis munere fidei moimque regulam & normam, ad quam deles omnes componere ſe tenentur, ſſe declararunt ſæpiſſime: Suffragantur is SS. Patres fere omnes, Doctores & Theologi pene ſine numero, ipſa paſſim Concilia. Nunquid ergo major pars Eccleſiæ, immo longe maxima huic dogmati onſentit, dum Pontificem Romanum licit & credit in definiendo erroris exertem eſſe, nullo accedente conſenſu Eccleſiæ? cur ergo longe minor, immo miima pars audeat refragari, ac Pontificiæ ſedi prærogativam hanc vi ereptum re? Sunt alii, qui hoc in negotio Eccleiæ in Concilio Generali collectæ conſenum requirunt. Hoc ſi verum, ad ſinulas hæreſes cordemnandas opus erit congregare Generale Concilium, & quum æpenumero non ſolum difficile, verum tiam impoſſibile id ſit, licebit interea æreticis impune vivere ac graſſari, donec Synodus e tota Eccleſia cogatur; Quod quam alienum ſit ab uſu Eccleſiæ, neminem latet, niſi in Eccleſiaſtica hiſtoria peregrinum, quum pleræque non fuerint damnatæ per generalis Concilii, ſed Romanorum Pontificum judicia & de-

decreta. Hoc enim est, quod Pelagianis ad Concilium universale provocantibus dudum respondit Augustinus, cujus verba gravissima protuli Num. XXX. de auctoritate Ecclesiæ. Apertius adhuc locutus est eadem in causa S. Prosper (f). *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ sunt, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* Ut res hæc manifestior adhuc fiat, ponamus inter Patres Concilii controversiam oriri vel de intelligentia Sacrarum Literarum, vel de uno aliquo libro, an Canonicus sit, nec ne, vel de alia hujus generis quæstione: oportebit ad hanc litem componendam Judicem invenire, cujus tamen si errare possit, incertum judicium erit. Judicem autem inter partes Concilii dissidentes nullum in Ecclesia nisi Romanum Pontificem omnis ætas agnovit. Hinc neque admissa est unquam appellatio in causis fidei a Sede Pontificia, ejusque sententia, sed hæreticos ab ea judicatos Ecclesia semper hæreticos judicavit. Sunt denique, qui Papam *infallibilem* esse pronunciant tunc, quando ex Cathedra loquitur, si nimirum prævio examine, atque cum consilio & consensu Cardinalium,

(f) *In Chronico.*

lium, (quos Ecclesiam *particularem* Romanam inter Urbis ambitum clausam repræsentare ajunt) judicium ferat in causa fidei vel morum. Verum quid hoc aliud est, quam totum *infallibilitatis* negotium a Concilii generalis ad Ecclesiæ *particularis* adsensum transferre, Pontificemque exuere diademate, quod tanto paullo ante conatu ac pretio illi fuit impositum. Certe si hoc agitur, quivis Episcopus, si sententiam ferat in causa fidei ac morum, *infallibilis* erit, nimirum si universæ Ecclesiæ, vel secundum præsentem, quam impugno, opinionem Ecclesiæ Romanæ consensus accedat. Quid enim opus ad Pontificis sedem tanquam ad fidei arcem, & veritatis asylum confugere? Equidem non ignoro, Ecclesiam Romanam a Patribus Matrem ac Magistram veritatis, atque totius Traditionis Custodem nuncupari, quorum fortassis titulorum splendor adversantium oculos & aciem hebetavit; sed neque ignoro, Ecclesiam ac sedem Romanam habita ratione illius, qui eam moderatur, & in ea sedet ac præsidet, Matri ac Magistræ veritatis titulo honoreque gaudere: aut num fortasse sedem eo, qui occupat illam, nobiliorem majoreque auctoritate præditam existimamus? Fingamus Petrum

ejus-

ejusque successores Antiochiæ, Alexandriæ vel Constantinopoli sedem Pontificiam fixisse, pari jure Antiochenam, Alexandrinam vel Constantinopolitanam Ecclesiam Matrem ac Magistram veritatis præ Romana dicemus. Sed sors hæc felicissima Romæ divina ordinatione obtigit: Unde B. Prosper (g) canit:

*Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris*
*Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis,*
*Religione tenet.*

Quid multa? profecto ipsa Ecclesia Romana, seu in Clero suo, seu in subditis suis, sive in Episcopis vicinis, sive in sacro Cardinalium Collegio conspiciendam se præbeat, omnino profitetur, Pontificem Romanum e cathedra loquentem semper fuisse, ac esse per se ipsum, adsistentis nimirum Spiritus Sancti munere ac privilegio, quod Christus Petro ejusque successoribus contulit, omnis erroris expertem, probe gnara, ovium aliud non esse officium, quam audire vocem Pastoris. Quamvis autem summus Pontifex circa res definiendas in consilium vocet Purpuratorum Patrum senatum, eorum au-

(g) *In Carm. de ingratis.*

audiat vota, aliquando etiam in Decretis & Constitutionibus addat: *de consilio & adsensu nostrorum Fratrum Cardinalium decernimus &c.* Hi tamen solum consulendo adjuvant, Pontifex vero definiendo decidit. Aliud enim est, provide ac prudenter definire, aliud in definiendo non errare: primum providentiæ humanæ, alterum Spiritus Sancti Petri Successoribus adsistentis opus est.

## XXXVIII.

## *Auctoritas Patrum, & Doctorum.*

Providentissimum in Ecclesia sua instituenda, gubernandaque Numen non solum de visibili Capite, a quo vigor omnis in reliqua membra descenderet, ac de Judice falli nescio, cujus oraculis partes litigantes tuto acquiescere possent, illi prospexit, verum etiam omni ævo viros vitæ, morum ac doctrinæ fulgore summe conspicuos eidem submisit, qui velut ex alto splendentes sanctitatis ac sapientiæ suæ radiis Ecclesiam ubique gentium illustrarent, & hæresum aliorumque errorum tenebras luce sua dispellerent. Atque hi sunt, quos Patres & Ecclesiæ Doctores vulgo appellamus. Testatur hoc disertis verbis gentium Apostolus Paullus

lus (h): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum.* Et alibi (i): *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c.* Istorum autem maxima nunquam non fuit in maximis gravissimisque Theologici fori negotiis auctoritas. Nam *Sapiens* apud Ecclesiasticum non solum legit Scripturam, sed etiam *omnium Antiquorum sapientiam exquirit, & narrationem Virorum nominatorum conservat* (k). Immo idem ipse monet (l). *Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt a Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum.* Certe Patres & Doctores sunt oculi Ecclesiæ, per quos ista videt, ut loquitur B. Gilbertus apud S. Bernardum (m): sunt lux mundi & sal terræ (n) per quos interprete Augustino condiendi sunt quodammodo populi illi, quos elegit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum: sunt testes integerrimi orthodoxæ fidei & sanctarum consuetudinum: quod enim invenerunt, in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docue-

(h) *Ad Ephes. c.* 4. (i) 1. *Cor,* 12. (k) *Ecclesiast. c.* 39. (l) *ib. c.* 8. (m) *Serm.* 50. *in Cantica.* (n) *Lib.* 1. *de Serm. Dom. c.* 6.

docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt, inquit idem Augustinus (o). Neque verbis solum, sed etiam exemplo summi quique in Ecclesia viri eam, de qua dixi, reverentiam SS. Patrum placitis exhibendam nos docent. Ipse inter Ecclesiæ Patres ac Doctores Doctor clarissimus, memoratus Augustinus de peccato *originali* scribens adversus Julianum (p) profert diligenter ac nominatim auctoritates Patrum Ecclesiæ, se antiquiorum aut etiam coævorum, D. Irenæi, B. Hilarii, Innocentii, Ambrosii, Athanasii, Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi: Laudans Hieronymum (q) *credamus* inquit, *sanctis & vera dicentibus & mira facientibus.* Ut alios prætercam, Cassiodorus (r) *Ad divinam scripturam ascendamus*, ait, *per expositiones probabiles Patrum, velut per quandam scalam visionis Jacob, ut eorum sensibus provecti ad cognitionem Domini efficaciter pervenire mereamur.* Hæc de SS. Patribus & Doctoribus, eorumque auctoritate mens, hic sensus est ipsorum Patrum & Doctorum. Hinc est, quod in Conciliis Oecumenicis tam

(o) *Contra Julian. l.* 2. (p) *ib. c.* 3. 4. & 5. (q) *lib.* 22. *de Civit. c.* 10. (r) *in præam. div. instit.*

tam diligenter exquirantur sententiæ Patrum, ut Episcopi (quod testatur de Nicænis Athanasius) non sibimet ipsis voces, sed eas a Patribus contestatas accipiant, suisque inserant definitionibus. Certe in Concilio Nicæno II. ubi de SS. Imaginibus, in Chalcedonensi pro duabus Christi naturis contra Eutychianos, in Ephesino pro unica Christi persona adversus Nestorianos, in Florentino de *processione* Spiritus sancti contra Græcos definiti fuerunt fidei articuli productis in medium Latinorum simul & Græcorum Patrum testimoniis, non minus Antiquioribus Conciliis, post condita decreta in usu fuit solemnis acclamandi formula: *Hæc est fides Patrum.* Quare ultimis quoque temporibus Tridentinum (s) præclare statuit, ne quis suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum sacram Scripturam ad suos sensus detorquens contra unanimem Patrum consensum eam interpretari audeat. Ex his de SS. Patrum & Doctorum auctoritate universe dictis facile patet, quanto in pretio locum hunc haberi deceat a Theologo, quantoque conatu incumbere debeat, ut illorum præclaras sententias, dogmata, totamque doctrinam sibi reddat familiarem, quæ plu-

(s) *Sess.* 4.

plurima fortissimaque ad res fidei & morum perdiscendas tuendasque præsidia suppeditabit. Dicat cum Augustino dicente (t): *Quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant, prædico.* Nosse autem heic oportet, quinam SS. Patrum & Ecclesiæ Doctorum titulo ac prærogativa gaudeant. Est quidem, semperque fuit Ecclesia cœlum innumeris fere sideribus distinctum, ejusmodi scilicet, de quibus Daniel Propheta (u) dixit: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nullum sane seculum est, quod non eruditissimorum in sacra scientia Virorum ferax fuerit, nullum quod non magni nominis Doctores orbi Catholico dederit. Aliud tamen est, esse Doctorem in Ecclesia, & aliud Ecclesiæ Doctorem esse: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores* (x)? Itaque illi duntaxat Ecclesiæ Doctores nuncupantur, qui tribus instructi sunt dotibus: nimirum eminenti doctrina, insigni vitæ sanctitate, atque publico Ecclesiæ testimonio. Hoc enim ut accedat oportet, non secus ac in Republi-

(t) *Contra Julian. l.* 1, *c.* 8. (u) *cap.* 12.
(x) 1. *Cor.* 12.

publica literaria nemini Doctoris titulo gloriari licet, nisi gravissimo illius judicio ad hunc gradum rite fuerit promotus: aut in Hierarchia Ecclesiastica nulli, quantumvis sanctitate ac meritis claro, cultus sanctis debitus exhibetur, nisi publico Ecclesiæ testimonio sanctorum Fastis fuerit inscriptus. Atque hujuscemodi Ecclesiæ Doctores ex Antiquioribus quatuor sunt, videlicet SS. Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus, uti declaravit Bonifacius VIII. (y). E Recentioribus vero D. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura, ille Doctoris Angelici a Pio V. iste Doctoris Seraphici titulo ac honore a Sixto V. insignitus. Præter hos Ecclesia in Horis Canonicis Doctoris quoque titulum (*O Doctor optime, Ecclesiæ Sanctæ lumen*) tribuit SS. Chrysostomo, Isidoro, Anselmo, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Basilio M, Petro Chrysologo; & novissime Leoni M. nulla tamen publica Bulla seu Constitutione tanquam Ecclesiæ Doctores declarati leguntur. Major eorum numerus est, quos SS. Patres appellamus. Sunt hi, qui Christo & Ecclesiæ genitos doctrinæ suæ lacte nutriverunt, & verbo ac exemplo ad Christianam & cœlo dignam formarunt

(y) *In sua Decretali, qua incipit: Gloriosus Deus in Sanctis suis.*

marunt vitam, atque cum Paulo gloriari possunt: *Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* (z). Ut autem quis SS. Patrum numero adscribatur, præter eas dotes, quibus instructos esse oportet Ecclesiæ Doctores, quasque paullo ante recensui, insuper requiritur conveniens Antiquitas, qualis reperitur in iis, qui vel Apostolis proximi, vel primis Ecclesiæ seculis claruere, quorum & *scripta laudantur, & memoria in benedictione est propter eximiam vitæ sanctitatem, & perpetuam communionem cum Ecclesia Romana*, ut inquit Gelasius Papa (a) ubi plerorumque Patrum nomina prodit. Hæc tamen Antiquitas non adeo arctis limitibus circumscripta est, ut non e posterioribus quoque seculis quosdam in SS. Patrum consortium admittat, quemadmodum patet in S. Bernardo, qui Patrum Posthumus & Ecclesiæ Beniaminus vulgo appellatur.

XXXIX.

Quanta autem sit, & quousque fines suos extendat hæc Patrum & Ecclesiæ Doctorum auctoritas, nunc indagandum. Ante omnia triplicem auctoritatis classem distinguere

(z) 1. *Cor.* 4. (a) *dist.* 15. *c. Sancti Rom. Eccl.*

guere oportet, scilicet quanta vis insit unius vel alterius Patris aut Doctoris proprio placito; dein quanta, si plures consentiant, contradicentibus vel certe tacentibus aliis: demum quanta, si omnes unanimi velut calculo, concordique sententia in unam aliquam doctrinam conspirent. Hæc porro vel circa res versatur ad fidem & dogma Catholicum pertinentes, vel circa ejusmodi, quæ fidei dogmata non sunt, nec ex his derivantur, sed citra jacturam pietatis a rudibus æque ac doctis ignorari possunt. Jam si postremum hoc contingat, & Patrum auctoritas seu paucorum seu plurium ad ea stabilienda in medium afferatur, quæ solius naturæ lumine ac intellectus acie facem præferente investigari solent, certa firmaque argumenta non suppeditat, sed tantum duntaxat roboris habet, quantum inest rationibus, quibus horum Patrum & Doctorum placita innituntur, ita quidem, ut si ejus pondus solum inveniatur probabile, argumentum inde non nisi probabile; si demonstrativum, argumentum, quoque convinces prodire censendum sit. Quamvis enim e sacris scriptoribus quidam non in Scriptura modo & aliis, quæ ad Christianam pertinent disciplinam, verum etiam in his, quæ

Philo-

Philosophi tum de natura tum de moribus docuerunt, probe fuerint exercitati, longe tamen plures eorum vel tædio rerum Philosophicarum laborantes, vel altiore spiritu intus agente ad sublimiora festinantes se totos sacrarum Literarum studio dederunt, ac divinorum mysteriorum se immerserunt Oceano, parum soliciti, quid dicerent, docerentve Peripatetici, Stoici, aut Platonici. Ita D. Hieronymus, Vir cæteroquin omni eruditione conspicuus, de se ipso (b) fatetur:
„ Plusquam quindecim anni sunt, ex quo
„ in manus meas nunquam Tullius, nun-
„ quam Maro, nunquam gentilium lite-
„ rarum quilibet Auctor ascendit; & si
„ quid forte inde, dum loquimur, ob-
„ repit, quasi antiqui per nebulam som-
„ nii recordamur . . . . Quotusquisque
„ nunc Aristotelem legit? quanti Plato-
„ nis vel libros novere, vel nomen? vix
„ in angulis otiosi eos senes recolunt.
„ Rusticanos vero & Piscatores nostros
„ totus orbis loquitur, universus mun-
„ dus sonat „. Quodsi vero de iis sermo sit, quæ sacra quidem sunt, & Ecclesiæ moribus informandis apta, ad fidem tamen non pertinent, nec ex fidei principiis

(b) *In Procem. Comment. l.* 3. *super epist. ad Galat.*

cipiis deducuntur, in talibus non solum plurium, sed etiam commmunis Patrum consensus argumentum præbet, licet probabilissimum, non tamen certum, nec veritatem fide tenendam proponit. Probabilissimum dico, quum pro tantorum totque Virorum pietate ac doctrina eminentium sententiis stet fortissima veritatis *præsumptio*, ut Jura loquuntur, & quædam ab errandi periculo veluti securitas. Patres quippe in hujusmodi controversiis, nullo fidei vinculo ligatis, sed opinantium libertati relictis disputantes non loquuntur ut Custodes Traditionis, neque ut Testes doctrinæ Ecclesiæ (quorum tamen utrumque ad Ecclesiæ Doctoris, & sancti Patris munus pertinet) sed tanquam privati doctores, proprii sensus ac ingenii ductum sequentes, qua in re contra erroris periculum non sunt privilegio muniti, nec certum in manibus pignus veritatis circumferunt.

Jam vero quid sentiendum de rebus ad fidem & sacras Literas spectantibus? rursus distinctioni locum fieri necesse est. Primo quidem nec unius nec plurium, e SS. Patribus auctoritate munita doctrina satis firma esse potest, licet probabilitate non careat. Nullus enim S. Pater extra consortium cæterorum

rorum eo, quod vocamus, *infallibilitatis* dono est instructus: non naturæ beneficio, quum omnis homo errori obnoxius sit, immo si Apostolo credimus, omnis homo mendax: non Christi promisso, quum hic nulli privato, etiam Ecclesiæ Doctori, sed soli Ecclesiæ ejusque Capiti tam insigne donum pollicitus fuisse legatur. Sane SS. Patrum quisque, si a reliquis separetur, humano duntaxat spiritu, non adsistente divino loqui censetur, quum exploratum habeamus, aliquos aliquando etiam in eo errorem commisisse, quod postea ad fidem pertinere declaratum fuit. Erat qui hæreticorum baptismum iterandum esse censuit: erat, qui a Christi corpore omnem pœnæ sensum & dolorem exulare jussit: erat, qui dogma Chiliastarum est amplexus, docentium post universalem anastasin Christum per mille annos regnaturum in terra cum Sanctis: erat, qui pie defunctorum animas usque ad Christi Judicis adventum vera felicitate ac Dei visione spoliavit &c. Errarunt igitur isti, suoque exemplo monstrarunt, etiam soles Ecclesiæ a maculis non semper esse immunes. Absit tamen, ut quisquam propterea existimet, libere carpi posse SS. Patres; aut censura eos notandi potestatem sibi arro-

 get,

get, uti tam liberaliter quam impudenter fecere Dupinus, Clericus, aliique male feriati Critici prioris ævi. Viri pietate ac doctrina conspicui, si quem SS. Patrum aliquid minus recte scripsisse deprehendant, id benigne reverenterque interpretari consueverunt; ipsis vero aperte, ubi necessitas non cogit, contradicere non audent. Sed quid si major pars eorum in re fidem non adtingente concordaret, pauci vero vel unus tantum doctrina & ingenio præcellens dissentiret? respondeo, in hoc quoque rerum articulo ex plurium illorum suffragio atque consensu argumentum solum probabile nasci, præberique indicium satis certum, materiam illam extra fidei sphæram esse positam, hacque illæsa in utramque partem disceptari posse. *Nam alia sunt*, ait D. Augustinus (c) *in quibus inter se aliquando doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius.* Ita multi SS. Patrum, uti Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius M. Damascenus, & alii docent, universum hoc, & quidquid ambitu suo continet, non simul eodemque tempore, sed sex dierum inter-

(c) *L. 1. contra Julian. c. 6.*

intervallo fuisse productum: nec tamen hoc est fidei dogma, quum contrariam opinionem auctoritate sua tueatur D. Augustinus.

## XL.

Venio quasi per ambages ad unanimem SS. Patrum consensum, de quo tandem illud dicere fas est, quod, si de sacrarum literarum expositione, aut re ad fidem & bonos mores pertinente agatur, argumentum præbeat Theologo ad adsertiones suas corroborandas omnino certum & falli nescium. Hoc ut ostendam, inprimis Paullum audiamus ita scribentem (d): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi . . . . ut non jam simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ . . . ad circumventionem erroris.* Hucusque Paullus. Quinam vero sunt Pastores illi ac Doctores, quos Deus Ecclesiæ dedit? Profecto non alii, nisi Patres, Prophetarum & Apostolorum temporibus viciniores. Si jam hi simul omnes, toto licet orbe diffusi, una-

(d) *Ad Ephes.* 4.

unanimi tamen consensu conspirantes in fidei dogmate aliquo, errori essent obnoxii, docendo credendum esse, quod non est; aut quod est, non esse credendum, quis non videt, sic eos non solum non fore datos ad ædificandum Corpus Christi, quod est Ecclesia, & ad prohibendum, ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ, verum etiam ipsi misere fluctuarent errarentque, immo fidelibus tanquam populo Dei, qui doctrinam suorum Pastorum & Doctorum (inter se scilicet consentientium) sequi tenetur, erroris caussa forent. Hac autem ratione istis errantibus, Deo auctore erraret ipsa Ecclesia, quum Doctores sibi a Christo datos sequeretur, ac in SS. Codicum intelligentia & fidei doctrina illorum vestigiis insisteret. Præterea si communi Patrum consensui vim eam, quam dixi, ac robur eripiamus, plane actum erit de auctoritate Traditionis, cui tamen parem Scripturæ ad probandum, certamque virtutem inesse alio in loco audivimus. Non enim aliunde apertius, quam ex Veterum Patrum testimoniis plerasque Apostolicas Traditiones haurire licet. Doctrina enim Patrum & Traditio tam arcto inter se vinculo cohærent, ut quisquis horum unum labefactare tentaverit, alterius quoque fidem

fidem concutiat, necesse est. Denique ut alia validissima rei hujus argumenta prætercam, hæc SS. Patrum idem sentientium auctoritas achilles ille fuit, quo Ecclesia in Conciliis congregata & hæresum errores profligavit, & Catholicæ veritatis doctrinam stabilivit. Ita in Chalcedonensi Concilio conclamatum olim : *Hæc est fides Patrum* &c. in Concilio Viennensi dictum a Clemente V. *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationes aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus* &c. Ita Justinianus Imperator sacrum in Concilio Constantinopolitano Senatum affatus: *Sequimur*, ait, *SS. Patres & Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, id est, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nissenum, Ambrosium, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem, & omnia quæ ab his fide recta & ad condemnationem hæreticorum conscripta & exposita sunt, suscipimus.* Ita Tridentinum (e) sub anathematis pœna prohibuit: *Ne quis Scripturam Sacram contra unanimem SS. Patrum sensum interpretari audeat.* Hunc autem unanimem Patrum consensum non ea, qua mathema-

(e) *Sess.* 4.

thematici solent, accuratione debemus æstimare, sed eo, qui in rebus moralibus usuvenit, modo, scilicet ut sit consensus omnium, vel fere omnium. Cardinalis Perronius in erudita ad Majoris Britaniæ Regem responsione: *Tunc*, ait, *unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, quum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiant, ita ut inter illos nemo, qui semper Orthodoxus, semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.* Sed originem ac fontem petis, ut ostendatur, unde manet Patrum consentientium *infallibilitas?* Sunt qui Patribus, uti Canonicis Scriptoribus, adsistere velint Spiritum S. atque ideo linguam eorum ceu *calamum scribæ velociter scribentis* (f) errare non posse, ductore nimirum hoc Spiritu. Verum non est necesse, Patres æquare Scriptoribus Canonicis. Sunt qui confugiunt ad revelationem aliquam, qua caveatur, unquam esse futurum, Deo peculiariter providente, ut Patres in errorem consentiant. Sed de hac revelatione non satis constat. Ratiocinantur alii probabilibus, qui talem ac tantam nubem laudatorum Testium ajunt esse sufficiens argumentum, ut ipsis certissima fides adhibeatur. Sed neque hac ratioci-

(f) *Psalm.* 44.

ciocinatione opus habemus post solemnem Ecclesiæ approbationem, quæ Patres sequitur, & declaravit sequendos. Hunc fontem nobis velut digito monstrat Martinus I. dum in Concilio Lateranensi (g) definit: *Condemnatum esse & alienum sanctæ Dei Ecclesiæ, quisquis non susceperit verbo & mente Venerabiles Patres, cunctaque, quæ ab illis pro fide orthodoxa exposita sunt, in destructionem omnium hæresum:* citatque in eam sententiam verba Concilii Oecumenici V. idem definientis.

## §. II.

## *Ratio, altera basis Theologiæ.*

### XLI.

### *Querelæ Patrum adversus Rationem.*

Auctoritas & Ratio sunt geminæ velut sorores, quæ indissolubili nexu conjunctæ perpetuo famulantur sacræ scientiæ: ut olim Martham & Mariam ministrasse Christo legimus (h), illam agendo, hanc contemplando. Id ipsum in fidei ac morum negotio, quod præcipuum est Theologiæ, videtur mihi contingere, ita ut merito auctoritas adversus eos, qui violenta velut manu a sororis

(g) *Consult.* 5. (h) *Luc.* 10.

roris latere rationem abſtrahere conantur, conqueri poſſit iis, quibus Martha verbis: *Domine, non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.* Fuerunt nihilominus, ſuntque adhuc nonnulli male feriati, qui Auctoritatis & Rationis divortium in Theologiam invehere machinantur auctoritate ſola Scripturæ ac Patrum agendum heic eſſe cenſentes, nullum contra rationi ſeu *ſpeculationi*, ut vocant, locum eſſe concedendum exiſtimantes; quique ut opinioni ſuæ pondus aliquod addant, integra ſententiarum, quas male intellectas e SS. Patrum libris colligunt, plauſtra ſolent advehere. Tale eſt celebre illud dictum S. Dionyſii, quod Doctor Angelicus citat (i): *Nemini committendum eſſe, uti dicat, ac vel cogitatione quidem tractet aliquid de ſuperſtantiali, & arcana Deitate, præter illa quæ divinitus nobis e Sacris Scripturis declarata ſunt.* Baſilius quoque in Homilia contra calumniatores Sanctæ Trinitatis: *His quæ ſcripta ſunt, crede* inquit, *quæ non ſunt ſcripta, ne quære.* Caſſianus vero (k): *Ubi de Deo agitur, nulla re Divinitas melius, quam ſuis teſtibus approbatur.* Cyrillus item Hieroſoly-

(i) 1. *p. q.* 39. *a.* 2. (k) *L.* 2. *de incarnat. c.* 3.

solymitanus (l) scribit: *Oportet de divinis ac Sanctis fidei mysteriis ne tantillum quidem tradi sine sacris literis; neque simpliciter probabili rerum specie ac verborum artificio in transversum abripi.* Atque ut Cyrillus alter, nempe Alexandrinus (m), perhibet: *Impie faciunt, qui ea quæ supra mentis captum sunt, miserarum ratiuncularum inventis temere ac stulte examinare contendunt.* Gregorium quoque Nazianzenum adducunt testem (n), dum ait: *Disciplinam nostram esse Pythagoricam, eo quod apud Pythagoræos tantum auctoritas præjudicata poterat, ut sine ratione valeret, atque sufficeret dicere: Ipse dixit.* Quin & Hieronymum (o), qui negat Evangelii Doctores humanæ ratiocinationis præsidiis niti debere, *quia hujusmodi*, ut inquit, *virga & baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, & manum perforat incumbentis.* Alibi vero (p) de verbis Dei humano sensu argumentari dicit esse sacrilegum. Præ reliquis vero Epiphanium adversus Aetium differentem in theatrum producunt: Quod non revelat Deus Pa-

(l) *Catech.* 4. (m) *Dial. de Trinit.* (n) *Orat.* 1. *in Julian.* (o) *In cap.* 10. *Matth.* (p) *In Cap.* 31. *Jerem.*

Patrem & Filium per Spiritum S. his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur. Item Ambrosium (q) dicentem: *Removenda sunt argumenta, ubi quæritur fides, & credimus Piscatoribus, non Dialecticis.* Nec non S. Leonem M. (r) alta nimium voce clamantem: *Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.* Quare concludunt, qui humanas in Theologiam rationes invehunt, hi divinæ revelationis participes esse non possunt.

## XLII.

### *Origo Querelarum.*

Verum antea, quam Sanctorum Patrum sententias, quas severiore calamo, ut prima fronte videri potest, adversus rationem in Theologicum forum irrumpentem profuderunt, benignius interpretandi locum faciam, lubet ipsam inspicere originem querelarum, quibus rationis ac Philosophiæ, præsertim Dialecticæ dominatum, quem in sacræ hujus disciplinæ regno adfectare videbatur, impetiverunt nonnulli SS. Patrum. In primis fateri oportet, vix uno alterove post Christum natum

(q) *Hæresi 76.* (r) *Serm. 7. de Nativ. Dom.*

tum seculo corruptam fuisse Christianæ fidei simplicitatem integritatemque ab iis, qui Philosophorum in scholis eruditi rationum subtilium laqueos & argutias in eam invexerunt; quumque fidei ac theologiæ nimis magna sit affinitas, eadem labes, quæ a Philosophis istis fidei doctrinæ fuit aspersa, in Theologiam redunda sse visa est. Præ reliquis majorem conquerendi occasionem præbuit quibusdam Patribus de fidei conservandæ puritate solicitis Philosophia Platonis, quum primorum temporum hæreses fere omnes a Platonicis inventas excultasque fuisse, aut ex eorum fabulis consutas deprehenderint, similitudine quadam illius sectæ cum Christiana minus cautos decipiente, uti non raro vitri aut metalli similitudo cum gemma vel auro facile in errorem inducit. Et re ipsa priscarum omnium hæresum, quæ primis tribus seculis exortæ fuerunt, historia palam facit, Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos ac cæteros non aliunde, quam ex commentis Platonis subornatos esse ad fabricanda illa errorum monstra, ad quæ debellanda SS. Patres illi arma stringere coacti fuerunt. His vix bene domitis posterior ætas alios progenuit hæreticos, qui ex Aristotelis Philosophia tanquam e pharetra de-

promtis subtilium quarumdam argumentationum telis vel sacram fidei doctrinam impetivere, vel sophismatum sordibus ejus fœdarunt integritatem. Facem hac in re prætulisse cæteris fertur Arius, nefariæ sectæ conditor, sophistica illa disputandi calliditate ad orbem decipiendum usus, de quo Socrates (s) testatur, quod dialectica loquacitate & astutia supra modum præditus fuerit, & Sozomenus (t): *Acerrimus* inquit *Dialecticus cum esset* (Arius) *atque istiusmodi disciplinis imbutus, in absurdos errores delapsus est.* Nihilo melior Ario fuit Aetius, atque hujus scriba & discipulus Eunomius, a quibus duobus Anomæorum fæda colluvies manavit. Certe de Aetio prodit Epiphanius (u) eum jam ætate grandiorem, quum exterarum rudis esset artium, tandem Alexandriæ Aristotelico cuidam Philosopho & Sophistæ operam dedisse, a quo illorum scilicet Dialecticam edoctus, totus in id per otium incubuit, ut divini Verbi rationem omnem figuris quibusdam explicaret: Eunomium vero Ruffinus (x) arte Dialectica præpotentem nominat. Istorum igitur aliorumque importunitate factum est, Platonis & Aristote-

(s) *L.* 1. *Hist. c.* 5. (t) *L.* 1. *c.* 15. (u) *Hæresi* 76. §. 2. (x) *L.* 1. *Hist. c.* 25.

ſtotelis placitis peſſime abutentium ad errorum ſuorum patrocinium & veræ fidei exitium, ut apud primos illos fidei Tutores ac Defenſores male deinceps audiret non ſolum ratiocinandi ars, ſed univerſa propemodum Philoſophia, cenſereturque graviſſimo Patrum horum judicio a Chriſtiani orbis ac Religionis Catholicæ finibus penitus proſcribenda. Unde Tertullianus (y) „ Inferunt, inquit, Ariſtotelem, qui illis dialecticam inſtituit, „ artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionem, moleſtam etiam „ ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid „ omnino retractaverit. „ Tum citato illo Apoſtoli ad Coloſſenſes capite ſecundo de cavenda Philoſophia ſubjungit. „ Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? „ quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio „ de porticu Salomonis: qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate quærendum. Viderint, qui Stoicum & „ Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. „ Fauſtinus quoque antiquus ſcriptor adverſus Arianos velut inſul-

(y) *Lib. de præſcript. c. 7.*

insultando ait: *Ubi nunc sunt impia illa vestra sophismata, quæ Aristotelis Episcopi vestri magisterio didicistis?* Non minus Ambrosius (z) „ Elaborandum est, ait, „ ut in hoc seculo stulti simus; nihil nobis cum Philosophia, ne fidem nostram „ per elementa mundi hujus traducat a „ vero . . . sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus . . . Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem &c. „ Neque priscorum duntaxat temporum ac Patrum Antiquissimorum, ut ita dicam, invidia premebat Philosophiam, & litigiosam in rebus fidei ratiocinandi methodum: recentiora deprehendere licet vestigia. Profecto infamiæ nota illi fuit inusta in Concilio quodam Parisiensi, Philippi Augusti Francorum Regis tempore an. 1204. celebrato, de quo Rigordus (a) his verbis meminit: „ In diebus illis legebantur Parisiis libelli „ quidam, ab Aristotele ut dicebantur „ compositi, qui docebant metaphysicam, „ delati novo a Constantinopoli, & a „ Græco in Latinum translati; qui quoniam non solum prædictæ hæresi (scilicet Almarici, qui post obitum cum asseclis suis damnatus fuit) sententiis subtilibus occasionem præbebant, imo &

„ aliis

(z) *Ad Psalm.* 118. (a) *In lib. de gest. Philos.*

„ aliis nondum inventis præbere poterant
„ jussi sunt omnes comburi, & sub pœna
„ excommunicationis cautum est in eo-
„ dem Concilio, ne quis eos de cætero
„ scribere, legere, præsumeret, vel quo-
„ cunque modo habere. „ Sed ne tunc quidem finis querelarum fuit & odii adversus hanc scientiam apud rerum æstimatores non satis æquos, donec Doctor Angelicus D. Thomas Philosophiæ, præsertim Aristotelicæ, patrocinium in se suscepit, non solum doctissime in eam commentando, verum etiam genuinam philosophandi methodum ad sacram doctrinam dexterrime simul ac felicissime transferendo, Scripturæ Patrumque auctoritati rationem & argumentationem pulcherrime conjungens. Quo demum modo factum est, ut perspecta rei summa utilitate cessaret querimonia vetus eorum, qui metaphysicis ac dialecticis contentionibus, & subtilium quæstionum disputationumque laqueis & ambagibus totam clamabant fœdatam & adulteratam esse Theologiam, atque in Sophisticam transiisse versutiam, pristina gravitate majestateque deperdita.

## XLIII.

## *Usus Rationis per singula Secula.*

Inspecta origine querelarum videamus modo, num re ipsa, ut multi jactant, adeo inimici fuerint SS. Patres, & antiqua Ecclesiæ lumina Rationi ac Dialecticæ, eamque a regni Theologici finibus procul arcendam esse censuerint. Nihil heic dicam, quod primi illi Theologi Apostoli, quin ipsa Veritas æterna vario argumentationum genere, ratiocinationibus & syllogissimis tacitis in sacra sua Theologia non raro usi fuerint, uti patet e testimoniis Capite secundo §. IV. de Theologia supernaturali Novi Testamenti adductis. De SS. Patribus illud polliceri ausim, si per singula eamus secula, semper inveniendos esse illorum e numero, qui Rationem ac Philosophiam Theologiæ utilissimam esse qua verbis, qua exemplis demonstrarint. Seculo I. S. Dionysius Areopagita Theologorum velut Antesignanus (b) *de inscrutabili Trinitate, in qua oportet*, ait: *ob omnium causas omnium entium affirmationes statuere, ac de ea affirmare: quin illos ipsos omnes de ea magis proprie negare, tanquam super omnia superexistente, nec exi-*

*sti-*

(b) *Theol. Mystic. cap.* I.

*stimare negationes esse contrarias affirmationibus, sed ipsam multo priorem & superiorem privationibus, esse super omnem & ablationem & positionem &c.* Ecce! Dionysius Vir sublimissimis rebus ac mysteriis velut immersus neutiquam ignoravit, neutiquam ad ea explicanda e Philosophiæ cornucopia promere adhibereque dubitavit ratiocinationes, affirmationes, negationes, privationes &c. harumque ope in profundissimum Trinitatis mysterinm penetrare. Fuit autem Dionysius iste teste Corderio S. J. Theologo (c) primus, qui Scholasticæ Theologiæ jecit fundamenta, quibus cæteri deinceps Theologi eam quæ de Deo, rebusque divinis in scholis traditur, doctrinam omnem superstruxere: in scholis vero utique tradunt Theologi sacram doctrinam ita, ut non solum auctoritati, sed etiam rationi ac dialecticæ locum concedant.

Seculo II. Justinus Martyr teste Eusebio (d) librum conscripsit. de Monarchia Dei, *quem non modo e nostris, sed & gentilium scripturis composuit.* Et in Dialogo cum Tryhphone uberius explicat, quantum studii Philosophicis disciplinis impenderit Justinus.

Se-

(c) *Observ.* 11. *Bibl. Patr. tom.* 2. (d) *L.* 4. *Hist. c.* 18.

Seculo III. Clemens Alexandrinus (e) *Erat quidem* ait, *ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam; nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem iis, qui fidem colligunt per demonstrationem.* Et (f) *Vera dialectica & Philosophia transcendit ad præstantissimam omnium Essentiam, ad Deum, rerum divinarum scientiam. Merito Scriptura tales nos esse volens Dialecticos sic hortatur: efficiamini autem probi trapezitæ, alia quidem reprobantes, quod autem bonum est, tenentes.* Clementem, ut testatur D. Hieronymus, imitatus est Origenes, ac decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia nostræ religionis dogmata de Platone, & Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmans.

Seculo IV. Basilius M. velut ævi nostri Vates (g) ita loquitur: *Artis Dialecticæ facultas murus est propugnandis dogmatibus apprime opportunus, non sinens ea in diversam partem facile abripi, aut in totum intercipi ab his, qui ea vellent evertere. Ob hoc quidem muri Hierusalem in manibus Domini descripti sunt.* Ævo & ani-

(e) *L. 1. Stromat.* (f) *ib. l. 6.* (g) *in c. 2. Isaia.*

animo conjunctissimus Basilio Gregorius Nazianzenus (h) celebrat eum tanquam Philosophicis artibus insigniter imbutum, præsertim partis illius, quæ in Logicis demonstrationibus & concertationibus versatur, quam Dialecticam nominant; in qua adeo excelluit, ut in iis, qui cum eo disputabant, facilius esset e labyrinthis sese extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet. Non minus S. Hieronymus in humanis & Philosophicis literis, studioque dialectices ita fuit exercitatus, ut Alexandri Aphrodisæi in Aristotelem Commentarios e Græco in latinum idioma transtulerit, & Aristotelis Cathegorias, librum Perihermenias, Topica ejusdem, & universam demum Logicam exacte cognoverit. Hujus artis peritia fretus robustissima Vigilantii, Joviniani, Pelagianorum, Ruffini argumenta dissolvit. Vere enim quidquid in seculo est perversorum dogmatum, quidquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, ipsa Dialectica arte subvertitur, & instar incendii in cineres favillasque redigitur, ut probetur, esse nihil, quod putabatur esse fortissimum, teste ipsomet S. Hieronymo (i). Se-

(h) *Orat. in laud. Basil.* (i) *Commentar. in c. 25. Ezech.*

Seculo V. quod D. Cyrillus Alexandrinus, S. Prosper, D. Augustinus, aliique illustrarunt, hi omnes tanto studio Philosophorum doctrinis atque sententiis suos ornarunt libros, ut nescias, quid in iis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum. Eruditissimus Petavius: *quid Cyrillus*, inquit, *Alexandrinus in Thesauris & Dialogis, nec non Commentariis ad Joannem, ac passim aliis in libris instituit, præterquam ut hæreticas fallacias & subtiles argutias eodem disserendi acumine configat?* Augustinus vero, ubi Dialecticæ utilitatem commendat (k), *Philosophi autem*, inquit, *qui vocantur, si qua forte vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.*

Seculo VI. Magnus Aurelius Cassiodorus in laudes artium liberalium Rhetoricæ & Dialecticæ, quas intelligendis rebus sublimioribus, perquam utiles demonstrat, quasi profusus: *Est enim*, ait, *rerum istarum procul dubio, sicut & Patribus nostris visum est, utilis & non refugienda cognitio, quando eam in Literis sacris tan-*

(k) *L. 2. de Doctr. Christ. c. 11.*

*anquam origine generalis perfectæque sapientiæ ubique reperis esse diffusam.*

XLIV.

Seculo VII. Celebris est disputatio S. Maximi cum Pyrrho Monothelita, qui unam duntaxat in Christo voluntatem admitti debere contendit. Hunc ut erroris convinceret, præter alia Scripturæ testimonia illud Joannis capite septimo produxit: *Post hæc ambulavit Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Ex quo syllogysmum e pharetra Dialecticæ depromsit, quo Pyrrhum jugulavit. Nam sic argumentabatur: Christus qua natura ambulabat, eadem voluntate voluit aut noluit ambulare: atqui procul dubio secundum humanam naturam ambulabat: ergo ex humana voluit aut noluit ambulare: ergo in eo datur voluntas humana.

Seculo VIII. S. Damascenus, qui in libris quatuor de fide Orthodoxa Scholasticæ Theologiæ viam Petro Lombardo, cæterisque præivisse visus est, in sua Dialectica seu Logica sic pronunciat: „ Omnis „ artifex aliquibus instrumentis opus ha„ bet ad operum suorum effectionem: „ porro decet Reginam ancillarum qua-

„ run-

„ rundam uti ministerio. Accipiamus „ igitur doctrinas istas (de Philosophia „ & Dialectica loquitur) tanquam veri„ tatis famulas, & impietatem, quæ ty„ rannico dominatu sibi eas usurpaverat, „ procul amandemus; neque bono male „ utamur; nec ad circumveniendos sim„ pliciores convertamus artem illam di„ sputandi „.

Seculo IX. S. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha in Dialogo Orthodoxo, de imaginum cultu conscripto, Iconomachos hoc argumento aggressus est: „ Si non est Christus imaginis suæ pro„ totypon: ergo nec incarnatus est, ma„ netque incircumscriptus infinitate divi„ nitatis suæ; quodsi factus est homo, „ & in nostra natura, & more nostro „ apparuit, cur non tribuimus illi, quod „ omni homini, ut ratio similitudinis „ postulat? „

Seculum X. quo sacræ doctrinæ oracula siluerunt, etiam nobis silentium imponit, nisi quis Leonem VI. hujus nominis Imperatorem Orientis producere velit, qui Philosophus seu Sapiens dictus non raro Theologicis argumentis orationes suas interpolavit, quibus Dei filium Patri æqualem ac *Consubstantialem* adversus Arianos demonstraret.

Se-

Seculo XI. De Sancto Anſelmo teſtatur Mabillonius (l), Sanctum hunc inter Latinos primum fuiſſe, qui materias Theologicas ad formam ſcholaſticam transtulit, & in varios tractatus diſtribuit: ſtilum ipſius non eſſe usquequaque Oratorium, nec usquequaque Dialecticum, quin concisum potius & nonnihil Metaphyſicum. Hujus docti Monachi judicio adſtipulatur quoque doctiſſimus Poſſevinus (m) aſſerens in D. Anſelmi brevibus Opuſculis pene omnia firmis rationibus demonſtrari; quæ poſtea Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum in quatuor voluminibus copioſa SS. Patrum auctoritate confirmavit.

Seculo XII. S. Bernardus non ſine armis Philoſophicis in arena comparuit, quando in Concilio Rhemenſi Gilbertum Porretanum, qui divinitatem rem a Deo diſtinctam eſſe docuit, in maximas anguſtias redegit, ſic argumentando: *Quid eſt Deus? Quo nihil melius excogitari poteſt. Si approbas, non oportet aſſentiaris eſſe aliquid, quod Deus ſit, & quod Deus non ſit. Hoc enim ſine dubio melius. Quomodo non melius Deo, ſi Deus non eſt, quod dat Deo, ut ſit? At melius illam divinitatem,*

(l) *De Stud. Monaſt. p. 2. c. 7.* (m) *In Apparatu ſacro.*

*tatem, qua dicunt Deum esse, non aliud quam Deum esse fatemur. Non est ergo in Deo, nisi Deus.* Ita Bernardus. (n) en! mellifluum Doctorem acerrimum Dialecticum.

Seculo XIII. Fulserunt duo magna illa Theologiæ Scholasticæ Luminaria D. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura. Quantam istorum doctrina ad scholæ leges composita, & præter auctoritatem ratiocinatione vel maxime munita Ecclesiæ Dei utilitatem attulerit, afferatque etiamnum, luce clarius patet e solemni & gravissimo Decreto summi Pontificis Sixti V. quo D. Bonaventuram sanctis Ecclesiæ Doctoribus adscripsit, cujus initium est: *Triumphantis Hierusalem &c.* ubi sic loquitur: „ Denique movet nos Ecclesiæ „ universalis utilitas, quæ ex tanti Doctoris eruditione semper major & uberior capi potest: præsertim cum hæreticorum insidiæ & diabolicæ machinationes, quibus Sacram Theologiam, quæ Scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo oppugnant vehementissime, nos admoneant, ut eandem Theologiam, qua nihil Ecclesiæ Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim illius „ mu-

(n) *L. 5. de Consider. c. 7.*

„ munere, qui solus dat Spiritum scien„ tiæ & sapientiæ, & intellectus, qui„ quique Ecclesiam suam per Sæculorum „ ætates (prout nobis opus est) novis „ beneficiis auget, novis præsidiis instruit, „ inventa est a Majoribus nostris sapien„ tissimis Viris Theologia Scholastica, „ quam duo potissimum gloriosi Docto„ res, Angelicus S. Thomas, & Seraphi„ cus S. Bonaventura clarissimi hujus fa„ cultatis Professores, & primi inter eos, „ qui in Sanctorum numerum relati sunt, „ excellenti ingenio, assiduo studio, ma„ gnis laboribus & vigiliis excoluerunt „ atque ornarunt, eamque optime dispo„ sitam, multisque modis præclare expli„ catam posteris tradiderunt... Et pro„ fecto rem ita se habere ipsimet verita„ tis inimici sunt judices, quibus Theo„ logia Scholastica maxima est formido„ losa: qui profecto intelligunt, apta illa „ & inter se nexa rerum & causarum „ cohærentia, illo ordine & dispositione „ tanquam militum in pugnando instru„ ctione, illis dilucidis definitionibus & „ distinctionibus, illa argumentorum fir„ mitate, & acutissimis disputationibus, „ lucem a tenebris, verum a falso distin„ gui, eorumque mendacia multis præ„ stigiis & fallaciis involuta, tanquam

„ veste detracta patefieri & nudari. „ Quibus quid magnificentius simul ac verius in Theologiæ, Rationem ac Dialecticam, in Auctoritatis consortium admittentis laudem dici possit, sane non video. Reliqua quæ sequuntur secula post Magistrum sententiarum, & laudatos Doctores, Angelicum & Seraphicum, tuto ac impune præterire licet, quum omnibus palam sit, neminem ab eo tempore fuisse Theologum, quin fuerit ante Philosophus, nec ad sacrum Theologiæ connubium fuisse admissum, qui non ratiocinandi ac disputandi methodum seu dialecticæ notitiam, velut amplam e Philosophia dotem secum adtulisset.

## XLV.

### *Defensio Rationis.*

Patet modo, quam non sat firmum e Patrum quorumdaam sententiis contra Rationem ac Philosophiam Theologiæ se immiscentem prolatis argumentum petant Adversarii. Egerunt enim Patres illi, qui Dialecticæ strepitum a foro Theologico procul arcendum esse pronunciarunt, contra eos potissimum, tum qui e Platonis ac Aristotelis Philosophia depromserunt tela, quibus fidei doctrinam impugnarent,

nem-

nempe fraudulentas sophisticæ artes, & argutiarum laqueos, quibus incautos circumvenirent ac irretirent, tum qui e sectarum illarum schola prodeuntes integram & sinceram fidei simplicitatem, & puros Theologicæ doctrinæ fontes sophisticis ineptisque ratiunculis passim corruperunt, contaminaruntque, uti Tertullianus (o) pridem questus est: dicens: *Pulchre quidam nostrorum ait: Philosophi Patriarchæ Hæreticorum Ecclesiæ puritatem perversa maculavere doctrina.* Et egerunt illi Patres eo tempore, quo necdum fat discussis gentilitatis tenebris, firmatisque fidei Christianæ dogmatibus e Platonis, Aristotelis, Epicuri, Porphyrii ac Stoicorum sectis ingens gladiatorum agmen adversus tenerum & imbecillem adhuc Christianorum gregem in aciem prodiit. Conciliemus igitur debita cum reverentia SS. Patres a se invicem dissidentes, si tamen dissideant: utraque enim pars suo modo ac sensu verum sapit. Quippe multum interest, quatenus & quo ordine ac modo ad fidei ac theologiæ negotium Philosophia & ars dispu-tandi adsumatur. Duplex certe ratio occurrit, qua vitiose id fiat. Prima est illarum usus malus, ut dixi, ac pestilens, quum

(o) *Lib. de anima. c.* 3.

quum ad fidem ſic admoventur, ut ei præeant, ipſa vero ſubſequatur; quod tunc agitur, quum ſola credendi ratio in humana ſapientia & dialectica conſtituitur, adeo ut nulli adſentire dogmati libeat, quod ex ſola auctoritate conſtat, niſi humana ratione capi, probarique poſſit. Ratio ancilla eſt: Fides Domina, neque illi fas eſt, in hanc imperium quoddam ſibi affectare. Quod ſi faciat, & contra fidem auctoritatemque inſoleſcat, ejiciatur ancilla hæc foras inſtar Agar Ægyptiæ, quæ poſtquam Abrahami amplexibus frui licuit, dominam ſuam Saram contemptui habere cœpit: neque rurſus in domum prius admiſſa eſt, quam obedire didicit ac ſubeſſe, dicente Angelo: *Revertere ad domum tuam, & humiliare ſub manu illius* (p). Altera cauſſa eſt, quæ Veteres Philoſophiæ ac potiſſimum Dialecticæ iniquiores reddidit, quod Sophiſtæ quidam tam gentiles quam hæretici itentidem ad ligitia & contentiones deſcenderint, ad circumveniendos rudes, aut minus quam iſti erant, verſutos & callidos, atque ad fidem Chriſtinam & Catholicam evertendam, quod una ex parte in Arianis, Aetianis, & Eunomianis, ex altera vero in Chriſtianis Docto-

(p) *Geneſ.* 16.

Doctoribus contra illorum fraudes vigilantibus jam supra observavimus. His demptis duabus caussis nihil erit moræ, quin Patres in concordiam redeant, & Rationi ac Philosophiæ convenientem in Comitiis Theologicis locum & sedem (inferiorem tamen illa, quæ fidei & auctoritati sacræ debetur) ultro concedant.

Hactenus auctoritate Patrum ultro citroque pro Ratione in antiqua sua possessione conservanda actum est; nunc agemus ratione. Mirum profecto est, ut quæ omnium hominum communis laus est *ratiocinari*, hoc ipsum solis Theologis vitio a quibusdam vertatur. Humanitatem certe Theologo tentat eripere, quisquis naturali vi argumentandi spoliare ipsum conatur. Quodnam discrimen erit non dico inter Theologum & rusticum, sed inter Theologum & brutum, aut trunum, si rationis usum, quem ipsi cum cæteris natura communem esse voluit, auferat aliena nescio invidia vel nequitia? volumusne Theologum, qui solum divina calleat, in humanis autem erret, cæcutiat, hallucinetur? Sed neque divinorum scientia, neque fides ipsa diu tuta persistet in Theologo, si herculi huic doctrinæ ac rationis clava e manibus ex-

torqueatur; aut ſane fides ſublata Philoſophia & diſputandi poteſtate in ſanctam ruſticitatem migrabit, quæ ut Hieronymus ad Paulinum ſcribit, quantum prodeſt vitæ merito, tantum ſimplicitate nocet, ſi adverſariis non reſiſtat: *error enim, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum non defenſatur, opprimitur* (q). Ipſum quoque Theologiæ nomen, immo rem totam everſum it, quisquis ratiocinandi facultatem auferre cupit. Theologia enim, ſi nominis etymon inſpiciamus, ſermo ratioque de Deo, ſi rem ipſam, divinarum rerum ſcientia eſt. Ratio autem ſine ratione chymæra eſt, & ſcientia teſte Ariſtotele ſine argumentatione ac ſyllogiſmo fruſtra quæritur. Quod etſi verum ſit de omni ſcientia, veriſſimum tamen ac certiſſimum eſt de illa ſcientia, quam Scholaſtica Theologia profitetur. Quippe ut e paullo ante producto Sixti V. Pont. Max. graviſſimo Decreto intelleximus, divino munere illius, qui ſolus dat Spiritum ſcientiæ & ſapientiæ, inventa eſt a Majoribus noſtris ſapientiſſimis Viris Theologia Scholaſtica adverſus hæreticorum inſidias & diabolicas machinationes, quibus ſanctam fidem, & avitam religionem oppugnant. Contra hunc autem

(q) *Can. Error.* 3. *diſt.* 83.

tem Goliathum parum vel nihil proficiet Theologicus David, si lorica & Saulis indutus armis in aciem progrediatur, id est, sola auctoritate Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum ac Ecclesiæ definitionum. Scripturam enim ad pravum sensum suum detorquere norunt optime hostes fidei nostræ, ac prout familiaris ille privatus Spiritus iis suggerit, in rem suam interpretari: non raro Scripturam Scripturæ opponunt, & clavum clavo pellere satagunt. Erga SS. Patres vero & Concilia pridem omnem exuerunt reverentiam, cujus rei triste monumentum reliquit Lutherus (r) dum ore ac calamo impudentissimo hæc verba effudit: *Non curo mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias &c.* Et alibi blasphemat potius quam scribit (s): *Patres omnes in fide errasse, & nisi ante mortem resipuerint, æternum periisse:* Funda igitur Davidis & lapidibus de torrente opus est ad sternendum Goliathum hunc: valida scilicet dialecticæ artis manu rotandæ sunt rationes, & torquendæ in hostis caput argumentationes demonstrationesque, queis scripturæ sensum, quem Eccle-

(r) *Tom.* 2. *edition. Wittembergens. fol.* 158.
(s) *Fol.* 434. *edit. an.* 1557.

Ecclesia illi tribuit, admittere, SS. Patrum dictis & Conciliorum placitis fidem adstruere, suamque exuere pertinaciam cogantur. Præterea Theologiæ munus proprium est, divinis mysteriis fidem conciliare apud Ethnicos, Gentiles, & Atheos, quod qua ratione fieri possit sine ratione in auxilium vocata, non dispicio. Duo enim reperire est in fide: *revelationem* divinam, & rem revelatam. *Revelatio* autem nec sui ipsa interpres est, nec habent Theologi ad manum virgam illam Mosis tot prodigiis claram, quibus obstinatum Pharaonis cor tandem expugnent. Superest igitur, ut argumentando ac ratiocinando *revelationi* fidem faciant. Quod vero ad res revelatas spectat, si rationem non superant, quid vetat, robur eis aliquod & firmamentum ex ratione accersere: si sunt supra rationem, proderit mitigare difficultatem probabilibus conjecturis, eaque popularibus, ut solebant Patres, similitudinibus explicare.

Memorabile in rem nostram factum est Paulli Gentium Apostoli, & præclarissimi Theologi, quod S. Scriptura (t) his verbis describit: *Paulus autem dum Athenis eos* (scilicet fratres suos) *expectaret, incitabatur Spiritus ejus in ipso, videns ido-*

(t) *Act.* 17.

*idololatriæ deditam civitatem. Disputabat igitur in Synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.* Ecce! Paullum absque induciis disputantem tam cum idololatris quam cum Judæis. Brevi post in Areopagum deductus: *Stans in medio Areopagi ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video: præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat:* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Ecce! Paullum obvia occasione utentem, & ex ignoto Deo Deum notum facientem pulcherrima ratiocinatione philosophica, quæ sequitur: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: ipsius enim*

*& genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro & argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum esse simile.* Ecce! Paullum urgentem ac instantem: *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in Viro, in quo statuit, fidem, præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Ecce! Paullum post longiorem argumentationem ad doctrinæ suæ scopum, scilicet fidem in Christum a mortuis suscitatum, denique pervenientem, ac optime concludentem. *Sic Paullus exivit de medio eorum:* & sic cum Paullo exire deberet Theologus e medio Auditorum. Dicam jam aliquid amplius: non solum Theologiæ munus est, veram fidem demonstrare Paganis, eamque tueri contra hæreticos, sed etiam inter Catholicos integram illibatamque servare. Contingit autem non raro, ut revelata sit rei substantia, modus vero dubius maneat & incertus, quamvis eum scire plurimum intersit Reipublicæ Christianæ. Rem exemplis declaro: Certum fidei dogma est, Deum omnia scire, æternaque voluntate ac sapientissima cuncta decernere: qua vero ratione hæc Dei

*præ-*

*præscientia* hominis libertatem non evertat, illiusque Decreta hujus voluntati vincula non injiciant, heic Rhodus, heic Saltus. Non minus fides nos docet, Dei filium humanam carnem induisse: qui vero id fieri potuerit absque mutationis ac commixtionis labe in simplicissima Dei natura: quomodo duæ naturæ cum una persona, unaque persona cum duabus voluntatibus eodem in *supposito* cohabitare queant, non ita promtum est explicare; quin multiplicis hæreseos origo fuit. Revelatum est, hominem esse liberum, stare cum gratia efficaci libertatem: incertum tamen est, quemadmodum stet. Varias concordiæ vias excogitarunt varii Doctores Catholici, sed adhuc inter eos discordiæ pomum superest, quis altero melius & fidei principiis convenientius hunc difficultatis nondum solvat. Porro veritas sacris contestata literis est, Deum serio velle, ut omnes omnino homines salvi fiant: quo autem modo seria possit esse aut dici voluntas hæc divina, si subtracta efficaci gratia solum mere sufficientem, seu quam prævidet nunquam cum consensu fore conjungendam, concedat, rite explicare res magni moliminis est. Taceo alia plurima, de quibus in foro Theologico disceptatur, & quamvis de fide non sint, tamen ad fidei doctrinam plurimum con-

conferunt. Illud solum peto, qua ratione de his & similibus bene judicare ac recte sentire possit Theologus, nisi in Dialecticæ palæstra probe sit versatus? nisi ratiocinando disputandoque velut Mosis virga e *contradictionis petra* salutarem veritatis aquam eliciat? Itaque ut paucis omnia comprehendam, Rationis ac Philosophicæ disciplinæ adjumento destitutus nec hominis officium implere, nec Theologici nominis sustinere dignitatem, nec rem ipsam & fidei dogmata, ut par est, tueri poterit. Atque hoc est, quod pridem in acerrima disceptatione illa, quam refert Petavius (u), Emanuel Calecas Græcus Nicephoro Gregoræ, similiter Græco ac infensissimo Latinorum & Theologiæ cum Dialectica fœderatæ hosti palam objecit: „ Qui syllogismos & argumenta- „ tiones penitus excludit a Theologia, „ primum id, quod humanæ naturæ pro- „ prium est, & hominum inter se collo- „ quium & communionem tollet e me- „ dio; tum Beatum Paulum redarguet „ reprehendentem illos, qui ex aspecta- „ bilibus rebus de Deo ratiocinari mini- „ me potuerunt, & ex Creaturis agno- „ scere Creatorem. Vitio id etiam ver- „ tet Theologis, sive de iis, quæ ad hy- „ posta-

(u) *Prolegom. c. 5.*

„ postases attinent, sive de divinis Pro-
„ cessionibus disputantibus. Quin ipsius
„ Salvatoris sententiam labefactabit, qui
„ scrutari Scripturas jubet. Perspicuum
„ est enim, eum qui Scripturas perscruta-
„ tur, nonnisi argumentando legere. . . .
„ Adhæc sibi ipsi quoque contrarius ille fue-
„ rit. Nam quæ contra argumentationem
„ dicit, ea nonnisi argumentando loqui-
„ tur. „

# *CAPUT IV.*

## OECONOMIA THEOLOGIÆ POSITIVÆ.

### XLVI.

### *Præfatio.*

Theologia *Positiva*, quam alii *Scripturalem* vocant, varios Sacræ Scripturæ locos interpretatur, diversos sensus explicat, & doctrinam fidei morumque in iis contentam exponit. Hæc non innititur principiis, quæ ulteriore indigeant probatione, sed quæ fide divina creduntur, cujusmodi sunt, quæ ex Verbo Dei scripto vel etiam tradito, nobisque per Ecclesiam proposito in medium adferuntur-

runtur. Est enim Dei Verbum *fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, ultra quod nemo potest aliud ponere* (x). Agit autem de S. Scripturæ existentia, de numero SS. librorum, eorum argumento, auctoribus & Interpretibus, de summa illorum auctoritate, variis editionibus, multiplici sensu, & genuina expositione, deque quibusdam locis in Scriptura controversis. Antiquissimum est hoc studii sacri genus, sive spectemus ad primos Interpretes, id est, ipsos sacrorum librorum Scriptores, qui absque dubio ea, quæ succincta methodo scripserunt, fideli populo suæ curæ commisso pluribus explicarunt: sive ad illos, qui Scripturis jam plene constitutis in eas uberius sunt commentati. Quod enim adtinet ad Vetus Testamentum, Moses Prophetarum Sanctissimus & Deo perquam familiaris initium dedit scribendo Pentateuchum: reliquorum librorum Scriptores fuerunt e Judicibus Josue & Samuel: e Regibus David & Salomon: e Prophetis Gad & Nathan, Ahias & Addo: e Prophetis, quos majores dicunt: Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel: e minoribus Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sopho-

(x) *Ad Ephes.* 2.

phonias, Baruch, Aggæus, Malachias; ex aliis celebrioribus Viris Job Hussita (ut aliquibus placet) Tobias Senior & Junior, Eliachim Pontifex, Esdras Sacerdos, Nehemias, Mardochæus, Jesus Sirach, Joannes Hircanus Summus Sacerdos, & Jason Cyrenæus. Libros autem hujus Veteris Testamenti velut ex officio Sacerdotes, Scribæ, ac legum periti in cœtibus, scholis, & Synagogis ac Templo frequenter & copiose sunt interpretati, quemadmodum legimus in Actibus Apostolorum (y): *Moses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Et Christus ipse annos natus duodecim *in Templo sedebat in medio Doctorum, audiens illos & interrogans eos*, scilicet de lege veteri disputantes (z). Novi Testamenti libros conscripserunt ex Evangelistis Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes: ex Apostolis Petrus, Paullus, Jacobus minor, Judas Frater Jacobi.

Quamprimum autem ingens Interpretum, qui & novi & veteris Testamenti libros illustrarunt, numerus se se prodidit, inter quos Patres plerumque homiliis, Doctores alii commentariis, Scholastici etiam

(y) *Act.* c. 15. (z) *Luc.* 2.

etiam disputationibus usi sunt. Maxime vero omnium promovit & stabilivit Theologiam Positivam, de qua loquor, ejusque studium Sacrosanctum Concilium Tridentinum, dum (a) summa cum solicitudine auctoritateque Episcopis, Archiepiscopis, & Primatibus, atque locorum Ordinariis præcepit, ut S. Scripturæ cathedras & prælectiones in suis dioecesibus & Ecclesiis Metropolitanis vel instaurent veteres, vel novas erigant: Abbatibus vero & Prælatis, ut in Monasteriis, ubi studia vigent, & Regularium Conventibus S. Scripturæ lectionem constituant: „ Universim autem, ut in gymnasiis etiam „ publicis, ubi tam honorifica & cæterarum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, Religiosissimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate, charitateque ad „ Catholicæ fidei defensionem & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem & propagationem instituatur, & ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur. „ Neque solum ista gravissimis verbis præcepit S. Synodus, verum etiam, ut alliceret & docentes & discentes, addidit privilegia, ita ut „ docentes Sacram Scripturam, „ dum

(a) *Sess.* 5. c. 1. *de Reform.*

„ dum publice in ſcholis docuerunt, & „ Scholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, „ privilegiis omnibus de perceptione fru- „ ctuum, præbendarum, & beneficiorum „ ſuorum in abſentia a jure communi „ conceſſis plene gaudeant & fruantur. „ Ita factum eſt, ut brevi tempore inſigni cum emolumento ubique terrarum Catholicarum Theologia Poſitiva ſtabilem pedem fixerit, & ſtudium hoc ſacrum latiſſime patens in certam methodum fuerit redactum. Hæc aptiſſima fore mihi videtur, ſi in tres partes tota dividatur, quarum prima dici poteſt *Oeconomica*, altera *Canonica* ſeu *Præceptiva*, tertia *Methodica*. Admonere autem heic Lectorem oportet, tam circa præſentem Theologiæ Poſitivæ, quam circa ſequentem Polemicæ, Moralis & Scholaſticæ Oeconomiam me frequenter vocibus, non quidem in Latio ætatis aureæ argenteæve, bene tamen in Schola civitate donatis uſurum ad explicanda ſcientiarum iſtarum dogmata, tum quoniam aliæ quantumvis latinæ, non in ſe continent eam ſignificandi vim, quam iſtis pridem ſcholæ tribuerunt, tum quoniam uti de rebus Grammaticis cum Varrone, de Ruſticis cum Columella, de Medicis cum Celſo, de Militaribus cum Vegetio, de

Architectonicis cum Vitruvio, ita etiam de rebus Scholasticis ac Theologicis cum Schola & Theologis loquendum esse videtur: secus vel multis ambagibus inaniter circumducenda foret oratio, vel certe cujusdam adfectatæ superstitionis notam incurreret.

## §. I.

### *Pars prima Oeconomica.*

XLVII.

Complectitur hæc ipsam S. Scripturæ Oeconomiam, videlicet ejus existentiam, librorum Veteris & Novi Testamenti synopsin, eorundem characteres, varias editiones, & multiplicem sensum. Inprimis igitur statuitur existere aliquam Scripturam divinam contra Libertinos, qui omnem S. Scripturam fabularum numero adscribunt, & demonstratur tum ex veritate vaticiniorum, quæ in ea continentur, *quæque* ut loquitur S. Augustinus (b) *totum orbem sibi crediturum esse prædixit Deus, & quibus totus orbis, sicut ab eo prædictum est, credidit*; dum scilicet ad amussim plurima jam impleta fuerunt, alia implebuntur tempore suo: tum

(b) *L.* 12. *de Civit. c.* 9.

tum ex incredibili quadam & plane divina conspiratione atque concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis sacra volumina conscripserunt, ut non tam ipsi Scriptores diversi, quam unius Scriptoris diversi calami fuisse videantur: tum ex innumeris miraculis, quæ omnibus seculis facta fuerunt ad ea dogmata comprobanda, quæ in Sacris his Literis continentur: tum ex tot populorum Christiani orbis, nationumque consensu, Scripturam hanc tanquam divinam civitate donantium. Postea ad brevem librorum sacrorum synopsin exhibendam proceditur.

*Genesis* totius mundi a Deo conditi originem, & Patriarcharum ab Adam usque ad Jacobi Nepotes genealogiam complectitur, periodo annorum 2369. *Exodus* Israelitarum ex Ægypto egressum duce Mose, & quæ antea & post contigerunt, uti plagas Ægypti, peregrinationem per desertum, Decalogum &c. describit, an. 140. *In Levitico* omnia legibus, ceremoniis, sacrificiis & festis solemnibus Pentecostes, Tabernaculorum, Tubarum &c. plena sunt, nonnisi octo dierum spatio, quot scilicet Aaronis ejusque filiis Sacerdotali munere inaugurandis fuerunt impensi. In libro *Numerorum* numerantur

populus, Principes, ac Levitæ; tum iter per desertum & bella Mosis describuntur, an. 39. *Deuteronomium* veluti summa est priorum, & ad calcem Mosis diem extremum claudentis historia adnectitur, atque sex hebdomadarum spatio circumscribitur. Liber *Josue*, in quo gesta Ducis hujus, expugnatio terræ Chananææ, & divisio in duodecim tribus, nec non Reipublicæ Israeliticæ institutio continentur. Sequitur liber *Judicum*, qui horum (quatuordecim fuere, ac cum potestate pene regia populo præerant) res gestas memoriæ prodit, spatio an. 339. una cum libro Josue. Liber *Ruth* prioris est appendix, continens genealogiam Judæ Patriarchæ a Phares filio usque ad Davidem. *Quatuor Regum libri* historiam regni Hebraici & annorum 492. periodum complectuntur, nempe ab ortu Saulis usque ad Evilmerodachum Nabuchodonosoris M. filium, ac mira fata & facta Heli, Samuelis, Saulis, Davidis, Salomonis & Roboami longa serire recensent. His instar supplementi videntur adjecti fuisse libri duo *Paralipomenon*, utpote in quibus narrantur ea, quæ in libris Regum prætermissa fuerunt. Duo Libri *Esdræ* produnt gesta Esdræ & Nehemiæ, captivitatem Babylonicam, & liberationem

Israe-

Israelis, an. 70. Argumentum libri *Tobiæ* sunt vita & mores utriusque Tobiæ, ac idea optimi parentis, & filii piissimi: Libri *Judith* victoria de Holoferne Assyriorum Duce: Libri *Esther* Vasthi & Ammani superbia punita, & innocentia Estheris ac Mardochæi exaltata: Libri *Job* invicta Hussitici Principis patientia, & mira Dei circa ipsum providentia. Liber *Psalmorum* epitome totius S. Scripturæ dici potest, dicente Augustino (c): „ Quæcunque utilia sunt, ex omnibus „ continet. „ Certe una ex parte recenset in iis David mirabilia, quæ fecit Deus a mundo condito usque ad sua tempora, & ex altera vaticinatur de Christo venturo, ejusque regno usque ad mundi finem duraturo. Librorum Salomonis synopsin tradit D. Hieronymus (d): ‚ Salomon, inquiens, tria volumina edi‚ dit, *Proverbia*, *Ecclesiasten*, & *Canti‚ cum Canticorum*;' in Proverbiis par‚ vulum docens, & quasi de officiis per ‚ sententias erudiens; unde & ad filium ‚ ejus sermo crebro repetitur. In Ec‚ clesiaste vero maturæ virum ætatis in‚ stituens, ne quidquam in mundi rebus ‚ putet esse perpetuum, sed caduca & „ bre-

(c) *Præf. in Psalm.* (d) *In Comment. in Ecclesiast.*

„ brevia universa, cernimus. Ad extre-
„ mum jam consummatum virum, & cal-
„ cato sæculo præparatum in Cantico
„ Canticorum Sponsi jungit amplexibus„.
Liber *Sapientiæ* veram ad hanc perveniendi viam monstrat, docetque rationem agendorum in iis, quæ ad timorem Dei, religionem, & cultum pertinent. Liber *Ecclesiasticus* brevibus sententiis omnem moralem Philosophiam uberius exponit, agitque de virtutibus ethicis, œconomicis, & politicis. Utrumque hunc librum Veteres passim Salomoni tribuerunt, sed melior Interpretum ætas eorum auctorem prodit Jesum filium Sirach, civem Hierosolymitanum & Prophetam. Sequuntur libri Prophetarum majorum, quos inter & Minores hoc discrimen intercedit, quod primorum prophetiæ separatis libris, posteriorum vero unico apud Hebræos volumine continebantur. *Isaias* vaticinatur de adventu Christi, de virgineis ejusdem natalibus, de vita, prædicandi munere, de regno, de miraculis, & sepultura: item de conversione gentium, & de gloria Ecclesiæ. *Jeremias* populum ejusque Principes ad pœnitentiam agendam multis hortatur; vatem agit de Christi adventu, de ruina urbis Solymææ ac Templi, & multis Thre-
nis

is suæ gentis ærumnas deplorat. *Baruch* Verbi divini cum carne humana commercium luculentis indiciis prodit. *Ezechielis* liber populi sui in libertatem adferendi, Servatoris in mundum venturi, ac Templi restaurandi vaticinium continet, *Daniel* Christi nascentis ac morientis mysteria aperit, & Antichristi tyrannidem; præcipue quatuor Monarchiarum vicissitudines tam perspicue vaticinatus est, ut ejus prophetia rerum historia videatur. E minoribus Prophetis *Oseas* duodecim Tribuum captivitatem; *Joel* Babylonicam servitutem, Messiæ ac Paracleti adventum, extremumque judicii diem; *Amos* imminentem Nemesis divinæ ultionem populo prædicit: *Abdias* contra Idumæos calamum stringit, & exitium minatur: *Jonas* Civitati Ninive interitum præsagit, absque pœnitentia haud evitandum: *Michæas* populi captivitatem, Christi adventum, & gentium vocationem: *Nahum* Regis Assyriorum exitium & urbis Ninive vastationem: *Habacuc* Chaldæorum irruptionem, eorumque per Medos & Persas exterminium, tandem Servatoris mortem & gloriam prædicit: *Sophonias* occupatur in præsagiendo Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, aliarumque

gentium, quin & Judæorum excidio describendo: *Aggæus* & *Zacharias* hortantur populum ad restaurandum templum Solymæum, gloriosius primo, sub cujus umbra latet Ecclesia Christi: Denique *Malachias*, postquam acri sermone perstringit Sacerdotum vitia & socordiam, abolitis Judæorum sacrificiis novum fore substituendum, totique orbi commune futurum declarat. Duo libri *Machabæorum* claudunt Vetus Testamentum: utriusque scopus est, literis consignare res gestas, & prælia Judæ, Jonathæ, & Simonis, Fratrum Machabæorum, adversus Antiochum, aliosque Hebræorum hostes: inter alias eminet historia Eleazari senis religiosissimi ac septem Fratrum, qui matris hortatu gloriosa morte de Antiochi Regis tyrannide triumpharunt. Primus liber periodum complectitur 40. alter 15. annorum.

In Novo Testamento *Codicis Evangeliorum* argumentum neminem latet, videlicet vita Christi, prædicatio, *passio*, mors, *resurrectio*, & *ascensio*, a diversis quidem Evangelistis, diversoque ordine ac stilo, ast eodem Spiritu sancto inspirante conscripta. Liber *Actuum Apostolorum* describit infantiam Ecclesiæ a Christo institutæ, ejusque primum fundamen-

tum

m in Judæa & Samaria positum; mox opagationem Evangelii per Syriam, Ly- onlam, Pamphiliam, Græciam, alias- ıe regiones Apostolorum, præsertim ulli, opera se se diffundentis: magnam ıoque Petri ac Paulli vitæ, gestorum- ıe partem, atque historiam annorum }. vel 30. comprehendit. Actis Apo- olorum succedunt Epistolæ viginti & ıa. In Epistolis ad *Romanos*, ad *Ga- tas*, ad *Philippenses*, ad *Hebræos* datis .Paullus Christianorum nonnullos arguit, ıi Judæorum ceremonias & opera etiam- ım sectabantur. In aliis ad *Ephesios*, l *Colossenses*, ad *Thimotheum* hæreses ıscentes aggreditur, & profligare cona- ır, nempe Simonis Magi cum sobole a, scilicet Menandri, Saturnini, Basili- s, Carpocratis, Gnosticorum &c. in liquis privato velut magisterio instruit os, ad quos scribit, atque in fide offi- oque Christiano confirmat, nempe in inis ad *Corinthios*, *Tessalonicenses*, & *imotheum*, atque in singulis ad *Titum*, : *Philæmonem*. Septem aliæ Epistolæ ɔcantur Catholicæ, quum non sint ad ersonas privatas scriptæ, sed ad univer- m Ecclesiam directæ: Duæ divi *Petri* tæ sunt in sanctitate Christiana, tres ). *Joannis* in charitate, una *Jacobi* in

oratione, & altèra *Judæ* in fide orthodoxa commendanda. *Apocalypsis* novi Testamenti libris finem imponit, cujus libri argumentum varium est pro varietate capitum viginti duorum, in quæ distribuitur. Tria priora in instruendis Episcopis septem Ecclesiarum præpositis distinentur: quindecim quæ proxime sequuntur, exhibent vexationes Ecclesiæ tum a Judæis, tum ab hæreticis, tum ab Imperatoribus Romanis excitatas: subjungitur ultio divinæ Nemesis, sumta de persecutoribus, imperio, urbeque Roma, quæ Babylonicæ meretricis septem collibus insidentis nomine designatur. Quatuor tandem reliqua capita Ecclesiæ de hostibus suis triumphum, ejusque cum Agno divino nuptias & epithalamium canunt.

## XLVIII.

His quæ de libris sacris in compendio heic dicta fuerunt, uberius explanatis, ostenditur, hos omnes & nullos alios esse libros Canonicos, e quibus S. Scriptura componitur. Nunquam enim defuerunt, qui sacrum Codicem impugnarunt. Marcionitæ & Manichæi Veteris Testamenti libros malo quodam dæmone dictante conscriptos fuisse blasphemabant: Theodorus Mo-

Mopsuestenus Prophetas, Nicolaitæ psalmos Davidis, Lutherus & Calvinus integros libros e S. Scriptura expunxerunt: Græci non pauci librum Apocalypsis mirabilium rerum in ea contentarum magnitudine victi inter Apocryphos numerarunt: Erasmus, protheus ille in religionis negotio, Evangelistis fidem derogabat, dicendo eos interdum memoria lapsos fuisse. Quare nunquam finis fuisset litium in re tanti momenti, qualis est S. Codex fidei nostræ morumque regula & norma, si non Ecclesia summam qua pollet in librorum Canonicorum delectu, potestatem auctoritatemque interposuisset. Ipsa enim est *Columna & firmamentum veritatis* (e) qualem agnoscentes Antiocheni, tanquam cives privati Reipublicæ Christianæ, ubi dubium erat, Paulline verba Dei essent, an non, neutiquam ausi sunt hanc potestatem sibi arrogare, sed miserunt ad Apostolos & Seniores, qui erant in Hierusalem (f), ut deciderent controversiam istam. Hanc igitur potestatem a Deo sibi traditam exercuit Ecclesia, potissimum in Concilio Tridentino, in quo (g) Decretum de certo librorum Canonicorum numero, eo scilicet, quem supra recensuimus, solemni ritu

(e) 1. *Tim.* 3. (f) *Act.* 15. (g) *Sess.* 4.

ritu edidit. Accepit autem Tridentina Synodus hunc catalogum Canonicorum librorum a Florentino Concilio (h): hoc a Gelasio Papa (i): ille ab Augustino (k): & Innocentio I. (l) isti ab Antecessoribus, & hi ab Apostolis: Apostoli demum vetus Testamentum a Synagoga, & hæc per Mosen & Prophetas a Deo: Novum vero ab ipso æterni Patris Filio, Christo Jesu.

Recensetur tum Canon Synagogæ, & Ecclesiæ Romanæ, qui diversi sunt. Hebræi enim tot S. Scripturæ libros in suo canone collocabant, quot in alphabeto numerant literas, nempe duas supra viginti, teste D. Hieronymo (m). Et hos libros viginti duos in tres classes distribuerunt, in Thora, Nebiim, & Chetubim, ac si diceres, in Legem, Prophetas, & Hagiographos. Ecclesia vero Catholica una cum libris Novi Testamenti septuaginta duos agnoscit Canonicos, nec plures nec pauciores, quos scilicet ordine enumerat Concilium, ut dixi, Tridentinum. Ex his, si veteris Testamenti ratio habeatur, alii *Legales* dicuntur eam ob rem, quod divinæ in illis leges promulgentur, ut liber Genesis, Exodus, Levi-

(h) *In Decret. Eugen.* (i) *c. sacra Romana. dist.* 15. (k) *L.* 1. *doct. Christ. c.* 8. (l) *Epist. ad Exuperantium.* (m) *In Prol. Galeat.*

Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Historici* alii numero ſeptendecim, videlicet liber Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, Duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, & duo Machabæorum, utpote in quibus libris rerum geſtarum & memoratu dignarum hiſtoria narratur. *Sapientiales* vocantur illi, qui veræ ſapientiæ principia & arcana produnt, ſuntque quini, nimirum Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, & Eccleſiaſticus. *Prophetici* octodecim, in quibus futura & miri eventus prænunciantur: Liber Pſalmorum, Davidis, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel cum duodecim Prophetis Minoribus. In novo Teſtamento *Legales* dicuntur illi, qui legem a Chriſto latam continent, uti quatuor Evangeliorum libri: *Hiſtorici* vero, in quibus res a Chriſto per Apoſtolos geſtæ memoriæ mandantur, ut Acta Apoſtolorum. *Sapientiales*, qui novæ legis ſapientiam exponunt, & vitam vitæ Chriſti conformem ducendi methodum exemplis præceptisque illuſtrant, quales ſunt quatuordecim Paulli epiſtolæ, tres Joannis, duæ Petri, una Jacobi, Judæ una: *Prophetici* denique, in quibus Eccleſiæ Chriſti futurus ordo ac conditio ſermone pre-

prophetico deſcribitur, quod ſit in D. Joannis Apocalypſi.

## XLIX.

Ab his ad ſenſum S. Scripturæ fit tranſitus, per quem aliud non intelligitur, quam id, quod Auctor S. Scripturæ Spiritus ſanctus per verba in ſacris Literis propoſita vult ſignificare. Kemnitius cum aſſeclis ſui hæreticis omnem e S. Scriptura ſenſum exulare jubet, præter eum, quem ipſa litera gignit. Sed aliter Eccleſia ſentit Catholica cum SS. Patribus, e quorum placitis quadruplicem ſcripturæ ſenſum univerſim ſtatuere licet, nempe primo *Literalem* ut vocant, quem ipſa verba nobis exhibent impoſita illi ſignificandi poteſtate: tum *Spiritualem ſeu myſticum*, qui ſub verborum cortice latentem rei a Spiritu S. indicatæ nucleum concludit, humano eruendum ingenio. Hic rurſus in tres claſſes dividitur: vel enim pertinet ad fidem ac Eccleſiam militantem, & dicitur ſenſus *Allegoricus*, vel ad morum inſtructionem ac officia charitatis, & vocant *Tropologicum ſeu moralem*, vel ad vitam æternam quam ſperamus, ſeu Eccleſiam triumphantem, & appellatur *Anagogicus*. Totum quadru-

druplicis hujus ſenſus myſterium comprehendunt duo ſequentes verſus:

*Litera geſta docet: quid credas, Allegoria.*
*Moralis, quid agas: quid ſperes Anagogia.*

Experimentum rei capere licet in hac voce ſola *Jeruſalem*, ut bene advertit Caſſianus (n) quæ ad literam acepta indicat urbem Palæſtinæ Metropolim, allegorice Eccleſiam, tropologice animam juſti, anagogice patriam cœleſtem. Vel ſi mavis, accipe verba hæc *Fiat lux* (o). Nam ſenſus *literalis* lucem a Deo initio mundi productam: allegoricus Chriſtum, qui lux mundi eſt illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: tropologicus gratiam Spiritus S. qui lumen cordium dicitur: anagogicus denique lumen gloriæ ſignificat, de quo canit Eccleſia: *Lux perpetua luceat eis.* Quamvis autem ſuprema & legitima interpretandi ſenſum S. Scripturæ poteſtas ſit penes Eccleſiam, ut in fidei profeſſione declarat Tridentinum, hæc tamen in conſortium admittit SS. Patres & Eccleſiæ Doctores, quorum aliqui duntaxat in uno, alii in alio ſenſu exponendo præcipuam operam col-

(n) *Collat.* 4. *c.* 4. (o) *Genes.* 1.

collocarunt. Hæc diversa Patrum hoc in negotio studia eleganti metro complexus est Sixtus Senensis (p):

*Historiam hebræis & græcis fontibus haustam*
*Hieronymo disces Duce:*
*Allegorias, Anagogiasque recludent*
*Origenes & Ambrosius:*
*Exponent sensus formandis moribus aptos*
*Chrysostomus & Gregorius:*
*In dubiis, altaque locis caligine mersis*
*Aurelius lucem feret.*

L.

A multiplici sensu S. Scripturæ ad illius editionem gradus fit, quæ ipsa multiplex est. Heic nosse oportet, libros scripturæ Authographos, quos vulgus *Originalia* vocat, primique veteris Testamenti Codices omnes hebraico idiomate locutos fuisse, si libros Tobiæ, Judith, Esdræ ac Danielis excipias, qui Chaldaica conscripti lingua, & duos Machabæorum, qui in Græca primam lucem aspexerunt. Quos autem Novum Testamentum complectitur, libri Authographi græco usi fuerunt sermone, excepto Matthæi Evangelio, quod Hebraice vel potius Syriace (fuit enim tum temporis hæc vulgaris ipsorum Hebræo-

(p) *Lib.* 3. *Biblioth. Sanct.*

bræorum lingua) scriptum prodiit: item epistola Paulli ad Hebræos data, quam tamen Hieronymus contra Origenem contendit græce exaratam fuisse, & Marci Evangelio, quod non pauci latino idiomate primum Romæ in lucem editum esse opinantur. Porro Authrographa seu Originalia S. Scripturæ modo nulla exhiberi possunt, utpote quæ vetustatis commune vitium & tempus edax absumpsit: sed duntaxat Apographa seu Exemplaria diversis linguis, temporibus & locis edita, quæ tamen omnia ad quatuor editionum classes commode revocantur, nimirum Hebraicam, Græcam, Latinam, & Vernaculam seu Vulgarem. Ad Hebraicam enim merito reducitur editio Chaldaica, Syriaca, & Samaritana, ad Vernaculam vero cujusque regionis & nationis linguæ propria. Primum inter Sacrorum Codicum editiones locum tenet *Hebraica* sive ea, quæ a Mose ac Prophetis hebraico idiomate conscripta fuit, de qua dici potest, eam subsecutis temporibus neque adeo depravatam fuisse a Judæis, ut omnem fidem ac integritatem perdiderit, neque ita puram ad nos pervenisse, ut nullius erroris labem contraxerit: peritissimi enim Interpretes non pauca menda deprehenderunt, partim

negligentia librariorum, quos literarum similitudo decepit, partim inscitia Rabinorum, qui puncta male addiderunt, & pejus notarunt, admissa. Altera editio, primaque inter *Graecas*, & praecipua est ea, quae LXX. Interpretum dicitur. Sed de hac dolendum, quod famosa haec interpretatio a Viris, ut ait Hieronymus, Spiritu S. plenis facta, postquam multis seculis in Ecclesia Dei floruit, adeo temporum successu & iniquitate corrupta fuerit, ut jam vera Scripturae norma esse nequeat, atque non pauca aperte falsa, multaque ab hebraeo codice discrepantia contineat. Tertia editio *Latina* est, in quo genere tanta fuit Codicum copia & interpretandi foecunditas, ut Augustinus (q) testetur, eos qui ex Hebraea lingua Scripturas in graecam transtulere, numerari posse, qui vero in latinam, non posse. Ex omnibus excelluerunt duae: Antiqua una, cujus Auctor non satis certus, quamque Augustinus Italam vocat: altera nova jussu S. Damasi P. a D. Hieronymo concinnata, in qua ut ipse fatetur, Novum Testamentum graecae fidei reddidit, vetus secundum hebraicum textum transtulit. De harum praerogativa diu lis erat in Ecclesia; tandem compositus

(q) *Lib. 2. doctr. Christ.*

a, dum non multo post ævum D. Gregorii P. ex duabus una fuit conflata, ita ut in ea nonnulli libri eo modo, quo in antiqua, & alii eo quo in nova legantur. Atque ista venerationi ac usui esse cœpit jam a mille annis toti Ecclesiæ, vocaturque hodie adhuc *Vulgata*, estque Concilii Tridenti Decreto (r) roborata, *ut pro Authentica habeatur, & ut eam nemo quovis prætextu rejicere audeat vel præsumat.* Quo tamen Decreto idem Concilium neutiquam fontes præclusit, ut perdite clamant hæretici, nec interdixit, quum fas sit ad eos interdum recurrere tum ad energiam vocum intelligendam, tum ad tollendam ambiguitatem, ubi latina vox anceps & æquivoca occurrit, tum ad librariorum errores corrigendos, si magna & vehemens urgeat suspicio: sed solum reliquas editiones damnavit, quæ suspectæ sunt, quales esse solent, quæ ex hæreticorum officinis prodeunt; quod fieri quis ignorat? Quarta demum editio est *Vernacula*, tam multiplex, quam multæ sunt linguæ. Sed harum nulla est Authentica, quum nulla ex his Ecclesiæ judicio aut Fidelium usu talis esse probetur; quin Tridentinum (s) prohibet, ne

(r) *Sess.* 4. *c.* 2. (s) *Sess.* 22. *c.* 1. *& can.* 9.

ne in publico, & communi Ecclesiæ consuetudine Scripturæ legantur vel canantur in vulgaribus linguis, sed Latina tantum, Græca & Hebraica, utpote quibus linguis titulo suæ crucis Christus honorem habuit. E quibus patet, solam Latinam esse authenticam & fidei nostræ regulam, quum Ecclesia in Concilio congregata ita sanxerit, penes quam ea est potestas, de qua loquitur Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Celebriores totius S. Scripturæ Polygottæ, seu variis in linguis editiones sunt: *Complutensis* sive Ximeniana, in lingua latina, Græca, Hebraica, & Chaldaica an. 1515. *Antverpiensis* seu Regia, in qua præter ea, quæ in Complutensi habentur, reperitur paraphrasis Chaldaica super alios veteris Testamenti libros, & novi Testamenti editio Syriaca cum interpretatione latina. anno. 1572. *Parisiensis* omnium accuratissima sub auspiciis Ludovici XIII. Exhibet præter Hebraicam, Græcam, Chaldaicam, & Latinam editionem insuper Syriacam, Arabicam, & Pentateuchi Samaritanam cum versione. anno 1630. Modico post hanc intervallo prodiit etiam in lucem Anglicana, quæ tamen fere eadem est cum Parisiensi, exceptis quibusdam vix

nullius momenti additionibus an. 1657. Cætera palmaris est injuria, quam faciunt Ecclesiæ Hæretici hujus ævi, dum Sedem Romanam tyrannidis damnant, quod subsidium ad fidem & salutem adeo necessarium, ut ajunt, nempe S. Scripturæ codicem vi fraudeque e Catholicorum manibus subtrahat. Nimirum Synodus Tridentina (t) non minus provide quam sapienter statuit: *Ne sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine, & sine Episcopi vel Inquisitoris judicio permittatur, quum plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriatur.* En crimen! Sed Augustinus pridem advertit (u), *omnes hæreticos ex scripturis male lectis & pejus intellectis falsas & fallaces opiniones suas conatos esse defendere.* Certe Lutherus ejusque pedissequi, dum plenis buccis quibus integros Scripturæ libros devorarunt, *Verbum Dei, Verbum Dei* clamare auditi sunt, clamoreque isto nil nisi falsa dogmata, schismata, & seditiones excitarunt. Attonita vidit Germania, non jam in templis & exedris, sed in foro, non a legitimis Pastoribus, sed a sordidis opificibus & mulierculis, non in silentio, sed inter tumul-

(t) *In reg. 4. Indic.* (u) *L. 1. de Trinit.*

multus & rixas Verbum Dei insonuisse. Tantum abest, ut Ecclesia iis, quibus vel ex officii ratione convenit, vel qui satis capaci intellectu præditi sunt, S. Scripturæ lectionem in editione probata interdicat, ut potius inculcet illud Deuteronomii (x) *Legetque illud omnibus diebus vitæ suæ*: Rudibus vero, nec aptis ut intelligant, abunde prospicit concionibus, catechesibus, librisque piis, quibus e S. Scriptura exponuntur ea, quæ ad fidem & salutem sunt necessaria.

## §. II.

### *Pars secunda, Canonica seu Praeceptiva.*

### LI.

Postquam examinata, quantum satis est, atque explanata fuerunt ea, quæ in priore parte de S. Scripturæ characteribus, de numero, de chronologia, & diversis sensibus ac editionibus quam brevissime heic dicta sunt, ad canones seu regulas proceditur, qua scilicet ratione S. Scripturæ lectio instituenda sit, quomodo legitimus ex ea sensus eruendus, quid circa dictiones figuratas, apparentes

(x) *Cap.* 17.

ꝰs contradictiones & amphibologias no-andum sit. Paucis rem totam com-lector.

Primo loco statuuntur universe regulæ quædam ad S. Scripturam cum emolu-mento ac sine periculo legendam per-quam opportunæ, quarum *prima* est, ut ad SS. Literarum lectionem non affera-ur animus curiosus, nimium criticus, & superbus. Nam *qui vanus est Scruta-tor Majestatis, opprimetur a gloria* (y). Sed docilis, religiosus, & qui veritatis detegendæ ac profectus in virtute hau-iendi studium utrumque conjungat. *Se-cunda*, quo facilius eruatur genuinus sen-sus, omnium prima cura sit, ut loci cum locis, vetus Testamentum cum novo, dubia cum certis, obscura cum manife-stis conferantur. Facilius, ait Origenes, a scriptura cognoscitur, quod quæritur, si ex pluribus locis, quæ de eadem re scripta sunt, exempla proferantur. *Ter-tia*, ab eo, quem litera ipsa velut offert, sensu non est recedendum, nisi manife-sta cogat ratio. *Quarta*, diligenter ob-servare oportet, a quibus, quando, & in quibus circumstantiis ea dicantur, quo-rum difficilior est intelligentia. Quippe loci, temporis ac personarum circumstan-tiæ

(y) *Proverb.* 25.

tiæ miram adferunt lucem ad tenebras sermonis, vel potius intellectus dissipandas. *Quinta*, quidquid in sermone divino, inquit Augustinus, neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse credatur. *Sexta*, si quid vero pergit idem S. Doctor, velut absurdum moverit scriptura, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. *Septima*, advertendum, quædam in Scriptura ordine præpostero recenseri; quandoque nimirum posteriora prius, quandoque priora posterius. Ita Matthæus narrat Christum postquam sanguinem bibit, dixisse: *Non bibam amodo de genimine vitis*. Lucas vero hæc prius dicta fuisse commemorat. *Octava*, frequens quoque de futuris, tanquam de præteritis vel præsentibus loquendi modus in Prophetis occurrit; nec sine caussa, ut observat denuo Augustinus, quæ futura sunt, tanquam transacta dicuntur: Deo enim sic certa sunt, ut jam pro factis habeantur. *Nona*, sæpe Scriptura numerum certum pro incerto ponit, aut vicissim. Non enim intelligit singulos, sed aliquos, & ex omnium numero plures, dum omnes in

in populo universo malos pronunciat, aut omnes bonos. Quamvis hæc regula exceptionem patiatur in multis: ita dicuntur omnes in Adamo peccasse (excepta sola Beata Virgine) Deum omnes velle salvos fieri, Christum pro omnibus mortuum esse &c. Versa vice, vox *multi* sæpe omnes denotat: *multi sunt vocati* (z). *Per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi* (a). *Decima*, attendendum ad interpuncta verborum, quibus interjectis vel sublatis mirum in modum propositionis sensus variari solet. Certe magna fuit Arianorum fraus, qua usi sunt ad Verbi divinam originem impugnandam, dum textum D. Joannis puncto perperam interjecto corruperunt: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus *erat*. *Verbum* hoc erat in principio apud Deum &c. *Undecima*, ut alii quoque scopuli evitentur in vasto Scripturæ oceano, loquendi formulas apud hebræos usitatas, seu hebraismos ut vocant, nosse ac distinguere oportet, quibus usi fuerunt sacri Scriptores, quorum omnes, si Lucam forte excipias, Hebræi fuerunt, obvium est exemplum in nomine *Fratres*, qui Christo tribuuntur

(z) *Matth.* 20. (a) *ad Rom.* 5.

tur in Evangelio, quum consanguinei duntaxat fuerint. „ Quatuor modis, ait „ Auctor Commentarii (b), fratres ap„ pellantur: primo natura, secundo co„ gnatione, tertio gente, quarto affectu. „ Unde Jacobus secundum cognationem „ frater Domini dicitur, quoniam de Ma„ ria Cleophe, sorore Matris Domini, „ natus esse monstratur „. *Duodecima* demum est, quam Concilium Tridentinum (c) tradit: Scripturam ex communi SS. Patrum sensu esse interpretandam; Pessimum vero Scripturæ verborum sententiarumque abusum esse tollendum, quem his verbis detestatur: *Reprimendam illorum temeritatem, qua ad profana quoque convertuntur, & torquentur verba & sententiæ S. Scripturæ, scurrilia scilicet, fabulosa, vanas adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos.*

## LII.

Secundo loco quædam observatione digna in medium afferuntur, ad literalem e Scriptura sensum rite eruendum. Et quidem ad deprehendendum hunc sensum plurimi facit conferre Scripturam cum loco, tempore ac fine scribentis, dicente D. Hie-

(b) *In cap. 2.* (c) *Sess. 4.*

D. Hieronymo (d) *Personarum mutatio, & maxime in Prophetis, difficilem intellectu facit, quæ si locis, & caussis, temporibusque reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura.* Ita Jeremias dum mala omnia e Babylone super omnes terræ habitatores ventura esse prædixit: *Ab Aquilone*, inquit, *pandetur omne malum.* (e) quamvis Babylon civitas sita haud sit versus Aquilonem, sed potius Orientem versus. At evanescit hoc dubium, si Propheta consideretur scripsisse in Judæa, ad quam Babylon erat Aquilonaris. Universe notat D. Hieronymus, scriptores sacros climata & mundi plagas ac regiones ad Jerosolymæ situm designasse. Non minus proderit Scripturam cum Scriptura conferre, textum cum textu, consequentes & antecedentes locos cum loco dubio. *Nihil fere*, inquit Augustinus (f) *de obscuritatibus scripturæ eruitur, quod non alibi planissime dictum reperiatur.* Ita de Antichristi regno ejusque tempore, quo durabit, Daniel ait (g): *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, qui textus si conferatur cum aliis duobus in Apocalypsi (h) ubi dicitur, civitatem sanctam calcandam esse

(d) *L. 2. in Jerem. c. 8.* (e) *C. 1.* (f) *L. 2. de doctr. Christ. c. 6.* (g) *C. 7.* (h) *C. 11.*

esse *mensibus quadraginta duobus*; atque Henoch & Eliam prædicaturos *diebus mille ducentis sexaginta*, facile clareque prodibit tempus regni, quo Antichristus dominabitur, nempe trium annorum cum sex mensibus.

Porro ad literalem sensum rite investigandum ac deprehendendum nosse oportet hebraismos, seu peculiares & hebræis proprios loquendi modos. Plurimi sunt hi: paucos difficiliores afferam, exempli loco servituros. 1. Casum unum pro alio sæpe ponunt: *In Tribulatione dilatasti mihi*, pro dilatasti me (i). 2. Genus pro genere. *Unam petii a Domino, hanc requiram* (k), pro unum petii a Domino, hoc requiram. 3. Abstractum pro concreto: *abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro* (l), pro res Ægyptiorum abominandas. 4. Positivum gradum pro comparativo: *Bonum est confidere in Domino, quam in Principibus* (m). pro melius est. 5. Sæpe utuntur eclipsi, supprimendo verbum: *Filii hominum usquequo gravi corde* (n). subauditur, eritis vel estis. 6. Tempore præterito pro futuro: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (o). pro-

(i) *Psalm.* 4. (k) *Psalm.* 26. (l) *Exod.* 8. (m) *Psalm.* 117. (n) *Psalm.* 4. (o) *Psalm.* 21.

prophetat David de Christo venturo ac passuro in carne humana. 7. Imperativo pro hypothetica locutione: *irascimini & nolite peccare* (p), id est, si irascimini, nolite peccare. 8. Ablativo pro similitudine instituenda: *qui probati sunt argento* (q), seu qui probati sunt sicut argentum. 9. Particula *si* non raro ponitur pro *non*: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (r), id est, non introibunt. 10. Particula &, pro *id est*. *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam & inanem sapientiam* (s), seu, id est per inanem sapientiam. 11. Non raro conjungunt duas præpositiones: *de post fœtantes accepit eum*, scilicet Davidem (t). Ac si diceretur: accepit eum de grege ovium, dum post fœtas oves iret. 12. Utuntur non raro præpositione *in* pro de aut per: *in te cantatio mea* (u), sive de te. *Factum est Verbum Domini in manu Isaiæ, Aggæi &c.* pro per Isaiam. 13. Sensum visus exprimunt, utpote præstantissimum, pro aliis sensibus. *Cunctus populus videbat voces* (x). pro audiebat voces. *Quia vidisti me Thoma, credidisti* (y). pro, quia tetigisti me.

14. Ge-

(p) *Psalm.* 4. (q) *Psal.* 67. (r) *Psalm.* 94. (s) *Coloss.* 2. *v.* 8. (t) *Psalm.* 77. (u) *Psalm.* 70. (x) *Exodi.* c. 2. (y) *Joan.* 20.

14. Geminant jam verba ad emphasin conciliandam: *Ait ergo Saul ad David*... *faciens facies*, *& potens poteris* (z). Id est, expedite ac secure facies, & potentissimus eris: jam substantiva: *Homo & homo natus est in ea* (a): pro multi homines. 15. Adhibent nomina divina & cœlestia ad sublime aliquid significandum: *Justitia tua sicut montes Dei* (b) id est, uti montes, præ altitudine divini. *Veritas tua usque ad nubes*. Veritas tua tam alta est, ut ad nubes usque pertingat.

LIII.

Tertio loco circa figuratas dictiones, seu locutiones tropis ornatas, quibus abundat S. Scriptura, notant Theologi Positivi, quæ sequuntur: 1. S. Scriptura sæpe sumit partem pro toto, & totum pro parte per synecdochen. *Posuisti homines super capita nostra* (c). *Quia tulerunt Dominum meum* (d). pro corpore Christi. 2. Effectum pro caussa vel caussam pro effectu per metonomyam. *Domine audivi auditionem tuam*, *& timui* (e). pro re audita. *Eum qui non noverat peccatum*, *pro nobis peccatum fecit* (f). id est,

(z) 1. *Reg.* 26. (a) *Psal.* 86. (b) *Psal.* 35. (c) *Psalm.* 65. (d) *Joan.* 20. (e) *Habac.* 3. (f) 2. *Cor.* 5.

ft, hostiam pro peccato. 3. Continens ro contento. Sic templum sumit Scriptura pro Sacerdotibus, Judæam pro Judæis. 4. Interdum loco nominis alicujus dhibetur aliud, licet commune pluribus: *er quem filius hominis tradetur* (g). pro hristo per antonomasiam. 5. Nonnunquam rofertur aliquid, & intelligitur id, quod li opponitur: *Ne forte peccaverint filii lei, & benedixerint Deo in cordibus uis* (h). pro maledixerint, per antiphran. 6. Scriptura utitur etiam ironia: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (i). : Item hyperbole. *Tanta fuit abundantia tritici ut arenæ maris coæquaretur* (k). *Exiit edictum a Cæsare, ut describeretur universus orbis* (l). 8. Non linus hypallage ponendo unum pro altro: *Cognovit bos possessorem suum, & sinus præsepe Domini sui* (m). pro Dominum præsepii sui. *In sole posuit tabernaculum suum* (n). pro solem in tabernaculo suo. 9. Non raro quoque metaphora, designando Christum sub figura Leonis, vitis, ostii: *Ego sum ostium.* Sic vocat instrumenta mortis vasa mortis: *Et in eo paravit vasa mortis* (o).

Illud

(g) *Marci.* 14. (h) *Job.* 1. (i) *Genes.* 3. (k) *Genes.* 41. (l) *Luc.* 2. (m) *Isai.* 1. (n) *Psalm.* 18. (o) *Psal.* 7.

Illud autem admodum frequens est S. Scripturæ, ut Deo attribuat tum membra hominis, tum adfectiones quasdam, quas *passiones* vulgus vocat. Hujus autem rei triplex ratio reddi potest, nimirum vel ut humano concipiendi loquendique modo se se accomodet, vel ut energiam ac emphasin sermoni suo conciliet, vel denique ut mysticum quid & spirituale sub verborum cortice latens nobis significet. Ad primum quod adtinet, legimus in SS. Literis: Omnia aperta sunt *oculis* ejus . . . *Aures* ejus in preces eorum . . . Ostende *faciem* tuam . . . *Os* Domini locutum est . . . *Lingua* mea calamus scribæ velociter scribentis . . . Fecit potentiam in *brachio* suo . . . *Dextera* Domini fecit virtutem . . . Si in *digito* Dei ejicio dæmonia . . . Inveni David virum secundum *Cor* meum . . . Terra scabellum *pedum* meorum . . . sub umbra *alarum* tuarum &c. De hoc primo locutionis genere præclare dicit S. Augustinus (p): *Alas cum in Deo audimus, protectionem intelligimus: cum manus, operationem: cum pedes, præsentationem: cum oculos, visionem: cum faciem, notitiam, qua innotescit.* Quod spectat ad secundum, S. Scriptura Deo tribuit

(p) Epist. 2.

buit *iram:* Domine ne in furore tuo arguas me . . . *commiserationem:* secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam . . . *oblivionem:* usquequo Domine obliviscetis me in finem . . . *Somnum;* Exurge, quare obdormis Domine . . . *Pœnitentiam:* pœnitet me fecisse eos . . . *Gemitum:* Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, nempe Christus apud Patrem æternum . . . *Tristitiam:* Nolite contristare Spiritum Dei, &c. De hoc secundo locutionis genere rursus eleganter scribit idem Augustinus (q): *Pœnitentia dei non est post errorem: ira dei non habet perturbati animi ardorem: misericordia dei non habet compatientis miserum cor, unde in latina lingua nomen accepit: zelus Dei non habet mentis livorem. Sed pœnitentia dei dicitur rerum, in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio: ira dei est vindicta peccati: misericordia dei est bonitas opitulantis: zelus dei est providentia, quæ non sinit eos, quos subditos habet, impune amare, quod prohibet.*

LIV.

(q) *L.* 1. *contra adversar. legis c.* 20.

## LIV.

Quarto loco, quum nonnullæ contradictiones apparere in S. Scriptura, unaque sæpe sententia pugnare cum alia, quin quod plus est, mendaciorum sparsa quædam vestigia reperiri videantur, Theologiæ Positivæ officium est, ut hac veluti invidia illam liberet ostendatque modum, quo omnia rite possint explicari absque ulla contradictione, absque ullo mendacio. Atque inprimis certum est, nullas contradictiones, quæ vere tales sunt, in S. Scriptura locum habere posse, quoniam e duabus contradictoriis, ut Dialectica nos docet, unam veram, alteram falsam esse necessum sit: atque ita profecto Deus, cujus verbum est Scriptura, contradicendo falsum nobis diceret, quod absit. Ut autem perspiciamus, qua ratione explicari debeant sententiæ quædam, quin sibi contradicant, exemplis aliquot in medium adductis id patefacere juvat.

*Genes.* 1. dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Contra *Joan.* 8. Vos ex patre diabolo estis. Sed prima sententia intelligi debet, quantum ad naturam, & in sensu phy-

physico: altera quantum ad malitiam, & in sensu morali.

*Genes. c.* 46. *v.* 26. Cunctæ animæ, quæ, ingressæ sunt Ægyptum, sexaginta sex fuerunt. Contra *v.* 27. dicuntur fuisse septuaginta. Sed in primo calculo non includuntur Jacob & Joseph, nec duo Josephi filii, quia hi fuerunt capita familiæ, quæ intrarunt Ægyptum: cum his quatuor etiam prima in sententia prodeunt septuaginta.

*Exodi c.* 20. Ego Dominus Deus . . . visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Contra *Ezech. c.* 18. filius non portabit iniquitatem Patris. Sed prior textus loquitur de pœna temporali, alter de spirituali: prior de filiis improbis improborum patrum, alter de filiis probis, iniquorum parentum.

*Levit. c.* 18. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Contra *Deuter c.* 25. Fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, & suscitabit semen fratris sui. Sed prior prohibet ducere uxorem fratris, eo vivente: alter præcipit ducere fratris uxorem, si hic sine liberis obierit.

4. *Reg. c.* 8. Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset. Contra 2. *Paralip. c.* 22. quadraginta duo-

rum annorum erat Ozias, cum regnare cœpisset. Sed secundus locus est mendosus: quippe tum in Syriaco, quam in hebraico textu legitur viginti duorum annorum in utroque loco. Secus dici oporteret, Ochoziam patre suo Jora biennio seniorem fuisse, quando regnare cœpit.

*Job. c.* 7. Peccavi, quid faciam tibi custos hominum. Contra *c.* 27. neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sed prius sermo est de peccato levi, posterius de gravibus peccatis.

*Proverb. c.* 26. *v.* 4. Nec respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Contra *v.* 5. responde stulto juxta stultitiam suam, ne sapiens esse videatur. Sed intelligenda sunt hæc in diversò sensu, scilicet non respondendo verbis similiter stultis, & calumniosis: respondendo autem & corrigendo, ne glorietur in iniquitate sua.

*Ecclesiastis c.* 3. Unius est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Contra *c.* 12. revertatur pulvis in terram, unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Sed Scriptura primo loco loquitur in perso-

na

na & sensu hominum carni ac voluptatibus indulgentium: secundo loco in persona & sensu hominum piorum & vere fidelium.

*Luc.* 2. Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum. Contra *c.* 9. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Sed ruina est per accidens, & ex malitia hominum gratiæ resistentium: salus vero per se, & ex intentione Dei mittentis, ac Christi venientis.

*Joan. c.* 11. *v.* 4. De Lazaro infirmo legitur: Infirmitas hæc non est ad mortem. Contra *v.* 14. Lazarus mortuus est. Sed loquitur Scriptura primo in loco de morte communi, qualem obire solent homines, non surrecturi usque ad extremum judicii diem. Ita Augustinus: *Lazari mors ipsa non erat ad mortem, sed potius ad miraculum.* Plures ejusmodi ad speciem contradictiones eruditissimus Jacobus Tirinus in suo super vetus & novum Testamentum Commentario recenset, scilicet mille quadringentos & quinquaginta.

Jam ut de mendaciis, quorum vestigia quædam in Scripturis apparere videntur, pauca quoque dicam, ante omnia firmissime tenendum est, inprimis Deum summe verum & ipsam veritatem

primam mentiri haud posse. *Non enim est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur* (r). Dein quod consequitur, nec divinam mentiri posse Scripturam, quum sit ipsum dei loquentis verbum, ita ut si hæc mentiretur, ipse Deus per Prophetas & Apostolus, sacrosque Scriptores fuisset mentitus. Quare oportet mendacia, quæ apparent, ad verum sensum interpretando reducere: cujus rei aliqua rursum exempla subministrare fas sit.

*Genes.* 4. Legimus promisisse quidem Deum Caino timenti, ne in pœnam commissæ cædis fraternæ a primo quovis sibi obvio interficeretur: *nequaquam ita fiet.* nihilominus occisum fuisse forte fortuna a Lamecho, dum venationi operam daret. Verum non promisit Deus Caino, quod a nemine sit interficiendus, sed solum non a quovis obvio, scienter & ex insidiis. Hinc Lamech videns occidisse se Cainum, tristis exclamavit: *occidi virum in vulnus meum.*

*Isai. c.* 38. Prædixit Propheta hic Regi Ezechiæ: *Dispone domui tuæ; cras enim morieris tu, & non vives.* Non tamen vaticinio respondit eventus, nec mors tempore, quo prædicta fuit, est secuta. Verum

(r) *Num. c.* 23.

non erat tam prædictio, quam com-
atio ſub conditione: & re ipſa mors
et ſecutura ſecundum diſpoſitionem
ſarum ſecundarum; non tamen éve-
quia non erat futura ſecundúm di-
tionem cauſſæ primæ, ſeu Dei. Erat
ır morbus Ezechiæ lethalis, ſed natu-
rdinem Deus miraculo invertit.
*onas c.* 3. tanquam Legatus Numinis
ejusdem juſſu Ninivitis interitum de-
ciavit: *adhuc quadraginta dies, &*
*ive ſubvertetur.* Verum hæc rurſus
minatio erat, niſi pœnitentiam age-
. Hac peracta Ninives excidium ad
ous quidem fuit ſuſpenſum, non ta-
omnino ſublatum: nam altera vice
Nahum Prophetam prædictum re ipſa
tum eſt.
*eneſ.* 12. Abraham interrogatus in
pto de Sara uxore ſua reſpondit, eam
ſororem ſuam. Mentitus eſt igitur
aham, immo & uxorem induxit, ut
tiretur. *Dic ergo obſecro, quod ſoror*
*ſis.* Verum ſi etiam concedamus,
Abrahæ dictum, aliaque ſimilia, quæ
criptura occurrunt, eſſe mendacia,
iquam tamen inde ipſa S. Scriptura
inis hujus argui poteſt, utpote nar-
duntaxat ejusmodi mendacia homi-
ı, quemadmodum absque fuco nar-

rat alia Samſonis, Davidis, Salomonis, Regum Iſrael & Juda delicta. Sunt tamen graves Interpretes, qui Abrahamum ab omni mendacio excuſant: fuit enim Sara, tanquam filia Aran fratris Abrahæ, ejusdem Neptis. Apud Hebræos autem in uſu erat, ut Neptes dicerentur ſorores, & Nepotes fratres.

Neque mentitus eſt Jacob, quando bis interrogatus a Patre, num eſſet filius ejus Eſau? reſpondit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, *Geneſ.* 27. Quid enim vetuit hoc dicere? erat primogenitus titulo emptionis, dum primogenita vendidit illi Eſau pro lenticula: erat primogenitus titulo repræſentationis, quia viloſo habitu perſonam Eſau repræſentabat. S. Auguſtinus grande hac in re myſterium agnoſcit.

Neque mentita eſt Judith, dum Holoferni dixit: *Ego adducam te per mediam Jeruſalem*, *c.* 11. quamvis ad eum venerit, ut obtruncaret. Quippe reipſa Judith per mediam Jeruſalem, uti promiſerat, duxit Holofernem, non quidem vivum ipſum, ſed ejus caput abſciſſum, triumphantis in morem.

Neque mentitus eſt Archangelus Raphael, quando Juniori Tobiæ interroganti, *unde te habemus bone Juvenis*, reſpondit:

: *Ex filiis Israel. Tob. c.* 5. Nam Israel
m significat ac *videns Deum*: Angeli
:em semper *vident faciem Dei*. Porro
phael Numinis providentia constitutus
t ad custodiam Israelitarum, maxime
ɔus Nephtali, e qua oriundus erat
bias.

## §. III.

### *Pars tertia methodica.*

LV.

Methodicam voco hanc tertiam Theo-
-logiæ Positivæ partem, quia me-
ɔdo in scholis usitata examinat quæ-
n scripturæ loca vel obscuriora & pro-
ıdiora, vel dubia & controversa, vel
piosiore eruditionis luce illustranda.
ec autem omnia ad duplicem redigi
ssem possunt, quarum prima versatur
ca Scripturæ sacræ sententias, quæ
is constant verbis; altera vero circa
i & facta, quæ in eadem narrantur.
riusque classis unum paradigma metho-
:um proponere juvat, illique materiem
erioris exercitationis subjungere.

Paradigma primæ classis.
*Expositio Textus:*

*In Principio creavit Deus cælum & terram, Gen.* 1.

An debeat intelligi de mundo in *instanti*, an *successive* creato?

*Praenotandum*, duplicem hac in re sententiam esse: prima quae asserit, totum mundi, opificium in instanti fuisse confectum, neque sex dierum intervallo distinctum. Quod autem Moses distinxerit in dies, id ad rerum conditarum ordinem ac conditionem melius & ad captum nostrum explicandam fecisse. Haec sententia praeter alios Patronum habuit D. Augustinum (s). Altera est, quam tenuerunt Patres fere omnes ante Augustinum, & plurimi Doctores post ipsum, scilicet mundum successive spatio sex dierum fuisse conditum.

*Conclusio*. Dicendum cum communiore, mundum successive fuisse creatum, ea scilicet, quam Moses exhibet successione.

*Argumentum primum* est, quia ipsius Augustini, licet adversarii, celebris regula est, verba Scripturae in proprio sensu esse sumenda, nisi detur efficax fundamentum in oppositam partem; quum igitur Moses apertissimam uti operum, ita & dierum distinctionem faciat, & singula opera ad singulos dies referat; nec videatur heic voluisse imponere Judaeis, quando mundum pro-

(s) *Lib. 4. de Genesi ad Literam.*

proponit e rudi massa semper magis magisque ab Opifice Deo sensim fuisse perfectum (cujus tamen rei suspicio in ipsum cadere posset, si mundus primo statim die, immo primo instanti, undequaque perfectus in lucem prodiisset) absque gravissimo fundamento verba Mosis in proprio sensu, nec in allegorico aut metaphorico sumenda erunt: tale autem fundamentum nullum occurrit.

*Argumentum secundum* ex ipsa Scriptura petitur, in qua (t) præcipitur a Deo Judæis Sabbati observantia, ut nimirum quiescant, & ab opere servili abstineant die septimo hebdomadæ. *Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo; idcirco benedixit Deus diei Sabbati, & sanctificavit eum.* Si autem mundus in instanti fuisset conditus re ipsa, & in ore Mosis solum successive per continuos sex dies, ratio hæc prorsus infirma esset, & similitudo claudicaret. Quis vero credat, Deum imponendo præceptum graviter obligans, quodque Judæi fere ad superstitionem usque observabant, ut per omne tempus illud firmaret, fuisse usum comparatione neutiquam firma, immo narratione falsa?

*Ra-*

(t) *Exod. c.* 20. *&* 31.

*Rationes in contrarium* non obstant: 1. de omnipotentia Dei, quae nulla mora successioneque operum tardari potest, magisque commendatur, si mundum in instanti condidisse dicatur. 2. Verba Genesis (u) ubi dicitur: *in die quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra.* Ex quibus infertur, arbores & plantas cum cœlo & terra creatas fuisse eodem die, licet Moses dies distinctos iis adsignet. Cur igitur non idem dicere liceat de reliquis operibus? 3. Locus ille Ecclesiast. (x) *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Nam

*Respondetur ad* 1. omnipotentiam Dei nec omnia facere, quae potest, nec eo semper modo quo potest. quis enim deo praescribere hanc legem ausit? Satis commendat opus tam magnificum Artificis potentiam, etsi plures ei producendo dies impenderit, qua ipsa mora nobis veluti monstrare voluit operis arduitatem. hoc sane fundamentum adversae partis non videtur esse sufficiens, ut a sensu literali ad figuratum deflectamus. *Ad* 2. respondent aliqui, *in die* hebraismum esse, singularem ponendo pro plurali, atque ita sensum esse: *in diebus quibus fecit Deus &c.* Alii re-

(u) C. 2. (x) C. 18.

respondent, terram illo ipso die, quo creata fuit, jam gravidam fuisse virgulto arborum & plantarum, licet hæ primum alio die productæ fuerint, quod facile indicant verba illa: *antequam orirentur in terra.* *Ad* 3. triplex est responsio. prima concedit simul omnia fuisse creata quoad substantiam, negat autem quoad speciem. ita Venerab. Beda in Hexameron: *Substantia simul creata est, sed simul species formata non est.* Secunda vult ly *simul* denotare continuationem operis, non instans: dicuntur enim fieri simul ea, quæ sub uno tractu temporis fiunt, & in quibus virtus producens non cessat, usque dum totum opus finiverit. Tertia distinguit, & *simul simultate collectionis* omnia creata fuisse concedit, *simultate temporis* negat. *Simul* in Scriptura sacra potius est particula denotans collectionem, quam tempus. Ita (y) *omnes declinaverunt, simul in utiles facti sunt;* & (z) *simul insipiens & stultus peribunt.*

LVI.

(y) *Psalm.* 13. (z) *Psalm.* 45.

## LVI.

*Catalogus aliorum textuum primæ classis, qui simili methodo exponi possunt.*

Ex libro Exodi c. 4. *Iratus Dominus in Mosen ait: Aaron frater tuus &c.* quomodo Deus contra Mosen iratus dicatur, & an ira in Deo locum habeat?

Ex libro Levitici c. 1. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio.* Quodnam discrimen intercesserit inter oblationes, victimas, sacrificia & holocausta?

Ex libro Numerorum c. 1. *anno altero egressionis eorum ex Ægypto.* quot annis servitus in Ægypto duraverit, an quadringentis annis ut dicitur *Genes.* 15. aut decem supra unum, ut eruitur *e lib. Exod. c.* 1.

Ex libro Deuteronomii c. 24. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fæditatem, scribet libellum repudii.* qualis fuerit iste libellus, & quis ejus effectus?

Ex libro Josue c. 6. *steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* qua ratione sol & luna stetisse dicantur, & num stare possint?

Ex libro primo Regum c. 28. *Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit*

*voce magna &c.* quomodo explicanda sit apparitio Samuelis mortui?

Ex libro Tobiæ *c.* 6. *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* An virtus ista fumi fuerit naturalis vel supernaturalis?

Ex libro Psalmorum *Ps.* 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* quomodo hæc genesis, & particula *hodie* sit intelligenda?

Ex Jeremia *c.* 1. *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* An hæc verba intelligenda sint de sanctificatione Jeremiæ in utero matris?

Ex Daniele *c.* 4. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Qua ratione dici possit Nabuchodonosor in feram mutatus, & quomodo contigerit hæc metamorphosis?

Ex Aggæo *c.* 12. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ.* an intelligenda sint hæc verba secundum literam de Templo Solymæo restaurato per Zorobabelem, an allegorice de templo per adventum Christi glorificato?

Ex actis Apostolorum *c.* 2. *Factus est repente sonus tanquam advenientis spiritus . . . apparuerunt illis dispartitæ linguæ.*

Quomodo Spiritus S. apparuerit in figura venti & ignis: an fuerit duplex apparitio?

Ex iisdem c. 7. *Video cælos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei.* Quomodo intelligendum sit, quod Christus steterit a dextris æterni Patris sui?

Ex Evangelio Matthæi c. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* An ex verbis istis erui possit, B. Virginem castitatis voto se obstrinxisse?

Ex Evangelio Marci c. 1. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Qualis fuerit iste baptismus, quis ejus effectus, & quale discrimen inter baptismum Joannis & baptismum Christi?

Ex Evangelio Lucæ c. 23. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.* Quomodo explicanda sit hæc eclipsis solis secundum tempus, secundum locum, & alias circumstantias?

Ex eodem Evangelio c. 17. *Ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Qua forma apparuerit dæmon, quo modo transtulerit Christum in pinnaculum Templi, qua ratione ostenderit omnia regna mundi?

Ex

Ex Evangelio Joannis c. 8. *Et iterum se inclinans scribebat in terra: audientes autem unus post unum exibat.* qua ratione hæc Salvatoris scriptura, & Scribarum ac Pharisæorum egressus sit exponendus?

Ex Epistola Paulli ad Romanos c. 10. *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* An sit intelligendum de tempore Apostolorum, quod in toto terrarum orbe divulgatum sit Evangelium?

Ex Epistola ejusdem ad Galatas c. 3. *At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* an intelligatur lex vetus abrogata, etiam quoad moralia præcepta.

Ex Apocalypsi c. 6. *Et stellæ de cælo ceciderunt super terram.* an proprie vel metaphorice hic casus stellarum sit accipiendus?

## LVII.

### Paradigma secundæ Classis.

*Expositio Textus:*

*Plantaverat autem Deus Paradisum. Genes. 2.*

Utrum adhuc exstet paradisus, initio mundi a Deo creatus?

*Prænot.* 1. Quæstionem hanc una ex parte oriri ex traditione vetusta plero-

rumque Patrum, qui contendebant, perseverare adhuc paradisum, ex altera vero ex ignorantia omnimoda, in qua orbis parte vel angulo ille nunc reperiatur. *Praenot.* 2. Paradisi significationem esse duplicem, unam propriam & antonomasticam pro loco illo, ubi collocatus & lapsus fuit primus Parens Adamus: alteram metaphoricam pro loco omni amoenitate perfuso, uti Ezechiel eum describit (a) *in deliciis Paradisi fuisti. Praenot.* 3. Tres esse hac in re opiniones; prima asserit Paradisum etiamnum hodie existere, estque Patrum & Doctorum antiquorum fere omnium. Secunda, eum partim periisse, partim exstare. Tertia, Paradisum licet reipsa exstiterit, a diluvio penitus fuisse destructum.

*Conclusio.* Dicendum videtur cum secunda sententia: exstare quidem locum Paradisi, ipsum autem Paradisum, prout locus *voluptatis* a S. Scriptura dicitur ac describitur, non amplius existere.

*Argumentum primum.* De paradiso dum meminit Scriptura, ait: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita*, scilicet Physon, Gehon, Tigrim, & Euphratem. igitur paradisi locus sive se-

(a) Cap. 28.

olum adhuc exſtat circa fluvium illum, e quo oriuntur Tigris & Euphrates, quorum fluminum nomina etiamnum perſeverant. Quoniam, vero apud Hiſtoricos & Geographos etiam accuratiſſimos nulla Paradiſi, tanquam horti voluptate ac deliciis pleni notitia vel veſtigium reperire eſt, merito infertur, eum ita conſideratum non amplius exiſtere.

*Argumentum ſecundum.* Paradiſus a Deo collocatus fuit in terra noſtra, quam inhabitamus: unde ejectis primis parentibus ante illius introitum poſuit Cherubin, qui flammigero enſe arceret eos ab ingreſſu, quod fruſtra fuiſſet, ſi neſcio quo in loco extra terram, ut quidam contendunt, ſitus eſſet. Verum omnis terra, quam inhabitamus, utpote immerſa undis deſtructa & everſa fuit per diluvium, dicente Scriptura (b): *Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo*: igitur & locus iſte *voluptatis*, communi fato ſubjectus erat.

*Rationes*, quæ in contrariam partem adferuntur, non ſatis firmæ ſunt. *Prima* eſt ingens conſenſus SS. Patrum pro Paradiſi perſeverantia. *Secunda* Scripturæ te-

(b) *Genes.* 7.

teſtimonium de Enoch (idem dicendum de Elia) *Enoch placuit deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam* (c). Quum ergo exſtent adhuc Prophetæ iſti, ac ſint in Paradiſo, neceſſe erit locum hunc adhuc exiſtere. *Tertia*, terra diluvio diſſipata iterum refloruit, amœnamque formam induit: Cur non etiam Paradiſus? *Quarta*, ſaltem tempore Chriſti morientis paradiſus adhuc exſtitit, dicente ad latronem Salvatore: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

*Reſpondetur ad* 1. Secundum regulam a Vincentio Lirinenſi traditam *antiqua SS. Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum in fidei regula magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt, & ſequenda*, præſertim ſi poſterioribus temporibus rei veritas magis magisque in lucem e tenebris protrahatur, uti hac in re accidit. *Ad* 2. Paradiſus, in quem Enoch & Elias translati dicuntur, probabilius non eſt paradiſus proprie, ſed metaphorice ſumptus, uti dictum eſt *Prænot. ſecundo.* certe Rupertus (d) ait: „ Nusquam Scriptura dat intelligi, quod „ Enoch & Eliam Deus transulerit in ip„ ſum paradiſum, ubi comederent de li„ gno vitæ, & viverent in æternum; ſed „ ita

(c) *Eccleſ.* 44. (d) *l.* 3. *de Trinit. c.* 32.

„ ita ſublati ſunt, ut in ſecretam quan-
„ dam regionem terræ ducerentur, ubi
„ in magna carnis & ſpiritus quiete vive-
„ rent, quousque ad finem mundi re-
„ deant „. *Ad* 3. An poſt diluvium ita refloruerit terra, uti prius erat, cum eadem amœna facie, ſitu, & ordine plantarum, camporum, florum, frugum &c. admodum dubium eſt, quin veroſimilius, plures pulchritudinis muſcas, quas vocamus, videlicet ruinas, ſolitudines, antra & ſpelæa fuiſſe a diluvio relicta in hodiernum usque diem. De paradiſo ſpecialis ratio eſſe videtur. Erat enim ſingulare opus Conditoris Dei: ipſe velut manu ſua plantaverat hunc voluptatis hortum, & deſtinabatur locus iſte parentibus noſtris, filiis & nepotibus, ſi in primæva innocentia & ſtatu gratiæ perſeveraſſent, qui finis commiſſo originis peccato quamprimum ceſſavit. Quare licet ſolum illud loci permanſerit, non tamen ornatus, deliciæ, dotesque illæ, quæ Paradiſi nomen merebantur. *Ad* 4. hoc in loco per paradiſum alii intelligunt cœlum, alii Chriſtum ipſum, ejusque præſentiam, alii majore cum fundamento ſinum Abrahæ, in quem Lazarus ab Angelis deportatus fuiſſe dicitur.

## LVIII.

*Catalogus aliorum Textuum secundæ classis, qui simili methodo exponi possunt.*

Ex libro Genesis. *c.* 1. *Fiat lux, & facta est lux*, primo scilicet mundi die. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti*, quarto die. Quæritur, quum non sit dies sine luce, nec lux nisi a sole, quomodo prima secunda, & tertia mundi dies esse potuerit, necdum pr oducto sole!

Ex eodem *c.* 2. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Utrum præcepta fuerit comestio de omni ligno, sicuti prohibita de ligno scientiæ boni & mali?

Ex eodem. *c.* 11. *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem.* Quænam fuerit primæva hominum lingua?

Ex libro Exodi *c.* 11. *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier a vicina sua vasa argentea & aurea.* An & quomodo licita fuerit spoliatio Ægyptiorum?

Ex libro Numerorum *c.* 14. *Et in columna ignis per noctem.* Utrum fuerit una eademque columna ignis & nubis, quæ per desertum viam monstrabat hebræis?

Ex libro Deuteronomii *c.* 34. *Quem nosset Dominus facie ad faciem.* Utrum Moses viderit in hac vita divinam essentiam?

Ex libro Josue *c.* 9. *Juravimus eis in nomine Domini; & idcirco non poterimus eos contingere.* Utrum juramentum præstitum a Josue Gabaonitis validum & licitum fuerit?

Ex libro Judicum *c.* 11. *Fecit ei, sicut voverat.* utrum Jephte peccaverit vovendo, & immolando filiam suam?

Ex eodem libro *c.* 16. *Moriatur anima mea cum Philistiim, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat.* An seipsum ruina domus obruendo peccaverit Samson?

Ex libro primo Regum. *c.* 28. *Dixit Samuel ad Saul: quare inquietasti me, ut suscitares?* An Samuel per Pythonissam suscitatus & apparens Sauli fuerit verus Samuel, an dæmon, vel phantasma, vel umbra Samuelis?

Ex libro secundo Regum *c.* 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* Qua ratione & ob quam caussam hoc factum

 Ozæ,

Ozæ, quod religiosum & laudabile videri posset, meruerit pœnam mortis repentinæ?

Ex libro tertio Regum. *c.* 11. *Cum jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* & *Proverb. c.* 24. *Novissime ego quoque egi pœnitentiam, respexique ut eligerem disciplinam.* An salvus factus, vel damnatus dici possit Salomon?

Ex libro quarto Regum *c.* 2. *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque* (Eliam & Elisæum) *& ascendit Elias in cœlum.* & *Genes. c.* 5. *Ambulavit* (Henoch) *cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* An vivant adhuc Henoch & Elias, ut communiter tenent Doctores, an vero post mortem sint translati in cœlum, ut Judæi opinantur?

Ex libro Ecclesiastici *c.* 48. *Et prophetavit mortuum corpus ejus*, scilicet Elisæi item ibidem. *c.* 49. *Et ossa ipsius* (Joseph Patriarchæ) *visitata fuerunt, & post mortem prophetaverunt.* Quomodo & an vere corpus Elisæi, & ossa Josephi post mortem prophetaverint?

Ex Evangelio Matthæi *c.* 2. *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Quidnam fuerit illa stella quæ Christo nascente apparuit Magis?

Ex Evangelio Marci *c.* 16. *Surgens autem mane, prima Sabbati, apparuit primo Mariæ.* Utrum Christus Dominus exsurgens primo Matri suæ apparuerit, antequam appareret Magdalenæ?

Ex Evangelio Lucæ *c.* 22. *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Utrum sudor Christi fuerit naturalis vel secundum substantiam, vel secundum modum?

Ex Evangelio Joannis *c.* 21. *Sic eum volo manere, donec veniam.* Utrum præter Enoch & Eliam superstes sit adhuc S. Joannes Evangelista, ut in fine mundi prædicaturus adveniat?

Ex Epistola ad Hebræos *c.* 9. *Statutum est hominibus semel mori.* Utrum omnes homines, etiam illi, qui ad finem ante supremum judicii diem erunt superstites, sint morituri?

Ex Epistola ad Corinthios prima *c.* 15. *Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Utrum omnes homines eodem temporis momento sint surrecturi, & qualis illa tuba futura sit?

Ex Epistola ad Romanos *c.* 15. *Cum in Hispaniam proficisci cœpero.* Utrum Apostolus Paullus solum constituerit adire Hispaniam, an vero reipsa illuc venerit?

Ex Apocalypsi *c. 7. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel . . . post hæc vidi turbam magnam ex omnibus gentibus, quam dinumerare nemo potest.* Num primus locus sit intelligendus de Judæis, hoc præcise numero in fine mundi convertendis ad Christum: alter vero de gentilibus?

## LIX.

Ad calcem Theologiæ Positivæ operæ pretium esse videtur, appendicis instar annectere præstantiores Interpretes S. Scripturæ, qui vel in totam, vel in plures ejusdem libros insigni cum laude sunt commentati, vel aliis doctissimis voluminibus, & quæstionibus oeconomiam sacri Codicis illustrarunt.

Ad primam Classem pertinent Anselmus Laudunensis Ecclesiæ Diaconus, qui in omnes Scripturæ locos contexuit *Glossam* illam, quæ dicitur *Interlinearis*. . . . Strabus Walfridus Fuldensis Monachus, & discipulus Rabani Mauri, Auctor *glossæ*, quam vocant *ordinariam*. . . . Dionysius Carthusianus, seu Dionysius Richelius, Carthusianus Monachus, Doctor Ecstaticus vulgo nuncupatus. . . . Hugo de S. Caro, Cardinalis, Ord. Prædic. hic præ-

ęter varia in universam Scripturam com-
ęntaria primus incomparabile illud opus
*ncordantias Bibliorum* cum viris a se
lectis concinnavit, quod postea magnis
crementis aliorum opera fuit auctum.
. . Nicolaus Lyranus Ord. S. Franc.
ormannus, præter quæstiones veteris
novi Testamenti breves in universa
cra Biblia commentarios scripsit. . . .
ornelius a Lapide S. J. natione Belga,
defesso quadraginta annorum studio com-
entatus est in omnes tam novi quam
steris Testamenti libros, exceptis Job
Psalmorum, quos ne perficeret, mors
stitit. Totum opus in decem Tomos
visum est, latetque in eo ingens sacræ
uditionis Thesaurus. . . . Emanuel Sà
J. scripsit scholia in quatuor Evange-
ı, & annotationes in omnem Scriptu-
ım: Opus quidem est concisum & con-
actum, sed eo ampliore studio elabora-
ım. . . . Jacobus Tyrinus S. J. singulari
uditione simul ac brevitate totam sa-
am Scripturam notis ac scholiis illu-
ravit. . . . Joannes Mariana S. J. breves
ommentarios in universam Scripturam
um uno tractatu pro editione vulgari
icrorum Bibliorum in lucem dedit. . .
oannes Stephanus Menochus S. J: præ-
er alia brevem sensus literalis totius Scri-
pturæ

pturæ explicationem elucubravit. . . . Augustinus Calmet Ord. S. Bened. maxima eruditione, multisque tomis totam exposuit Scripturam, adjecto etiam Dictionario Biblico, Historico-Critico-Chronologico & Geographico.

Ad secundam Classem pertinent inprimis plurimi SS. Patrum, qui in aliquos, vel etiam plures Scripturæ libros homilias & sermones scripserunt, uti SS. Athanasius, Augustinus, Hilarius, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Isidorus, Joannes Chrysostomus &c. . . . Ex his eminuit D. Hieronymus, qui præter duas veteris Testamenti versiones, & novum Testamentum a mendis purgatum egregia edidit commentaria in plerosque Scripturæ libros. . . . Origenes Alexandrinus, præter Tetrapla, Exapla, & Octopla variis commentariis, scholiis, & homiliis quampluribus sacra Biblia magna ex parte illustravit. . . . Theodoretus Antiochensis & Diodorus Tarsensis Episcopus literali sensui inhærentes multas & varias lucubrationes Biblicas posteritati reliquerunt. . . contra Rupertus Abbas Ord. S. Bened. allegorico inhærens sensui, succinctas e SS. Patribus expositiones Scripturæ libris quadraginta duobus complexus est. . . .

Ro

Rabanus Maurus, natione Germanus, Abbas Fuldensis, postea Archiepiscopus Moguntinus, e SS. Patribus collegit erudita varia in utrumque Testamentum commentaria. . . . Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus scripsit in Prophetas minores, & in Psalmos, in Evangelia, & in omnes D. Paulli epistolas. . . . Hugo de S. Victore, natione Saxo, Ord. S. August. dictus ab aliis alter Augustinus, præmissis prænotionibus de Scripturis & sacris Scriptoribus, annotationes, quas *elucidatorias* vocat, fere in totum S. Codicem exaravit, exceptis Prophetis & libris Sapientiæ. . . . Alphonsus Tostatus in utrumque testamentum commentaria scripsit varia viginti quatuor voluminibus comprehensa. . . . Joannes Maldonatus S. J. notissimos & insignes Commentarios in quatuor Evangelia (præter alios in quodam Prophetas) in Tomos undecim distinctos typis vulgavit. . . Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, Ord. Præd. doctissimas expositiones Scripturæ vix non totius, exceptis Canticis, Prophetis, & Apocalypsi, conscripsit. . . . Alphonsus Salmeron S. J. e primis S. Ignatii Sociis composuit volumina undecim de variis in Scripturam quæstionibus Evangelicis, & quinque alia in actus Apostolorum, & Epi-

Epiſtolas Canonicas, doctrina & eruditione plena. . . . Cornelius Janſenius, Gandavenſis Epiſcopus, commentatus eſt in Pſalmos, in Proverbia, in librum Sapientiæ, in Eccleſiaſticum: inſuper *Concordiam* Evangelicam edidit. . . . Arias Montanus docte ſcripſit in Prophetas, in Geneſin, in Joſue, in Judices, in Pſalmos, in Iſaiam, in Evangelia, in Epiſtolas Canonicas. . . . Jacobus Bonfrerius S. J. præclaras lucubrationes edidit in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numerorum librum, Deuteronomium &c. Joannes de Pineda S. J. docte commentatus eſt in Job & Eccleſiaſten tomis tribus.

Ad tertiam Claſſem pertinent Richardus a S. Victore, qui varia & egregia edidit opuſcula, inter quæ eſt declaratio difficultatum S. Scripturæ, ad S. Bernardum. . . . Sixtus Senenſis Ord. Præd. vir erudititiſſimus in S. Scripturis aliisque literis: ſcripſit Bibliothecæ Sanctæ libros octo, unumque librum Sapientiæ *Sophias Monoteſſaron* dictum. . . . Joan. Fernandus S. J. edidit divinarum ſcripturarum theſaurum tribus in Tomis, ubi difficiliora explicat Bibliorum loca. . . . Benedictus Pereyra, ſive Pererius S. J. præter quatuor Tomos Commentariorum in Geneſin, eruditione celebres, quinque alios in lu-

cem

cem dedit selectarum Disputationum in S. Scripturam. . . . Thomas le Blanc S. J. insignem Psalmorum Davidicorum Analysin tomis sex complexus est. . . . Guilielmus Esthius, Lovanii Præpositus Ecclesiæ S. Petri, & Academiæ Cancellarius præter Commentarios in Epistolas D. Paulli, aliorumque Apostolorum reliquit insignes notas in præcipua & difficiliora loca Scripturæ. . . . Petrus Daniel Huetius, Episcopus Abrincensis, vir doctissimus, qui eximios duos libros de Demonstratione Evangelica ad Delphinum edidit. . . . Joannes Morinus, Gallus Exercitationes Biblicas conscripsit, in quibus per viginti annos desudavit. . . . Arnaldus Milhetus, Gallus, brevem ac distinctam texuit universæ Scripturæ notitiam. . . . Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, Ord. Præd. qui Tractatum de Scriptura Sacra. . . . Bernardus Lamus Oratorii D. J. Presbyter, qui Commentarium in Harmoniam & Concordiam Evangelicam. . . . Non minus Petrus Annatus Congr. Doctr. Christian. Generalis Præpositus magno studio Apparatum ad *Positivam* Theologiam instruxit duobus libris. . . . Novissime Didacus de Quadros S. J. Madriti eruditam Palæstram Biblicam tomis duobus elucubravit, in qua ingenti serie enume-

rat

rat Scriptores tum in universam sacram Scripturam, tum in singulos ejusdem libros, veteres & nostri temporis, inter quos postremos facile ducentos e Societate Jesu recenset.

# *CAPUT V.*

## OECONOMIA THEOLOGIÆ POLEMICÆ.

### §. I.

### *Origo hujus Theologiæ.*

LX.

Theologia Polemica nomen suum sortitur a militia, & bello perpetuo contra infideles & præcipue contra hæreticos absque induciis gerendo. Nunquam enim defuerunt a primis Ecclesiæ Christianæ veluti cunis ad hæc usque tempora perversi homines, qui orco instigante, armaque & furorem subministrante arcem hanc veræ fidei, nimirum Ecclesiam Christi, licet firmissimæ impositam petræ, infestarunt, & quantum penes ipsos erat, expugnare conati sunt; neque deerunt usque ad finem mundi. Sed

frustra:

frustra: idem enim illius conditor & caput Christus, qui per os Paulli dixit: *oportet & hæreses esse* (e) idem inquam Christus ore suo prædixit atque promisit; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (f). Uti enim singulis seculis hæresiarchæ & sectarii aliqui, erroribus, dolis atque fallaciis instructi in aciem prodierunt; ita etiam singulis seculis sic ordinante divina Providentia Sancti Patres & viri doctissimi, *scuto fidei*, *galea salutis*, & *gladio spiritus* armati obviam iverunt his hæresum monstris debellandis. Initium igitur hujus Theologiæ a primis statim Ecclesiæ temporibus repetendum est. Prius autem nosse oportet, qua ratione tunc constituta fuerit nascens Ecclesia. Vix Christi regnum caput extulit, novaque lex Evangelica, per Apostolos prapagari cœpit non tam pugnando, quam patiendo; neque alieni sed proprii sanguinis profusione, portæ inferi adversus eam e sedibus suis commotæ fuerunt. Tria propemodum secula continuas inter persecutiones exegit Ecclesia. Nerones, Domitiani, Trajani, Hadriani, Antonini, Severi;

(e) 1. *Cor.* 11. (f) *Matth.* 16.

veri, Maximini, Deciani, Valeriani, Diocletiani nomina sua posteritati transscripsere non tam rerum gestarum gloria, quam sævitia & tyrannide memoranda. Usque tamen adeo invaluit has inter tempestates Christiana Religio, ut jam tum seculo tertio per totum pene orbem terrarum fuerit dilatata. Quo plus sanguinis fundebatur, tanto magis nobilis cruor ebullire cœpit in venis Martyrum, & quo plura demetebantur capita, eo majoribus auctum est Ecclesiæ corpus incrementis. *Cruciate*, ajebant Christiani teste Tertulliano (g) *torquete, damnate, atterite nos . . . plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Non solum autem fidei novæ ac exosæ professio populi ac Principum sævitiem in eos provocavit: accesserunt & aliæ caussæ, odiorumque fomites. Habebantur vulgo ut genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ, (Suetonii verba sunt) homines flagitiosi & odio generis humani convicti, (ut loquitur Tacitus) infanticidiorum & incestuum, quos in suis antelucanis conventibus exercerent, accusati, reique crediti. Magnam quoque nomini Christiano labem asperserunt Gnostici, primorum temporum

(g) *Apologet.* [illegible]

rum hæretici, homines revera impurissimi, quorum infamia in omnes redundavit. Præterea quum a ludis festisque publicis, a communi lætitia & conviviis abhorrerent, ne idololatriæ sordibus contaminarentur, vitamque viverent solitariam, noxium genus hoc hominum existimabant etiam prudentiores gentilium & qui supra plebem sapiebant, credebantque consultum fore, ut ad vitandas reipublicæ dissensiones e medio tollerentur. Quumque nihilominus ingens quotidie plebejorum æque ac nobilium accessus ad hanc sectam fieret, quæ præter novam doctrinam mores quoque severiores præseferebat, vitæque austerioris genus profitebatur, argumento sane fuit, non humano quodam, sed æterno divinæ providentiæ consilio Religionem hanc primo institutam, dein auctam, propagatam conservatamque fuisse.

Verum præter Ethnicorum vexationes, quibuscum nascentem Ecclesiam luctari oportuit, mox ab initio aliud adversariorum genus magis nocivum velut e styge prodiit, hæreses nempe ac hæresum ministri, qui velut locustæ Ægyptiacæ dominicum hunc agrum fœde vastarunt. Quum adhuc in terris degerent Apostoli, rari fuerunt hæretici: verebantur enim a

vivis illis testibus nimis quam aperte errorum suorum convinci. At iis e mundo sublatis stipato agmine quasi e latebris prodire cœperunt, quemadmodum D. Paullus Ephesinis Episcopis prædixit (h): *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo: Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Caussa erat in promptu: quippe gentiles a puero partim absurdis fabulis & erroribus, partim vitiis innutriti, etiam tum ubi Christianis sacris nomen suum dederunt, minus serio fidei negotium agebant, & ad pristinos errores postliminio redierunt: Alii dum temere cum gentilibus Philosophis christianam doctrinam impugnantibus congressi sunt, eorum irretiti sophismatis ad aliena ad fide dogmata deflectebant, & male semel prolata postmodum adhuc peius defendebant: alii Philosophi, gens sectæ suæ tenacissima, ut Stoici & Platonici fidelium numero aggregati placita sua cum regulis Christianis conciliare volentes infelici partu hæreses effuderunt, aliosque incautos eodem infecerunt doctrinæ suæ veneno: alii

(h) *Act.* c. 20.

alii superbia stimulante, quum honorum ac dignitatum, ad quas aspirarunt, repulsam essent passi, palam defecerunt, & ore simul ac calamo Ecclesiam acerrime impugnarunt. Succedentibus temporibus vel instigante malitia, vel stimulante, quæ inflat, scientia, semper autem obstetricis officio fungente superbia, innumeræ in lucem prodierunt hæreses, nunquam non ad tenebras, unde emerserunt damnatæ. Longum foret singularum texere catalogum: Petrus Annatus in suo ad Theologiam Positivam apparatu numerat facile centum & sedecim, longe plures Joannes Dominicus Musantius S. J. in sua Face Chronologica ad sacram & profanam historiam: præcipuas duntaxat earum, quas nosse oportet Theologum Polemicum, seculorum ordine quam brevissime fieri potest, in conspectum dabo.

Seculo I. *Simon Magus* cæterorum Patriarcha comparuit, qui sacra baptismatis fonte lustratus, quum vidisset Spiritum S. in eos, quibus manus imposuit D. Petrus, Christianos illabi, & ab hoc hominum genere mira patrari, oblato argento grandem hanc potestatem a Principe Apostolorum licitari cœpit; sed rejectus præstigiis operam dedit, donec ejusdem D. Petri precibus ex alto præcipitatus misere interiit.

Atque hic Simon auctor est hæresis, quam Simoniam dicunt.

Seculum II. protulit *Gnosticos* a γνώσει seu scientia, quam sibi præ cæteris arrogabant, sic appellatos, qui nefanda quæque tum dogmata sparserunt, tum flagitia commiserunt, docentes Christiano homini fas esse ad quæstiones & supplicia vitanda colere idola, abnegare Christum ore, mentiri & pejerare: pusionem recens natum in mortario probe contusum & aromatibus conditum mensæ inferebant, eoque dapis Eucharisticæ loco vescebantur. Antesignanus eorum erat Carpocrates, vel ut alii volunt, Valentinianus. Huic sectæ turpissimæ alia *Montanistarum* e diametro opposita fuit, cujus parens Montanus Phryx, unde sectatores ejus dicti sunt Cataphryges. Hic continentiam ita commendabat, ut conjugia damnaret, juberet divortia; simulato idolorum cultu martyrii palmam declinare (uti factitabant Gnostici) non modo illicitum esse contendebat, sed spontanea sui delatione subeundam esse mortem præcepit, insuetaque jejunia ad salutem necessaria promulgavit; se vero Paracletum a Christo promissum venditabat. Hæresis hæc Ecclesiæ stragem intulit longe maximam in uno Tertulliano, quem falsa severioris

disciplinæ specie delusum in præceps egit.

Seculo III. hæresin suam sparsit *Novatianus* Presbyter, docuitque negandam esse veniam illis, qui in graviora crimina prolapsi essent, præsertim Apostatis: vim quoque omnem baptismo ab hæreticis collato ereptum ibat; quin & vincula peccatorum post baptisma commissorum solvendi potestate Ecclesiam exuit. Ad hoc seculum pertinet hæresis *Anabaptistarum*, seu illorum, qui omnes ab hæresi aliqua ad fidem Catholicam reversos iterum esse baptizandos contendebant, etsi antea legitimo baptismo fuissent abluti: doctrina hæc initio intra limites controversiæ stetit, postmodum vero in hæresin migravit. Hoc ipso seculo Origines, sublimi ingenio Vir & multis pro fide Catholica perfunctus laboribus, in falsa dogmata prolapsus est, immo multarum hæresum semina sparsit, quæ Arius, Pelagius, & universi fere post ipsum hæretici propagarunt.

Seculo IV. Primo *Manichæi* insurrexerunt, Coryphæo Manete quodam. Hi duo rerum principia statuerunt, & quidem æterna, unum bonum omnisque boni fontem, alterum malum malorumque omnium originem: liberum homini

arbitrium negabant, duplicem uni corpori nectentes animam, unam a bono ortam principio, videlicet rationalem, alteram a malo, seu carnis concupiscentiam vulgo dictam, omniumque peccatorum culpam in mali principii naturam conjicientes &c. Erroribus his Manichæorum involvi se passa est non satis cauta juventus Augustini. Secundo *Donatistæ* duce Donato Numidiæ Episcopo, qui veram Ecclesiam Dei sponsam corruptam, & in ea solos bonos, quales præter se nullos agnoscebant, domesticos esse asseruere: Eucharistiam, sacrum Chrysma, aliaque sanctitatis monumenta contemptui habebant, fatali quoque in Monachos odio flagrantes: eo demum dementiæ venerunt, ut præpostero martyrii studio se ipsos præcipites dare, aliaque mortis genera subire gloriosum duxerint. Tertio *Ariani* ab Ario civitatis Alexandrinæ Presbytero, perito Dialectico, sed Theologo in Christum blasphemo sic nominati. Docuit hic Christum Dei filium haud esse ὁμοούσιον, id est consubstantialem Patri, sed puram creaturam esse, ac Patre æterno minorem. Hæresis hæc totum Orientem, amplamque Occidentis partem pervagata est, Imperatoribus in partes suas pertractis, sanctissimis Episcopis, qui se oppo-

oppoſuerunt, in exilium ejectis; plurimisque Catholicis fraudulenta ſimulatione in præceps actis.

Seculum V. *Pelagius*, *Neſtorius*, & *Eutyches* hæreticis dogmatibus infeſtarunt: Primus e Britannia majore oriundus, negabat hominem naſci obnoxium peccato originis, tantasque liberi arbitrii vires eſſe aſſerebat, ut absque gratia poſſit omnia Dei præcepta implere, reddi juſtus, ac ſalutem conſequi. Ex hac hæreſi poſtmodum ſpuria ſoboles prodiit, nempe *ſemi-pelagianismus*, cujus ſectatores cum Pelagio initium ſalutis, juſtitiæ ac fidei e ſolis naturæ viribus pendere docuerunt, cum Catholicis vero faſſi ſunt, reliquum ſalutis non ſoli naturæ, ſed gratiæ Dei adſcribendum. Alter, Neſtorius Monachus in Syria duas in Chriſto perſonas adſtruebat, negans Deum eſſe paſſum, & B. Virginem non Deiparam, ſed Chriſtiparam appellavit. Tertius ſeu Eutyches, uti perſonam unam in Chriſto agnovit, ita naturam quoque unam duntaxat admiſit, e divina & humana ſubſtantia veluti conflatam.

Seculo VI. Controverſia de *tribus Capitulis* excitata diuturnæ contentioni, & demum ſchismati occaſionem præbuit.

Versabantur autem tria hæc capitula circa librum Theodori Episcopi Mopsvestani, in quo Nestorianæ hæresi favere visus est; circa Theodoreti Cyrensis Episcopi commentarium, quo duodecim D. Cyrilli Anathematismos reprehendit; & circa epistolam Ibæ Edesseni Episcopi, quæ Cyrillum perinde ac Nestorium erroris arguit. Hæc tria Capitula Ecclesia Orientalis in Synodo Constantinopolitana II. damnavit; contra Occidentalis defendit, credens in Concilio Chalcedonensi approbata fuisse. Sub idem tempus *Monothelitæ* hæresin suam de una tantum in Christo voluntate spargere cœperunt; qui error labem quoque non modicam aspersit duobus orbis Christiani Capitibus, videlicet Constanti Imperatori, per edictum sub nomine *Typi* promulgatum huic hæresi faventi: & Honorio Pontifici in fidei negotio dissimulanter agenti.

Seculum VII. Turbavit *Mahometes* tum armorum insolentia, tum fabularum & errorum colluvie. Nam cum Sabellio Triadem Personarum in divinis negavit: cum Carpocrate Christum divinitate exuit, Prophetæ tamen titulo ornavit: cum Ario & Eunomio intra *puræ Creaturæ* limites eundem Christum conclusit: cum Donatistis eliminavit Ecclesiæ mysteria seu Sacra-

cramenta: cum Epicuro ſupremam felicitatem in corporis voluptate collocavit: cum Judæis & Ebionitis circumciſionem imperavit ſuis, & carnis ſuillæ, quin & vini uſu cum Tatianis interdixit.

Seculo VIII. *Iconoclaſtarum*, in Oriente potiſſimum, agmen impium in Chriſti & ſanctorum imagines deſævit, quorum ſacrilegos auſus ſtrenue promoverunt Orientis Imperatores aliquot, Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronimus, & non melior Patre filius Leo IV.

Seculo IX. Peculiari divini Numinis providentia effectum videtur, ut nullo ſeculo pauciores hæreſes pullularint, quam iſto, quo plerumque in Romanis Pontificibus probitas & doctrina deſiderabatur. *Manichæorum* tamen ſecta, licet oppreſſa penitus videbatur, reliquias tamen ſuas ſtudioſe conſervabat in Oriente: inde ſub initium ſeculi hujus noni in Bulgariam, e Bulgaria in Germaniam, & ex hac in Italiam, & demum in Galliam ſerpebat.

Seculo X. Lugubre illud *Schisma*, quod Orientalem & Occidentalem Eccleſiam poſtea diviſit, ſub Photio Patriarcha Conſtantinopolitano erupit. Initio certamen fuit circa primatum Eccleſiæ Romanæ, quem ereptum ibant Græci tum Patriarchæ tum Imperatores: poſtmodum [illegible] hæ-

[illegible]

resin degenerabat, negando Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere: denique Imperii & Catholicæ fidei ruinam post se traxit.

Seculo XI. *Berengarius* surrexit, qui parvulos a baptismi lavacro exclusit; in SS. Eucharistia carnem Christi reapse non esse præsentem, nec panis substantiam in corpus Domini transire docuit. Præterea *Albigensium* hæresis totam ferme Galliam infecit, omnemque Europam infectura credebatur, nisi armata manu compressa fuisset. Docuerunt autem Albigenses cum Manichæis & Gnosticis, duo esse rerum principia: carnis anastasin cum Sadducæis negabant: purgatorium simul & infernum eliminabant: præcipue vero baptismi, & Eucharistiæ sacramenta contemptui habuerunt, blasphemantes Christi corpus non alia ratione pani, quam rebus aliis subesse.

Seculo XII. *Waldenses*, sive ut vulgo vocabantur, Pauperes de Lugduno caput erexere in Gallia, qui Antesignano Petro Waldo, Mercatore Lugdunensi, Apostolicæ vitæ pallio tecti facultatibus suis in pauperes erogatis, otiosæ ac superbæ paupertatis doctores per pagos & oppida diffusi in Ministerium Evangelicum auctoritate propria involarunt, docentes insuper,

ſuper, non eſſe perſolvendas decimas Eccleſiæ, Euchariſtiæ aliorumque ſacramentorum adminiſtrandi munus non ad ſolos Sacerdotes, ſed ad omnes & quosvis Laicos pertinere, Aras & templa repudianda, ſummoque Pontifici & Epiſcopis non eſſe obtemperandum. Grave etiam hoc ſeculo *Schisma* ortum eſt in Occidente *Sacerdotium* inter & *Imperium*, ſive inter Pontifices & Imperatores circa poteſtatem & jurisdictionem ſpiritualem in eligendis & inveſtiendis, ut ajunt, Epiſcopis & Prælatis, quod ſchisma morum corruptelæ ac naſcituris inde hæreſibus præluſit.

Seculo XIII. Hæreſes quædam exigui nominis Eccleſiam infeſtarunt: notiſſima eſt *Flagellantium*, nata primum e pio quodam zelo, peccatorum pœnas de ſe ipſo exigendi incuſſis flagrorum ictibus. Sed brevi quum ſine lege, ſine modo plebeios inter & Nobiles id fieret, aditus patuit ſuperſtitioni, mox etiam hæreſi: eo enim audaciæ progreſſi ſunt, ut omnibus, qui non Flagellantium turbæ ſe adjungerent, peccatorum veniam indultum iri negarent, variisque aliis Waldenſium erroribus ſe ſe contaminarent.

Seculo XV. Nocentior peſtis Eccleſiam vaſtavit. Joannes Wicleffus in Anglia nefa-

nefaria quæque dogmata dissеminare non est veritus: horum quadraginta quinque ex ipsius libris excerpta damnavit Concilium Constantiense. Præcipua fuere: Deum mali omnis, etiam peccati auctorem esse: Sacramentorum administrationem etiam *Laicis*, modo justis & probis, competere: Episcopos, Sacerdotes, quin & Reges lethalis peccati reos officio suo ac dignitate excidere: diabolicum opus esse Ecclesias dotare: mandata Dei in claustris observari haud posse. Eosdem errores ex eodem fonte haustos spargere cepit in Germania Joannes *Huss*, ab eodem Concilio ad rogum damnatus; quin & alios addidit, scilicet Ecclesiam non aliis constare membris, quam electis ad vitam æternam: & communionem sub utraque specie omnibus, etiam laicis ad salutem necessariam esse.

Nullum tamen ex omnibus seculis adeo Ecclesiæ Dei funestum fuit, quam XV. & XVI. ubi velut catenis soluta hæresis multiplicis hydra ex orco emersit, totamque pene Europam susdeque vertit. *Lutherus* in Germania omnium fere præcedentium hæresiarcharum errores recoxit: Pontificem non esse Caput Ecclesiæ, sed Antichristum: nihil credendum, nisi quod in Scriptura continetur: hanc intelligendi

&

& interpretandi potestatem esse penes quemvis fidelium: Sanctorum & sacrarum imaginum cultum esse genus idololatriæ: Christum non contineri in Eucharistia, nec adesse, antequam sumatur: opera bona nullius esse meriti, immo peccata esse: jejunia, vota, & ceremonias sacras meras esse superstitiones: religiosa instituta diaboli inventum &c. *Calvinus* in Gallia tumultuari cœpit, ac impiis dogmatibus Catholicam Religionem evertere. Pleraque illorum ab iis, quæ Lutherus effudit, non abludunt, præterquam quod docuerit Christum non pro omnibus, sed pro electis solum fuisse mortuum, nullam homini libertatem inesse, sed eum necessario peccare, in Eucharistiæ sacramento Christum plane non contineri, sed id duntaxat figuram esse. Ex his duobus hæresum monstris fœcundissimis fere innumerabilis soboles aliorum sectariorum prognata Europam inundavit. Eodem Seculo unius hominis & Regis libidine nobilissimum Angliæ regnum ab Ecclesia Catholica defecit, dumque olim Sanctorum patria fuit, nunc omnibus sectis asylum præbet, sola fide Catholica proscripta.

Denique Seculo XVII. Nata est secta eo nocentior, quo subtilior, quam parturire

turire cœpit in Belgio Bajus; peperit in Gallia Janſenius, & natam educavit Paſchaſius Quesnellus in perniciem orbis Catholici. Verſatur autem iſta maxime circa gratiam divinam, & liberum hominis arbitrium. Errores Baji damnavit S. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII: Quinque famoſas Janſenii propoſitiones Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XII: alias Quesnelli Clemens XI.

Jam vero ut ad inſtitutum meum redeam, quum una ex parte ultimis duobus ſeculis omnium fere priorum ſeculorum hæreſes reſuſcitatæ fuerint, uti dictum eſt, & contra has omnes Concilium Tridentinum Canones & Decreta ediderit: ex altera vero parte in multis Europæ regnis atque Provinciis Catholici partim hæreticis mixti degant, partim in ipſis confiniis habitent, Theologiæ Polemicæ ſtudium non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium eſſe cœpit, magnisque poſt Tridentinum Concilium incrementis auctum, atque ad certam ſcientiæ methodum eſt redactum.

§. II.

## §. II.

### *Pars prima Theologiæ Polemicæ.*

### LXI.

Quum hæretici ſolidius non impugnentur, quam principiis generalibus, & deſcendendo ſtatim ad controverſias ſingulares communiter nullus vel modicus fructus ſperari poſſit, hinc in duas potiſſimum partes dividi ſolet Theologia Polemica. In prima examinantur controverſiæ generales 1. de veritate Religionis Chriſtianæ. 2. de Eccleſia, ejusque notis. 3. de Verbo Dei ſcripto. In ſecunda ad ſpeciales controverſias deſcenditur 1. circa gratiam & juſtificationem peccatoris. 2. circa juſtos, & beatos in altera vita. 3. circa Sacramenta.

### *De Veritate Religionis Catholicæ.*

Religionis nomine aliud non intelligitur, quam certus, & quidem a Deo profectus modus & ratio colendi Deum, vi cujus ei poſſimus placere in hoc mundo, & in altero obtinere felicitatem æternam, ad quam conditi ſumus. Nullus autem eſt præter Atheiſtas, & Deiſtas divinam providentiam negantes, qui omnem pror-

ſus religionem e mundo velit eliminare. Quare præmiſſo fundamento contra gentiles & quosdam hæreticos de exiſtentia Dei unius & trini, ac ſumme perfecti demonſtratur, quod vera aliqua & unica Religio a Deo revelata in mundo exiſtat, qua homines ad credenda certa myſteria & obſervanda quædam præcepta ſunt obſtricti . . . . Quæritur tum, an omnia Religionis Chriſtianæ myſteria ſint vera, id quod ex Chriſti novæ legis Conditoris divinitate, & hæc tum ex ipſius ſanctitate, potentia & ſapientia, tum ex auctoritate teſtium ejus divinitati ſuffragantium, tum ex operibus & miraculis Servatoris clariſſime probatur . . . . Porro oſtenditur, quanta ſit credibilitas Religionis Chriſtianæ, nimirum quod ſit evidenter credibilis, & quidem ſola excluſis aliis omnibus ſectis, atque ita, ut ſit etiam evidenter credenda . . . . Denique quæritur, an quivis Chriſtianus in ſua fide ſalvus fieri poſſit, ubi concluditur, non ſufficere ſolam fidem in Chriſtum, neque poſſe quemvis in ſua fide ſalvari; ſed inſuper requiri, ut omnes articuli revelati ac ſufficienter propoſiti recipiantur & credantur.

De

*De Ecclesia, & ejus notis.*

Ecclesia, Christi regnum est, reliquis omnibus mundi regnis auctoritate, & potentia longe excellentius; dum enim auctorem alium non agnoscit nisi Christum, qui simul Caput ejus est, quique illam super firmam petram stabilivit, ut ne quidem portæ inferi eam subruere aut labefactare valeant, tantam nacta est firmitatem, ut dum reliqua mundi regna misere post tempus aliquod collabuntur, sola hæc stet inconcussa, licet hæretici nullo non tempore aut armis, aut maledictis, aut insidiis eandem impetant. Ostenditur autem primo Ecclesiam Christi in terris militantem esse cœtum hominum sub uno capite profitentium fidem & doctrinam Christi: neque solum baptisma sine vera fide interna sufficere, ut quis constituatur membrum Ecclesiæ: atque hinc hæreticos, apostatas, & schismaticos, saltem qui errorem in fide cum pertinacia profitentur, haud esse membra Ecclesiæ: talia autem esse non solum prædestinatos & justos, sed etiam peccatores & reprobos, modo non laborent peccato infidelitatis . . . Ostenditur secundo, veram Christi Ecclesiam nulli errori obnoxiam esse seu in rebus necessariis, seu in aliis, quæ credenda vel facienda no-

bis proponuntur, sive contineantur expresse in sacra Scriptura, sive non; adeoque eam esse infallibilem, id quod clare manifestant & Scriptura, dum Ecclesiam hanc vocat *columnam & firmamentum veritatis* (i): & Caput ejus, quod est Christus: *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (k). Et officium credendi Ecclesiæ: *Quod si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut ethnicus & publicanus* (l)..... Ostenditur tertio, eandem Christi Ecclesiam, quæ est infallibilis, etiam perpetuam esse, utpote cui Christus dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (m). Nec non esse visibilem; est enim illa civitas, quæ *supra montem posita abscondi non potest* (n)..... Ostenditur quarto, Ecclesiam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam ex notis, quarum quatuor adsignat symbolum Constantinopolitanum, nempe quod Ecclesia Dei sit *Una* per fidem & doctrinam, quæ a Christi & Apostolorum tempore in hanc usque diem semper eadem & immutabilis ubique fuit: quod sit *Sancta* sanctitate dogmatum, præceptorum, consiliorum, ac morum, uti patet

(i) 1. *Timot.* 3. (k) *ad Ephes.* 1. (l) *Matth.* 18. (m) *Matth.* 28. (n) *Matth.* 5.

tet in Apostolis, Martyribus, & Sanctis miraculorum gloria conspicuis: quod sit *Catholica* seu universalis tum nomine, tum tempore, tum per totum orbem propagatione: quod sit *Apostolica*, perpetua & legitima successione Pastorum, seu Pontificum, Episcoporum, & Doctorum.

## *De Verbo Dei scripto, & non scripto.*

Scripturam sacram tanquam Dei Verbum agnoscunt & recipiunt quidem hæretici plerique, sed quia legitimum sensus & interpretationis ejusdem judicem, Ecclesiam nempe repudiant, ac privato spiritui ejusque criterio hanc potestatem adjudicant, innumeri errores omni ævo Christiano ex ipsa Scriptura vel male intellecta, vel in sinistrum sensum detorta in lucem prodierunt. Traditionem vero omnem magno fastu rejiciunt tanquam hominum commenta, immo figmenta Papistarum ad homines decipiendos. Quare Polemici contra utrumque hunc errorem in aciem procedunt, & quidem circa S. Scripturam demonstrant, hanc esse Verbum Dei tum contra Schwenkfeldianos, qui Scripturam rejiciunt tanquam *literam quæ occidit*, & solo spiritu interno contentos nos esse jubent: & Libertinos, qui eam fabu-

fabulis accenſent: tum contra Lutherum & Calvinum, criminantes impudenter, Papam & Eccleſiam Catholicam eliminare S. Scripturam, eique auctoritatem humanam ſubſtituere. Porro agunt contra hæreticos tam illos, qui Teſtamenti Veteris libros aliquos impugnarunt, quam eos qui e Novo Teſtamento alios expunxere. Contra hos oſtendunt, legitimum hoc in negotio judicem eſſe Eccleſiam, quæ maxime in Concilio Tridentino certum librorum Canonicorum numerum conſtituit . ... Ulterius propugnant, ſolam editionem vulgatam Latinam eſſe civitate donatam & authenticam, ac detegunt falſitatem argumentorum, quibus hanc fuiſſe corruptam contendunt hæretici... Monſtrant, quam provide ac ſapienter cautum ſit ab Eccleſia, ne Scriptura passim & ſine diſcrimine in vulgari lingua legatur: nec eandem eſſe tam apertam per ſe, ac claram, ut ſine interpretatione ac explicatione legitima ſufficiat ad controverſias fidei terminandas . . . Circa Traditionem vero ſeu Verbum Dei non ſcriptum demonſtrant ex Scriptura, definitionibus Pontificum & Conciliorum, ex auctoritate Patrum, aliisque rationibus, eſſe aliquas veras & genuinas traditiones, easque ab omnibus admitti debere

bere . . . Solvunt argumenta hæreticorum, quibus Traditionem eliminare volunt . . . . Explicant naturam, indolem, & varietatem Traditionum . . . ac demum regulas tradunt, quibus in cognitionem verarum traditionum pervenire possimus.

## §. III.

## *Pars secunda Theologiæ Polemicæ.*

### LXII.

Positis ac stabilitis principiis generalibus, quibus infallibilitas fidei Catholicæ contra sectarios in genere adseritur, ac cuivis, qui non sponte ad lucem meridianam cæcutiat, solidissime demonstratur, Polemica Theologia ad singulares fidei controversias descendit, eo fine ut non modo omnimoda certitudo nostræ fidei universe, sed etiam veritas singulorum fidei mysteriorum clare patescat; quamvis fateri oporteat, optimum fore, ut qui circa quæstionem fidei peculiarem cum hæreticis disceptaverit, ad principia generalia eam denique totam devolvat, id quod sæpe non tantum utile, sed quandoque etiam necessarium omnino est ad plene convincendos quosvis hæreticos, eorumque pertinaciam expugnandam. Atque ita, ut ordine debito procedat hæc

Theologia, ac diversissimi generis controversias in suas classes distribuat, agit 1. de gratia & justificatione peccatoris. 2. de justis, & beatis alterius vitæ. 3. de Sacramentis.

*De gratia & justificatione peccatoris.*

Primo loco hæc in medium adducitur materia, quum circa nullam sit adeo pertinax dissensio ac disceptatio sectariorum, quam circa hanc ipsam. Ad lapidem istum angularem offendunt innumeri, a cæcis ducibus misere excæcati mortales, qui *reputantes se esse sapientes*, ut Apostolus loquitur (o): *stulti facti sunt . . . & evanuerunt in cogitationibus suis*; quippe humanis quibusdam rationibus & sophismatis irretiti, ac fidei naufragium passi interierunt. Itaque quæritur, an in statu naturæ lapsæ adhuc detur libertas indifferentiæ, eaque propugnatur efficacissime contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium. . . . Item an quivis homo habeat gratiam sufficientem ad salutem, quod adseritur tanquam receptissimum dogma .... Deteguntur hæreticorum multiplices errores circa peccatum originale, ejusque remissionem . . . . Insuper contra sectarios, quorum aliqui justificationem in sola fide; alii

(o) *ad Rom.* 1.

alii in Christi meritis, quidam in Dei misericordia constituunt, demonstratur formalem justificationem consistere in justitia positiva, intrinseca, & cuivis propria; quæ in ipso justificationis actu infunditur, nimirum gratia sanctum faciens, seu sanctificans. . . . Probatur denique non solam fidem justificare, sed requiri etiam aliarum virtutum actus: atque ad salutem necessaria esse præter fidem bona opera: hæcque ab homine justo posse effici, & esse meritoria vitæ æternæ.

*De justis, & beatis alterius vitæ.*

Ecclesia a Christo instituta a primis Apostolorum temporibus SS. Patrum & Fidelium consensu in Militantem, Purgantem, ac Triumphantem divisa fuit. At hæretici, præsertim ultimis temporibus postquam Ecclesiam militantem multis erroribus infecerunt, etiam purgantem & triumphantem magnis assultibus sunt aggressi, eliminantes purgatorium, Ecclesias sacris imaginibus spoliantes, Sanctorumque cultum & aras evertentes. Contra hos asseritur primo adducta Scripturæ, Traditionum, & Patrum Sanctorum auctoritate maxima, dari purgatorium seu locum, in quo animæ justæ defunctorum,

quæ in hac vita non plene delicta sua expiarunt, detinentur in pœnis, usque dum penitus mundatæ ab omni reatu culpæ ac pœnæ mereantur in cœlum recipi . . . non minus, quod animæ in purgatorio detentæ juvari possint suffragiis vivorum. Secundo stabilitur cultus Sanctorum, atque inprimis ostenditur, Sanctorum defunctorum animas jam nunc frui visione beatifica: dein recte & licite coli sanctos tanquam amicos Dei, & hominum patronos cultu Duliæ, hoc est, majore, quam pure civili & politico, ac minore quam divino, atque ita cultu quodam medio inter divinum & politicum. Tertio examinatur quæstio, an Sancti sint invocandi, & contra heterodoxos statuitur adductis e S. Scriptura exemplis, Sanctos in cœlis pro nobis orare, non tantum universe, sed etiam peculiariter: eosdemque sive Angelos sive homines pie ac utiliter a viventibus invocari. Quarto contra eosdem defenditur honos & cultus, qui Sanctorum Reliquiis exhibetur in Ecclesia Catholica, quem tamen cultum non esse absolutum, seu quo quis aliquid honorat propter excellentiam rei intrinsecam, sed esse respectivum docent Theologi, seu talem, quo quis rem honorat propter respectum, quem habet

ad

ad aliquid aliud, videlicet Reliquias pie coli, non quod ipsæ ſint in ſe ac phyſice res ſacræ, ſed moraliter in æſtimatione hominum propter Sanctos, quorum Reliquiæ ſunt. Id ipſum propugnatur contra veteres & novos Iconomachos, ſcilicet non ſolum eſſe licitum pingere ac ſculpere imagines Chriſti, Deiparæ, Angelorum & Sanctorum, easque tam intra quam extra templa conſpectui exponere: ſed etiam venerari, ac religioſo cultu, nempe reſpectivo proſequi.

## *De Sacramentis.*

Quamvis hæretici levitatem animi ac inconſtantiam in omnibus fidei dogmatibus cum Eccleſia Catholica controverſis clare prodant, cumprimis tamen eam oſtendunt in materia de Sacramentis, ubi non modo non nobiscum, ſed ne quidem inter ſe conveniunt de neceſſitate, eſſentia, effectu, & numero Sacramentorum, ita ut propheticum illud vaticinium in eis impletum cernatur: *Pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, & civitas adverſus civitatem, & regnum adverſus regnum* (p). Vix enim unam civitatem eſt invenire, quæ cum altera hoc in nego-

tio

(p) *Iſai.* 19.

tio plene concordet: econtra Catholicæ Ecclesiæ una semper mens, eademque constanter & ubique doctrina fuit, id quod verum, qui eam regit, Dei Spiritum clare monstrat. Ut autem Theologi Polemici solidum doctrinæ de Sacramentis fundamentum jaciant adversus hæreticorum fallacias, primo agunt de illis in genere, ac definiunt: Sacramentum novæ legis esse signum sacrum, sensibile, symbolicum, practicum ac stabile ad nostram justificationem institutum; quæ definitio omnibus Sacramentis convenit, & omnia ea, quæ Sacramenta non sunt, a ratione Sacramenti excludit . . . præterea docent necessario ad Sacramentum requiri in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, seu voluntatem conficiendi Sacramentum . . . Dein tractant de effectu, & ceremoniis Sacramentorum, ostenduntque inprimis, omnia Sacramenta novæ legis in suscipiente rite disposito, seu non ponente obicem infallibiliter caussare gratiam sanctificantem, & quidem ex opere operato: tum, potestatem esse penes Ecclesiam instituendi Sacramentalia seu ceremonias sacras, atque fideles obligandi, ad easdem in administratione illorum observandas. . . . His præmissis singula Sacramenta exami-

ni

ni subjiciunt. *Baptismum* finiunt esse Sacramentum *regenerationis* per lavacrum aquæ in verbo vitæ, ut Catechismus Romanus docet, ita ut dum corpus abluitur exterius sub præscripta verborum formula, significetur, animam interius mundari ab originis peccato per gratiam Dei. Quare materia illius remota est aqua naturalis, proxima vero ipsa ablutio; forma autem sunt verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* . . . Administratur Sacramentum hoc valide a quovis homine, cujusvis conditionis, sexus, fidei, ætatis, modo habeat usum rationis, & debitam intentionem, adhibeatque omnia, quæ ad baptismi essentiam requiruntur . . . . Idem omnibus, etiam parvulis, a tempore quo lex nova est promulgata, necessarius est necessitate medii ad salutem, quin tamen infantes, dum baptizantur, habeant fidem actualem, ut hæretici quidam volunt. *Confirmationem*, quod est Sacramentum, quo baptizatus per augmentum gratiæ ad constantem fidei professionem roboratur, a solo Episcopo per Unctionem chrysmatis consecrati sub præceptis verbis conferri docent: ejus materiam esse chrysma seu oleum olivarum cum balsamo mixtum; proximam vero unctio-

unctionem frontis in formam crucis factam: verba demum *signo te signo crucis, & confirmo te chrysmate salutis* &c. atque hoc Sacramentum semel collatum iterari nequit, quemadmodum nec Baptismus. De *Eucharistia*, quæ Sacramentum est Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum, ostendunt Christum vere, realiter & substantialiter esse præsentem in Eucharistia .... Post consecrationem non amplius adesse substantiam panis & vini, sed corpus & sanguinem Christi cum anima & divinitate sub speciebus tantum ... corpus & sanguinem Christi esse præsentes in illa, quamprimum verba consecrationis rite sunt prolata, atque ita etiam extra usum ipsius ac distributionem .... sub una specie contineri & suscipi totum Eucharistiæ Sacramentum, nec dari præceptum divinum illud sumendi sub utraque extra Missæ sacrificium ... Missam autem verum novæ legis sacrificium esse propugnant ex Tridentino, aliisque Conciliis & Patribus, esseve *actum Latriæ*, præcipue ad agnoscendum supremum Dei dominium: tum quoque in signum nostræ servitutis quamvis sit etiam *eucharisticus*, *propitiatorius*, & *imperatorius* .... Vim

. . . Vim verò sacrificii ad impetranum esse infinitam in actu primo sive ioad sufficientiam, non autem in actu cundo, sive quod non moveat Deum finite ad concedendum id, quod petir. . . . De *Pœnitentia*, quæ Sacramenm est, in quo Sacerdos rite absolvens enitentem remittit ei peccata, & quiem auctoritate judiciali a Christo acpta, de Pœnitentia inquam probant, on solum annunciari remissionem, aut ntum declarari peccata a Deo esse reissa, ut volunt sectarii. . . . item ablutionem sacramentalem in hac provintia jure divino ad salutem esse necesriam post baptismum graviter lapsis, nec fficere peccata soli Deo confiteri. . . . c confessionem sufficere solum in gere factam, sed oportere omnia & sinla peccata mortalia distincte exponere . . *Extremæ Unctionis* (quæ Sacramenm est proprie dictum, a Christo institum, & a Jacobo Apostolo promulgam) materiam remotam assignant oleum ivæ ab Episcopo benedictum: proxiam vero ipsam unctionem olei cum orane fidei: formam denique illa verba: *r istam sanctam unctionem, & suam issimam misericordiam indulgeat tibi eus, quidquid deliquisti per visum* &c.

Do-

Docentque gratiam conferri hoc Sacramento, promissam verbis illis: *Si in peccatis sit, remittentur ei* (q). Hæcque omnia solidissime probant tum ex scriptura, tum e Conciliis, tum Traditione antiquissima, & perpetuo Ecclesiæ usu. *Ordinem* verum esse Sacramentum a Christo institutum, & per impositionem manuum ab Apostolis collatum, idque in Concilio Chalcedonensi, Florentino, ac Tridentino (r) definitum esse commonstrant Polemici . . . esseque septem Ordines, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum, *quorum ab ipso Ecclesiæ initio nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria in usu fuisse cognoscuntur.* Hi tamen omnes Ordines non conficiunt, nisi unum Sacramentum, quum omnes tendant ad unicum finem, ut constituant idoneum, qui offerat sacrificium Missæ, & Sacramenta præsertim Eucharistiæ ac Pœnitentiæ legitime administret. . . . Docent præterea, Christum neque determinate pro materia instituisse traditionem instrumentorum, neque impositionem manuum, neque hanc aut illam præcise formam: sed generatim requisivisse signum aliquod

(q) Jacob. 5. (r) *Sess.* 23. *can.* 3.

aliquod ſenſibile circa perſonam ordinandi, quo ſignificetur tradita ei poteſtas conſecrandi & abſolvendi, relicta Eccleſiæ facultate determinandi ſignum certum, quo ea ſignificetur. Hinc ſcimus elegiſſe Apoſtolos manuum impoſitionem, quam retinuit Eccleſia Græca addita formula verborum: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat* &c. Eccleſiam vero Latinam eandem manuum impoſitionem elegiſſe pro ſigno collatæ poteſtatis ad abſolvendum, cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* &c. pro ſigno autem poteſtatis ad conſecrandum traditionem inſtrumentorum cum forma: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium* &c. . . . *De Matrimonio* Theologi Polemici oſtendunt inprimis ex Scriptura & variis Conciliis, atque Fidelium conſenſu eſſe illius uſum honeſtum ac licitum. Initio quidem mundi, & ſtatim a diluvio fuit præceptum naturale de ineundo matrimonio ad propagandum genus humanum, ſed hoc ſatis multiplicato deſiit hoc præceptum. . . . Immo in nova lege Chriſti per ſe melius & laudabilius eſſe abſtinere a matrimonio, quam illud inire eſt de fide, uti patet ex Apoſtolo (s) virgi-

(s) 1. *Corinth.* 7.

virginitatem ſuadente, eamque conceptis verbis matrimonio præferente. . . Polygamia vero, ſeu pluralitas uxorum illicita eſt in lege Evangelica, jure divino. . . . Porro docent, matrimonium contractum a Chriſto ad rationem Sacramenti fuiſſe evectum . . . Quamvis autem matrimonia clandeſtina ſpectato ſolo jure naturæ ſint valida, fuerunt tamen ſemper ab Eccleſia graviter prohibita, & jure novo Tridentino (t) declarata ſunt invalida, ubi jus illud receptum eſt. Cenſetur autem clandeſtinum, ubi deeſt præſentia Parochi, & duorum vel trium teſtium. . . . Rurſus probant, matrimonium conſummatum divino ſaltem jure diſſolvi amplius non poſſe. . . . Demum oſtendunt, eſſe penes Eccleſiam poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii, eamque ſtatuiſſe quædam tum dirimentia, quæ nullum, tum impedientia, quæ illicitum reddunt matrimonium.

## LXIII.

Finem imponere juvat Oeconomiæ Polemicæ adjecto præ reliquis celebriorum quorumdam Virorum ac Scriptorum catalogo, qui vel univerſe, vel ſingularibus

(t) *Seſſ.* 24. c. 1.

bus certaminibus adversus hæreses in aciem prodierunt. *Primam classem ævi antiquioris* occupant merito SS. Patres, quorum plerique adversus impia hæreticorum dogmata calamum strinxere. Omnes sui ævi hæreses impugnarunt S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Augustinus, Tertullianus, Theodoretus, Vincentius Lirinensis, & S. Damascenus, qui præter illos, quos contra Iconomachos, Monothelitas, Manichæos, & Acephalos scripsit, libros unum de centum hæresibus vulgavit. . . S. Cyprianus fortiter dimicavit contra Novatianos : S. Athanasius, S. Hilarius Pictaviensis, S. Gregorius Nazianzenus & S. Ambrosius contra Arianos : S. Optatus Milevitanus contra Donatistas : S. Basilius contra Eunomium : S. Hieronymus contra Originem, Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, & Pelagium : S. Cyrillus contra Nestorium : S. Leo contra Nestorium, Eutychetem, & Priscillianum : S. Prosper contra Pelagianos & Semipelagianos : S. Maximus contra Monothelitas : S. Thomas & S. Bonaventura contra Græcorum errores : S. Bernardus contra Abailardum. *Ad classem ævi medii* pertinent : Thomas Stapletonus, Anglus, qui scripsit de magnitudine Romanæ Ecclesiæ libros duos. . . .

Fridericus Staphylus Cæsari a Consiliis contra sectarios Tomum unum. . . Dionysius Carthusianus Dialogion de fide Catholica. . . . Stanislaus Hosius Cardinalis Tomum de Confessione Fidei Catholicæ, & librum de expresso Dei Verbo. . . . Joannes Eckius, gravis Theologus in Universitate Ingolstadiensi, Enchiridion locorum communium contra Lutherum, de sacrificio Missæ, de Confessione, contra Bucerum &c. . . Wilhelmus Lindanus Ruremondensis Episcopus Panopliam de Verbo Dei scripto & non scripto libros quinque, Apologiam contra hæreticos Germaniæ, de Voto Virginitatis &c. . . Jacobus Latomus, Lovaniensis Doctor plura opuscula adversus temporis sui hæreticos. . . Joannes Cochlæus, Theologus & Canonicus Vratislaviensis, de Confessione Augustana, de votis, contra Bucerum librum famosum, cui titulus: Lutherus septiceps, ubi jugulum ejus petit, ostendendo illius contradictiones. . . . Emanuel Calecca Ord. Prædic. libros quatuor contra Græcorum errores. . . . Thomas Valdensis Anglus Ord. Carmel. libros duos contra Wiclefitas & Hussitas. . . . Joannes Faber, Viennensis in Austria Episcopus, Malleum hæreticorum libris sex, orthodoxam fidei

Catho-

Catholicæ defenſionem, aliumque librum de Miſſa. . . . Nicolaus Sanderus, Doctor Theol. Anglus Hiſtoriam ſchismatis Anglicani, & librum de Juſtificatione. . . . Joannes Barclaius Paræneſin ad ſectarios, libros duos. . . Franciſcus Turrianus S. J. de Hierarchicis Ordinationibus, de Eccleſia Catholica, de Juſtificatione, de votis, de characteribus dogmaticis Verbi Dei &c. libros ſeptem præter varia alia opuſcula. . . . Antonius Poſſevinus S. J. de Atheismo, de Sacrificio Altaris, contra quosdam Calvinianos in Gallia, & Tomum unum de Notis Divini Verbi & Apoſtolicæ Eccleſiæ. . . . Ambroſius Catharinus Ord. Præd. contra Martinum Lutherun, de invocatione Sanctorum, de cœlibatu, Opuſcula tria. . . . Martinus Becanus S. J Manuale controverſiarum hujus temporis, Opus in quinque libros diſtributum, de Judice controverſiarum, Refutatio Jacobi Regis Angliæ &c. . . . Franciſcus Coſterus S. J. Enchiridion controverſiarum cum variis aliis opuſculis Polemicis. . . . Joannes Maldonatus S. J. Diſputationes controverſiarum, & de Sacramentis contra Calviniſtas Tomos duos. . . . Carolus Scribanius S. J. de orthodoxæ fidei controverſiis libros ſex. . . Laurentius Forerus

S. J. quem Burghaberus vocat virum primis in Germania hæresum Domitoribus merito adnumerandum, quadraginta quatuor opuscula contra hæreticorum dogmata in lucem dedit. . . Gregorius de Valentia S. J. de rebus fidei controversis Tomos duo, librum unum de Eucharistia, alterum de Idololatria. . . . Ven. Petrus Canisius S. J. dictus a Cardinali Hosio hæreticorum Malleus, summam Catholicæ doctrinæ, quinque partibus comprehensam, in omnes fere linguas conversam, & amplius quadringenties prælo subjectam: item duas partes contra Centuriatores Magdeburgenses. *In tertia classe ævi recentioris* memorandi veniunt, & quidem principe loco Cardin. Robertus Bellarminus, qui præter alia Polemica scripsit insigne illud opus, seu Controversias Christianæ fidei, quatuor Tomis comprehensas, quod velut Armamentarium servit Polemicis omnibus. . . Jacobus Gretserus S. J. plurima singulari eruditione edidit Latino & Græco idiomate tum ad defendendam contra hæreticos fidem Catholicam, tum ad vindicandas eorum calumnias, in Tomos septendecim distributa. . . . Adamus Tannerus S. J. librum Apologeticum adversus hæreticos & Societatis mastyges. . .
Hono-

Honoratus Fabri S. J. contra Indifferentes hujus ſeculi, aliumque adverſus Conringium. . . . Adamus Burghaber, & Vitus Pichler S. J. celebres in Theologia & Jure Canonico Auctores primi controverſias Fidei ad methodum ſcholaſticam, qua in Academiis & Lyceis tradi poſſint, traduxere. . . . Thyrſus Gonzalez, Præpoſitus Societatis Jeſu Generalis doctiſſimam ſcripſit manuductionem ad converſionem Mahumetanorum libris quinque. . . . Vincentius Ludovicus Gotti Card. Ord. Præd. Tomos ſeptem admodum eruditos de veritate Religionis Chriſtianæ. . . . Stephanus Dechamps S. J. Volumen de hæreſi Janſeniana. . . Joannes Laurentius Lucchesini S. J. Demonſtratam impiorum inſaniam contra Atheos, Judæos, & Ethnicos: item Polemicam hiſtoriam Janſenismi. . . . Gregorius Selleri Card. Ord. Præd. libros octo in Bullam Unigenitus. . . P. Jacobus de la Fontaine, ſeu Fontana S. J. Conſtitutionem Unigenitus theologice propugnatam Tomis quatuor. . . . Sotvellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu usque ad annum 1675. prodit trecentos triginta ſex, qui vario in genere & adverſus, varias hæreſes calamo pugnarunt. Præter hos memoria digni ſunt Floremundus Ræ-

mundus, Galliarum Regis in Curia Burdigalensi Consiliarius, qui duos libros insignes de ortu, progressu & ruina hæresum scripsit. . . . Ludovicus Maimbourg eruditos de Arianismo, de Iconoclastis, de schismate occidentis, de bello sacro, de Lutheranismo, de Calvinianismo, de schismate Græcorum tractatus edidit, Pragæ latinitate donatos & castigatos. . . . Sfortia Pallavicinus S. J. Card. Concilium Tridentinum, quod omnium fere hæresum dogmata profligavit, Historia sua celebri tribus libris circumscripta fortiter adversus hæresis insidias propugnavit. . . . Carolus Duplessis d'Argentre Gallus Doctor Sorbonæ, ac Episcopus Tutelensis, Judicia de novis erroribus a seculo duodecimo usque ad decimum sextum in Ecclesia proscriptis collegit Tomis tribus.

*CAPUT*

# CAPUT VI.

## OECONOMIA THEOLOGIÆ MORALIS.

### §. I.

### *Origo hujus Theologiæ.*

LXIV.

Doctrina morum tum initio novæ legis a Christo institutæ, tum progressione primorum seculorum penes Episcopos, Concilia, & Pontifices fuit, tanquam Ecclesiæ Pastores ac Doctores a Deo constitutos, uti loquitur Apostolus (u); *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum.* Ab his oraculis, si quæ dubia circa conscientiam & mores occurrebant, non solum a populo, verum etiam a Principibus & Regibus responsa petebantur, quibus abundat Corpus Juris Canonici: hi commissum sibi gregem ad vitam Christiano more instituendam verbo & exemplo erudiebant: hi a vitiis & criminibus nunc apostolico

(u) *Ad Ephes.* 4.

ſtolico zelo deterrebant, nunc errantes oviculas ad meliorem frugem paternis monitis reducere ſatagebant: poſt lapſum vero in flagitia vere pœnitentes a peccatorum vinculis benigne exſolverunt. Hoc enim proprium Epiſcoporum munus eſſe, tanquam cuſtodum depoſiti doctrinæ ac bonorum morum, idem Apoſtolus docet (x) his verbis: *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam: ſenes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide & dilectione, in patientia . . . anus ſimiliter in habitu ſancto . . . ut prudentiam doceant adoloſcentulas, ut viros ſuas ament, filios ſuos diligant . . . domus curam habentes . . . Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint. In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* &c. Non minus (y) *prædica verbum* ait, *inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt* &c. Creſcente autem fidelium multitudine ad alios quoque tum Sacerdotes animarum curam gerentes, tum ad homines Religioſos in clauſtris quidem degentes, proximorum tamen ſaluti qua concionibus ad populum, qua Sacramenti pœni-

(x) *Ad Tit.* 2. (y) 2. *Timoth.* 4.

pœnitentiæ administratione intentos, tum ad scholarum Doctores Ecclesiasticos cura hæc, quæ ad morum doctrinam & conscientiarum regimen pertinent, magna ex parte translata fuit, non quidem tanquam ad Ecclesiæ Pastores Doctoresque a Deo constitutos, sed ut privatos interpretes legum ac sanctionum moralium.

Quoniam vero præcipuum Theologiæ moralis negotium circa conscientiæ casus, ut vocant, resolvendos, & rite administrandum Pœnitentiæ Sacramentum versatur, nosse oportet, jam in exordio Ecclesiæ id non temere fuisse factum, quamvis non tam accurata rerum & casuum ad mores spectantium notitia tum temporis viguerit, cujus defectum bona fides ut plurimum supplevit. Quippe illi, qui confitentibus aures præbuerunt, aliquo tempore (ut erudite notant Balthasar Francolinus *in Clerico Romano*, & Franc. Anton. Zacharia uterque S. J. *in Dissertatione prolegomena ad moralem Theologiam Alphonsi de Ligorio*) usi sunt inquam libro, in quem collatæ fuerunt Decretales epistolæ Siricii, Innocentii, Cælestini, Leonis &c. in quibus certas quasdam regulas pro rite administrando hoc Sacramento hi aliique Pontifices consulti præscri-

ſcripſere. Patrum quoque ſententias ante oculos habuerunt, & canones quos dicunt *Pœnitentiales*, quorum ſummas ediderunt S. Petrus Alexandrinus, *canones* 15. S. Gregorius Thavmaturgus *can.* 11. S. Baſilius *can.* 8. S. Gregorius *can.* 20. in quibus & diverſæ peccatorum ſpecies, & varia conſcientiæ dubia, & multiplicia remediorum ac pœnitentiarum genera utiliſſime explicabantur. His acceſſerunt decreta & placita tum Epiſcopalium Synodorum, tum generalium Conciliorum, uti Illyberitanæ, Ancyranæ, & Nicæni I. ubi univerſa Pœnitentiæ ratio conſtituta fuit. Ad finem Seculi VI. in Eccleſia Græca Joannes cognomento *Jejunator*, qui S. Eutychio in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſit, compoſuit *libellum pœnitentialem*, ſive ut Allatius vocat (z) *praxin græcis præſcriptam in confeſſione peragenda:* in Eccleſia vero Latina prodiit libellus ea, quæ ad pœnitentiam ſpectant, continens, cujus titulus erat: *Excerptum de Canonibus Patrum ad remedium animarum.* In eo præſcribebatur ordo, modus, & ritus, quibus pœnitens reciperetur, audiretur, interrogaretur, ac tandem reconciliaretur. Ejusmodi libellos & collectiones Canonum *Pœnitentialium* ingenti

(z) L. 3. *de conſen. utriusque Eccles. c.* 17.

genti numero cum auctoribus suis recensent Joannes Albertus Fabricius, Joannes Morinus, Dacherius, Jacobus Petitus, Martene, Muratorius, ut videre est apud memoratos Francolinum & Zachariam. Quum vero nimium excresceret libellorum istorum ac collectionum Pœnitentialium numerus, quin etiam non pauci vitiati ac incertis auctoribus circumferrentur, modum statuendum censebant quædam Synodi; & quidem Turonensis III. ad. 813. celebrata (a) *ideo necessarium ait videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis sit sequendus.* Et eodem anno Cabilonensis II. (b) *Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sacrarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti Auctores.* Eminuere tamen semper ex illis tres; præ reliquis *Pœnitentiale* Romanum, quod etiam ad gentes recens conversas velut pro Sacramenti rite percipiendi ac administrandi norma & regula submissum fuisse

(a) *Can.* 22. (b) *Can.* 38.

fuiſſe Chardonus (c) prodit: tum Libri *Pœnitentiales* duo, unum Theodori ad Cantuarienſem Epiſcopatum an. 668. evecti, cujus M. S. adſervatur in Bibliotheca Cantabrigienſi Ord. S. Benedicti; alterum Ven. Bedæ, qui lucem aſpexit an. 673. ſcripſitque *de remediis peccatorum*. De his tribus Abbas Regino Ord. S. Bened. dum ſuam Collectionem Canonum orditur, ab Epiſcopo aut Archidiacono Diœceſin luſtrantibus hanc inter alias interrogationem ſingulis Presbyteris proponendam eſſe ſtatuit (d) *ſi habeat Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Epiſcopo, vel a Ven. Presbytero Beda editum, ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentem, aut confeſſo modum pœnitentiæ imponat*. Cætera epitomen *Pœnitentialium* libellorum canonibus ſecundum Decalogi præcepta, ſeptem peccata capitalia, aliasque noxas diſpoſitis contexuit S. Carolus Borromæus. Atque *Pœnitentialia* iſthæc cum *Rituali*, & Codice Canonum fere usque ad ſeculum XIII. præcipui fuere libri, quibus ad audiendos, abſolvendos, ac dirigendos pœnitentes uſi ſunt Epiſcopi, Parochi, & Presbyteri.

Poſt-

(c) *In hiſt. Sacram.* (d) *cap. 95.*

Postmodum rebus Theologicis a Petro Lombardo aliisque melius ordinatis conscribi cœperunt *Directoria Confessariorum* ampliora, in quibus non solum de modo interrogandi, castigandi, ac absolvendi pœnitentes, verum etiam de singulis partibus Sacramenti, deque dubiis & casibus conscientiæ uberius agebatur. Ita S. Raymundus de Pennafort circa annum 1228. edidit *Summam de casibus Pœnitentialibus* libris quatuor comprehensam, & sæpius a D. Antonino laudatam, quorum primus tractat de peccatis adversus Deum. Secundus de peccatis adversus proximum. Tertius de Ecclesiasticorum delictis, officiis, & juribus. Quartus de matrimonio . . . Alexander de Hales, vel ut alii volunt, junior quidam scriptor, composuit *summam de virtutibus, & Destructorium vitiorum* . . . paullo post in lucem prodiit *Confessionale B. Bonaventuræ* . . . sequente seculo sub initium Joannes Friburgensis junior, Ord. Præd. scripsit *summam Majorem seu Confessariorum*, & *Quæstiones Casuales* . . . Astesanus seu Astensis Ord. Minor. *Summam de casibus conscientiæ* . . . Monaldus ejusd. Ord. *Summam casuum conscientiæ, auream & Monaldinam dictam* . . . Bartholomæus a S. Concordia Ord. Præd. an. 1338.

Sum-

*Summam Casuum conscientiæ* . . . Henricus de Erfordia *Speculum Curatorum* ... Joannes de Burgo an. 1385. librum, cui titulus: *Pupilla oculi omnibus Sacerdotibus tam curatis quam non curatis summe necessarium*, in quo tractatur de decem præceptis Decalogi, de reliquis Ecclesiasticorum officiis: egregium opus. . . Antonius de Butrio *Speculum de confessione*. Seculo XV. floruere Casuisticæ Theologiæ Doctores inter quos 1. Joannes Charlierius de Gerson qui scripsit: *opusculum tripartitum de præceptis Decalogi, de confessione, de arte moriendi*: a septendecim synodis teste Launoio (e) Presbyteris & Curatis commendatum. 2. Henricus de Hassia edidit *Regulas discernendi peccatum mortale a veniali: de contractibus & ordine censuum; de confessione, de Decalogo*. 3. Nicolaus Dinckelspilius *de præceptis Decalogi, de tribus partibus pœnitentiæ, & Confessionale peccatorum*. 4. S. Bernardus Senensis *tractatum de Confessione*. 5. Nicolaus Auxiamus *summam Casuum conscientiæ, & interrogatorium Confessorum*. 6. Joannes Nider *consolatorium timoratæ conscientiæ, Præceptorium seu tractatum de decem præceptis, de contractibus Mercatorum*. 7. Ægy-

(e) *In Hist. Gymn. Navarr. part. 2. c. 1.*

Ægydius Carlerius *diversas casuum consultationes.* 8. Nicolaus Plovius, aliis Plonius, *opus de Sacramentis; de eorum administratione; de horis Canonicis: de sacrificio Missæ: de excommunicationibus: de interdicto Ecclesiastico: de irregularitate.* 9. S. Joannes Capistranus *Speculum conscientiæ: de Canone Pœnitentiali: de usuris; de contractibus.* 10. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *Summam Theologicam*, & *Summam Confessionalem* præter alia. 11. Harpfius Henricus speculum aureum in decem præcepta Decalogi: de tribus pœnitentiæ partibus. 12. Joannes Beetzius *Præceptorium divinæ legis.* 13. Angelus de Clavasio *summam casuum conscientiæ*, Angelicam vulgo dictam. 14. Baptista Trovamala *summam casuum conscientiæ*, Rosella nuncupatam. 15. Michael de Mediolano *Confessionale* sive methodum confitendi. 16. Michael Lochmayer *Parochiale Curatorum.* 17. Reinerius de Pisis Ord. Præd. insigne opus, scilicet *Summa universæ Theologicæ veritatis*, duobus Tomis secundum ordinem Alphabeticum distributis circa annum 1585. Sequentibus seculis, quemadmodum aliæ artes & scientiæ ætate, labore ac studio semper magis magisque perficiuntur, ita & Theologia scholastica, simulque illa

quæ de moribus est, maximum sumpsere incrementum. Integri enim Tractatus, libri, & volumina, præsertim post Concilium Tridentinum (quod quam curatissime de Sacramento Pœnitentiæ tum Sessione decima quarta, tum alibi tractavit) a Viris morum probitate, simul ac ingenio & doctrina conspicuis, de quibus ad calcem hujus capitis sermo erit, in lucem data fuere.

## §. II.

## *Præfatio.*

Theologia, quæ a moribus nomen sortita est, in eo fere tota occupatur, ut actionum humanarum seu moralium, quæ naturæ scilicet rationali & liberæ conveniunt aut disconveniunt, bonitatem vel malitiam rite discutiat, atque ita hominem a via lata, quæ ducit ad interitum, avocet, & ad ultimum finem, qui Deus est, deducat. Hinc actiones, quæ ex prævia deliberatione electioneque libera ad ultimum, de quo dixi, finem dirigunt, vocantur actiones *moraliter* bonæ; si vero hominem ab illo avertunt, moraliter malæ sunt. Objectum itaque (ut cum schola loquar) Theologiæ moralis sunt actiones morales tam bonæ quam

malæ;

malæ: finis vero: ut quis ſciat reprobare malum & eligere bonum. Dividitur univerſim in tres partes: Prima tradit principia, quibus actiones humanæ diriguntur, ubi de conſcientia, & de legibus agitur. Secunda tractat de peccatis, & virtutibus tum theologicis tum moralibus. Tertia doctrinam de Sacramentis tam in genere, quam in ſpecie exponit. Dum vero nunc Theologiæ Moralis, poſtea vero Scholaſticæ œconomiam exhibeo, & privatas alicubi opiniones meas inſero, nolim eas ullius alterius ſententiæ aut judicio vel præjudicium afferre, vel prærogativam ſibi arrogare, probe gnarus, quemque ſuos pati manes.

## LXV.

### *Pars prima Theologiæ Moralis.*

Actionum humanarum moralium bonitas vel malitia eo ex capite habetur, quod vel conformes vel difformes ſint ſuæ regulæ, quæ duplex eſt interna una, altera externa. Interior proxima eſt ipſa conſcientia: exterior vero ſeu remota ſunt leges. Atque in hac duplici regula conſiſtunt generalia Theologiæ Moralis principia, quibus humanæ actiones diriguntur.

*De Conscientia.*

Primum quidem de conscientia in genere quærunt hi Theologi, quid & quotuplex sit conscientia, eamque finiunt, quod sit dictamen rationis, seu actus intellectus judicans, aliquid hic & nunc amplecti oportere tanquam honestum, vel esse fugiendum tanquam inhonestum: dividuntque in rectam & erroneam, in certam, probabilem, dubiam & scrupulosam . . . Tum de dictamine conscientiæ docent, omnem actum moraliter honestum, vel saltem licitum debere procedere ex dictamine conscientiæ practico de honestate illius vel licentia, ad quod sufficit, ut sit moraliter certum: atque hoc dictamen quemvis sequi necessum esse, ita ut peccet, si contra id agat, graviter vel leviter, prout conscientia dictat sub gravi vel levi noxa quandam actionem esse præceptam vel prohibitam: ad actionem vero inhonestam vel illicitam, ut talis reipsa sit, non requiri hujusmodi dictamen, sed sufficere dubium practicum, ita ut homo peccet, si stante hoc dubio operetur . . . De conscientia erronea quærunt, an & quanta detur obligatio sequendi conscientiam invincibiliter erroneam? An conscientia hæc possit esse formalis regula actionis moralis?

an ejusmodi actio ex tali conſcientia
:edens ſit poſitive honeſta & vitam
:nam mereatur? ad quæ communiter
mando reſpondent. Contrarium te-
: de conſcientia vincibiliter erronea,
s errorem quamdiu aliquis non de-
it, peccat agendo ſive ſecundum hanc
ſcientiam, ſive contra illam . . .
conſcientia dubia practice tali ne-
: licite operari aliquem poſſe: aliud
t, ſi non obſtante conſcientia ſpecu-
'e dubia formaretur dictamen practi-
ı moraliter certum de honeſtate vel
ıtiæ actionis hic & nunc ponendæ.
ıpropter examinant famoſam quæſtio-
ı: an in dubio pars tutior ſit eligen-
in qua mitiorem ſententiam poſitis
is limitibus plurimi amplectuntur: de-
n varios caſus circa conſcientiam du-
n utiliſſime reſolvunt . . . De con-
ıtia probabili, explicata opinionis pro-
ilis natura, & iis, quæ ad opinionem
: ac theologice prababilem requirun-
, conditionibus poſitis docent, quan-
eam ſequi in agendo liceat, etiam
par eſt utrinque probabilitas, & una
ıio ſit tutior altera: immo ſi oppoſita
or eſſe ac ſuo modo probabilior vi-
tur, ubi ſolummodo agitur de hone-
: ac licentia actionis. De hac re ma-

gnis inter se certant partium studiis non solum Theologi Morales, sed & vel maxime Scholastici, multis rigidam & severam, contra multis mitiorem sententiam amplectentibus.

## *De Legibus.*

Sequitur regula exterior seu remota, quæ actiones humanas dirigit: & hæc sunt leges, quum a conformitate cum istis, vel a discrepantia actiones nostræ denominentur bonæ vel malæ; ita ut conscientia tanquam regula proxima ad leges necessario respicere debeat, ne in dictamine suo erret. Agunt itaque Theologi Morales post expeditas de legis natura, divisione ac conditionibus, quæ ad valorem legis requiruntur, quæstiones, primum de promulgatione legis, nimirum qualis requiratur in civilibus pro toto Imperio latis, ubi requirunt communiter promulgationem in singulis ejusdem provinciis factam, ita ut post bimestre lapsum obligare incipiant. At in canonicis post promulgationem Romæ factam statim obligari totum orbem Christianum docet communior, nisi aliud in Pontificiis constitutionibus conceptis verbis statuatur . . . dein de acceptione legis; quæ si justa fuerit, subditi eam tenentur acceptare, quin illa opus sit,

ut lex promulgata vim obligandi obtineat . . . Tum de caussa efficiente ac materiali legis examinant quæstiones: quisnam habeat potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, quis civiles? an leges humanæ possint præcipere vel prohibere actus mere internos? quam potestatem tribuunt Ecclesiæ *quoad vim directivam & coactivam coactione interna*, id quod ostendunt ex variis propositionibus damnatis . . . Rursus de effectu & subjecto legis; an leges humanæ obligent in conscientia? unde Legislatoris hac in parte voluntas cognosci possit? an Legislator propriis obligetur legibus? an Clerici & Religiosi teneantur legibus civilibus? admittuntque teneri iis, quæ immunitatem Ecclesiasticam non lædunt, nec dedecent statum Clericalem; solum tamen quoad vim directivam. An peregrini teneantur legibus loci, qua transeunt? heic varii casus in medium adferuntur ac deciduntur . . . Quærunt ulterius, qua ratione legibus satisfiat, ubi distinguunt inter legem negantem & affirmantem; priori omittendo duntaxat actionem prohibitam posse, posteriori autem ponendo actionem liberam & proprie humanam satisfieri debere docent. Item an pluribus præcepis unico actu satisfieri possit? negant, si obliga-

tiones sint justitiæ, concedunt vero, si sint diversarum virtutum aliarum . . . Tum transeunt ad caussas excusantes a transgressione legis, quas varias afferunt: 1. ignorantiam, de qua ostendunt, dari posse ignorantiam invincibilem tam circa leges positivas divinas, quam humanas; immo etiam non raro circa quædam jure naturæ prohibita: hancque excusare a peccato formali, non item si vincibilis sit. Idem fere sentiunt de pœna a lege statuta. 2. Concupiscentiam, metum, & violentiam. Hæc ultima si inferatur in ordine ad actum peccaminosum renitente voluntate (hæc enim cogi nunquam potest) excusat a transgressione legis: non tamen concupiscentia, quum non tollat voluntarium, quamvis quandoque minuat, aliquando autem etiam augeat: Neque etiam metus, qui si gravis sit, & injuste incussus, quosdam contractus irritat, alios rescissioni obnoxios facit. 3. Impotentiam quæ hac laborantem ab obligatione legis eximit, si non studiose ponatur impedimentum ab eo, qui subjacet legi, quæ impedimentum tale poni vetat . . . Denique de cessatione legis, consuetudine, ac dispensatione tractant. Cessat autem lex, si a superiore abrogetur: qui enim legem ferendi, eam quoque abrogandi pote-

potestatem habet. Etiam consuetudo legem abrogare potest, si debitis munita sit conditionibus. Dispensare vero in lege Superioris per se non potest inferior: neque dispensationi proprie tali locus est in lege naturali, neque in divina circa res ad substantiam Ecclesiæ pertinentes. . . . His annectuntur caussæ ad dispensationem seu validam seu licitam requisitæ, atque ipsa dispensandi praxis.

## §. III.

### *Pars secunda Theologiæ Moralis.*

LXVI.

Certum est ex fide, hominem ordinari ad perfectam & æternam felicitatem, uti ex plurimis S. Scripturæ locis clare ostenditur; ad hanc autem felicitatem obtinendam sicut conducunt virtutes, sic ab eadem abducunt opposita vitia. Atque hinc de utrisque late tractant Theologi Morales.

### *De vitiis seu peccatis.*

Præmittunt varias quæstiones de peccato in genere, quæ illius natura, & quotuplex sit, quæ libertas ad id requiratur, . . . Tum exposito quam inter peccatum mortale ac veniale intercedit, discrimine

quærunt an peccatum mortale transire possit in veniale, & vice versa veniale in mortale; docentque primum fieri posse tribus modis: ob imperfectionem actus, ob materiæ parvitatem, & ob intentionem legislatoris nolentis in re licet gravi obligare sub gravi: secundum vero in quinque circumstantiis, nimirum aliquando si sæpius repetantur venialia, ut in materia justitiæ, jejunii &c. vel si finis mortalis sit adjunctus, vel ratione contemptus, ratione periculi proximi, aut ratione scandali. . . . Porro examinant distinctionem peccatorum, tum quæ specie tum quæ numero differant; quumque diversitas specifica desumenda sit ex oppositione cum legibus formaliter & specie diversis, inquirunt, quandonam leges specie formali differant tum ratione objecti formalis, tum materialis. Diversitatem autem numericam colligunt vel ex objectis disparatis, seu totalibus ut vocant, vel ex interruptione actuum, quæ fit per retractationem, aut cessationem seu necessariam seu voluntariam . . . his expositis ad circumstantias peccatorum transeunt, & enumeratis varii generis circumstantiis, quærunt an circumstantiæ peccatorum sint materia necessaria confessionis, & quænam? præcipue, an circumstantiæ intra eandem spe-

ſpeciem neceſſario exprimi in confeſſione debeant? qua de re quid ſentiendum, accuratius tractat Theologia ſpeculativa.

## *De Virtutibus Theologicis & oppoſitis Vitiis.*

De Fide Theologica præmiſſo ejus objecto materiali & formali ſequentia dogmata exponunt: fidem habitualem omnibus omnino eſſe neceſſariam ad ſalutem *neceſſitate medii*, actualem vero adultis: his rationis uſum habentibus ad juſtificationem & ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe neceſſitate medii fidem explicitam Dei ut exiſtentis, & remuneratoris: & ſaltem implicitam SS. Trinitatis: utramque vero explicitam adultis neceſſitate præcepti: atque hoc præceptum fidei, quatenus eſt negativum, obligare ſemper & omni tempore; quatenus vero affirmativum eſt, obligare 1. dum quis pervenit ad uſum rationis, eique myſteria fidei, quantum ſufficit, proponuntur. 2. quando neceſſarium eſt ad tentationes contra fidem ſuperandas. 3. in mortis articulo. 4. quando fidem exterius profiteri oportet. 5. præſcindendo etiam ab his circumſtantiis obligat ad actum fidei non nimis diu differendum: Profeſſionem quoque fidei externam eſſe neceſſariam, quoties.

tiescunque alias honor Deo debitus, vel debita proximo utilitas subtraheretur, quam obligationem variis casibus propositis uberius explicant. . . Peccatum fidei oppositum est infidelitas, quæ error est voluntarius & pertinax circa rem revelatam, actui fidei formaliter & immediate oppositus, ac dividitur in paganismum, judaismum, & hæresin . . . agunt heic Theologi morales de communicatione cum paganis & judæis, quomodo sit prohibita; de matrimonio cum hæreticis, de pœnis in hæreticos, eorumque fautores statutis, deque prohibita librorum hæreticorum lectione.

De Spe Theologica explicato objecto materiali & formali, & quid ad eam requiratur, proponunt obligationem, qua præcipitur actus spei 1. sub ipsum usum rationis, quando Deus & beatitudo supernaturalis tanquam finis ultimus sacis proponitur. 2. quando datur obligatio ad actus aliarum virtutum, quæ sine actu spei exerceri nequeunt. 3. occurrente gravi tentatione, quæ vinci non potest, si non animus per spem erigatur &c. . . . Peccatum spei oppositum duplex est, per defectum uti desperatio de consequenda salute ac venia peccatorum, deque me-

diis

diis ad salutem vel veniam obtinendam necessariis, & per excessum, uti est præsumtio obtinendi salutem vel media ad illam aliter; quam Deus vult.

De Charitate Theologica constituto ejus objecto formali ac materiali, quærunt quandonam obliget hoc præceptum, ac respondent 1. quando adest usus rationis, & præceptum amandi Deum super omnia satis clare est propositum. 2. ad hunc actum dari obligationem sæpius in vita, nec ultra quinquennium differri posse, ut patet ex propositione sexta damnata ab Innocentio XI. ex quo tamen non sequitur; licite differri posse usque ad quinquennium. 3. urgente periculo labendi in odium Dei. 4. quando quis tenetur conteri, ut moriturus aut celebraturus sacrum; dum non habet copiam confitendi. 5. in articulo mortis. . . . agunt insuper heic de charitate proximi, utpote sine qua charitas dei subsistere nequit . . . . explicant simul charitatis hujus officia, & ordinem, ac opera misericordiæ. . . . Peccata opposita sunt tum odium Dei, gravissimum omnium peccatorum, si quis Deum formaliter oderit odio inimicitiæ; tum odium proximi, ubi etiam de invidia, & vindicta varii casus resolvuntur.

## De Justitia.

Amplissimam hanc materiam pertractant Theologi Morales duntaxat, quantum ad forum internum seu conscientiam pertinet. Quare præmissis breviter quæstionibus: quid & quotuplex sit Jus & Justitia, quid & quotuplex sit dominium, quodque illius subjectum & objectum, ubi de dominio Clericorum: quot modis acquiratur dominium per occupationem, scilicet alluvione, commixtione, venatione, piscatione, bonorum vacantium, inventorum, thesauri &c. item per præscriptionem, ubi de rebus, quæ præscribi aut non præscribi possunt, de bona & mala fide, de titulo, de possessione, deque tempore ad præscriptionem requisito &c. quæ omnia in Jure & Theologia accuratius examinantur, in Theologia vero Morali succinctius, solumque ut sciamus quæ nostra sint, nec ne, quæ vero bona fide ac salva conscientia possidere valeamus. . . . Tum ad restitutionis negotium transeunt, uberius explicandum. Est autem hæc in genere, actus justitiæ, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam: in specie vero etiam ad mutuum, commodatum, depositum & pignus sese extendit. De hac docent, restitutionem rei alienæ neces-

necessariam esse ad salutem necessitate præcepti naturalis, divini & humani: duasque illius esse radices, ad quas omnes alii tituli reducuntur; nempe vel obligari nos ad restituendum ex re accepta, vel ex injusta acceptione, quas inter duas radices magnum intercedit discrimen. Nam titulo rei acceptæ non tenetur quis restituere, nisi res aliena formaliter, vel ut aliqui sentiunt, æquivalenter exstet, ita ut inde factus sit ditior: ad nihil vero tenetur, si res casu vel alio modo fuit destructa, vel periit sine illius lucro. Contra vero ex injusta acceptione tenetur ad restitutionem, etiamsi res nullo modo exstet, & nullum commodum, immo etiam damnum inde retulerit, & quidem quantum ad fructus quoque perceptos, & omne detrimentum inde secutum attinet. hinc duas regulas statuunt Theologi Morales pro his duabus radicibus: unam, quod mensura restitutionis ex re accepta sit quantitas possessionis ex alieno: alteram, quod mensura restitutionis ex injusta acceptione sit quantitas alieni damni. . . . Jam vero de radice prima seu ex re accepta docent, eum qui detinet rem alienam, de qua sufficientem notitiam habet, per se teneri etiam ante sententiam judicis eam restituere domino suo: quantum autem ad fru-

ctus

ctus naturales & mixtos non tantum pendentes, sed etiam perceptos, si formaliter adhuc exstent (de virtualiter exstantibus disputant inter se Theologi) si Dominus compareat necdum finita præscriptione legitima, tam ante litis contestationem, quam post evictionem. 2. bonæ fidei possessorem non teneri restituere fructus ante litis contestationem consumptos; secus possessorem malæ fidei. 3. fructus industriales nec a possessore bonæ fidei, nec malæ, restituendas esse: expensas vero in rem alienam factas posse deduci ab utroque possessore. . . . De secunda radice ex injusta acceptione docent 1. neque vi juris naturalis, neque positivi, secluso contractu, teneri aliquem reparare damnum ante sententiam Judicis, sine culpa Theologica datum per culpam mere juridicam: bene tamen post sententiam judicis. 2. multi tenent non oriri obligationem gravem reparandi grave damnum illatum ex culpa theologica solum veniali. 3. neminem teneri ad plus restituendum, quam quantum scienter & voluntarie nocuit. 4. illum qui grave damnum alteri infert, invincibiliter autem seu fide bona existimat, damnum quod re ipsa caussatur, non esse secuturum, si vacet operi licito nec inhonesto, non teneri ad restitu-

ſtitutionem; ſecus vero, ſi vacet operi illicito & injuſto. 5. qui damnum infert alteri per injuriam licet gravem, non teneri reparare damnum ſecundum exceſſum invincibiliter ignoratum. . . . His expoſitis ad ſingulares materias reſtitutioni obnoxias procedunt, & quid circa bona fortunæ, corporis, famæ inique læſa reſtitui debeat, expendunt allatis diverſis caſibus, qui circa res iſtas contingere poſſunt, eorumque reſolutionibus. . . . Demum de contractibus, eorum firmitate, onere, bona vel mala fide, ac reſultante, ſi vitientur, reſtitutionis obligatione tractant.

## *De Religione.*

Per hanc intelligunt virtutem illam moralem, quæ Deo tanquam Creatori ac Domino debitum cultum & honorem exhibet. Poſtquam igitur de cultu Dei & Sanctorum in genere diſputarunt, agunt 1. de præcepto obſervandi feſta, quod partim affirmativum eſt, & obligans ad audiendam miſſam, partim negativum & prohibens opera ſervilia. 2. De horis Canonicis, quinam ad illas teneantur, quanta ſit recitandi horas obligatio, quæ pœnæ omittentibus ſtatutæ. 3. de jura-

mento, quid & quotuplex illud sit: an & quando jurare liceat, deque illius obligatione ac relaxatione. 4. de voto, qualis libertas ad illud requiratur, quomodo debeat esse de meliore bono, de ejus obligatione, irritatione, commutatione ac dispensatione. 5. de immunitate Ecclesiastica tum ad res, tum ad personas Clericorum pertinente, deque beneficiis Ecclesiasticis ac decimis. . . . Demum hanc secundam partem concludunt enumerando vitia Religioni opposita, uti 1. superstitionem, quæ cultus est vitiosus veri vel falsi Numinis. 2. irreligiositatem, quæ sub se continet tentationem Dei, blasphemiam, sacrilegium. 3. Simoniam, qnæ in mentalem, conventionalem, & realem dividitur, ac gravissimis pœnis Ecclesiasticis subjacet.

## §. IV.

### *Pars tertia Theologiæ Moralis.*

### LXVII.

Christus Dominus Sacramentis numero paucissimis, observantia facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit, ut ait S. Augu-

stinus

ſtinus (f). De his tanquam ſpecialibus donis & inſtrumentis divinæ gratiæ per Servatorem nobis comparatæ tractant Theologi Morales ea præcipue, quæ ad praxin pertinent, relictis Theologiæ Scholaſticæ ſpeculationibus. Docent itaque

*De Sacramentis in genere.*

cum Concilio Florentino : *Sacramenta tribus rebus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum aliquid ſi deſit, non perficitur Sacramentum.* . . . porro Chriſtum determinaſſe materiam & formam Sacramentorum, ita ut ſecundum eſſentiam & ſubſtantiam ac ſpeciem ab Eccleſia immutari non poſſint; ubi explicant quænam mutatio ſit ſubſtantialis, quæ accidentalis . . . ad valorem Sacramenti in Miniſtro requiri ſeriam intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non autem fidem ac probitatem : in ſuſcipiente vero adulto ad percipienda cum fructu Sacramenta vivorum requiri ſtatum gratiæ: ad Sacramenta mortuorum præter fidem & ſpem etiam dolorem de peccatis cum pro-

(f) *L.* 15. *de Civit.* c. 26.

proposito servandi omnia præcepta . . . Sacramenta in suscipiente rite disposito infallibiliter conferre gratiam sanctificantem, & quidem ex opere operato . . . . characterem seu signum quoddam spirituale ac indelebile imprimi a tribus sacramentis, nempe baptismo, confirmatione, ac ordine, quæ propterea iterari nequeunt.

### *De Baptismi Sacramento.*

Docent, ejus materiam remotam validam esse solam aquam naturalem seu elementarem, aptam ad abluendum: materiam dubiam v. g. aquam rosaceam &c. non nisi in extrema necessitate ac in defectu materiæ certæ adhiberi posse . . . materiam proximam esse ablutionem corporis, quæ fieri debet contactu aquæ in corpore baptizandi successivo & immediato: & extra casum necessitatis ablui debere aliquam partem corporis principalem . . . . Formam baptismi esse verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* circa quam diversis modis pronunciatam varios resolvunt casus . . . Ministrum licite conferentem baptismum solemnem extra casum necessitatis esse ex officio Sacerdotem habentem jurisdictionem ad bapti-

zandum ... effectum hujus sacramenti esse præter communem cum aliis, quod non solum peccatum originale, sed etiam peccata actualia personalia tam mortalia quam venialia secundum reatum pœnæ ac culpæ tollat, & characterem imprimat... Sub finem de Patrinis aliisque ceremoniis in baptismo adhiberi solitis agunt.

## *De Confirmationis Sacramento.*

Docent, materiam ejus remotam esse chrysma seu oleum olivarum mixtum balsamo, & ab Episcopo consecrato benedictum: proximam esse ipsam unctionem chrysmatis in fronte factam per modum crucis: formam autem in latina Ecclesia hæc verba: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrysmate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ejus ministrum ordinarium esse solum Episcopum consecratum, quamvis a Pontifice ministerium hoc etiam simplici Sacerdoti possit committi ... per se neminem teneri ad hoc sacramentum suscipiendum, ita ut neque necessitate medii, neque præcepti necessarium sit ad salutem ... effectum illius esse augmentum gratiæ, qua homo roboratur in suæ fidei professione: characterem: aliaque auxilia gratiæ actualia.

*De Sacramento Evcharistiæ.*

Post expositam ejus essentiam & partes, docent materiam remotam esse panem triticeum & vinum e vite: nec obesse valori sive sit azymus, qui in Ecclesia latina, sive fermentatus, qui in græca adhibetur . . . Materiam proximam esse accidentia panis & vini simul cum corpore ac sanguine Christi sub speciebus consecratis: formam vero: *hoc est corpus meum; hic est enim calix sanguinis mei &c.* . . præterea sub speciebus panis vi verborum poni solum corpus Christi, reliqua vero scilicet animam, sanguinem & divinitatem per concomitantiam: Similiter sub speciebus vini vi verborum solum sanguinem Christi, reliqua per concomitantiam . . . tamdiu manere Christum sub speciebus panis & vini, quamdiu naturaliter sub iisdem speciebus posset conservari substantia panis & vini . . . ejus ministrum esse solum sacerdotem rite ordinatum; ubi conditiones exponunt, quæ ad licitam hujus sacramenti administrationem requiruntur . . . Porro docent, præter alios effectum huic Sacramento proprium esse nutritionem animæ, & augmentum in vita spirituali . . . probabilius Evcharistiam non conferre majorem gratiam sub utraque specie, quam sub una tantum

tum . . . dispositionem ex parte animi ad fructum recipiendum per se loquendo necessariam esse immunitatem a peccato, seu gratiæ statum: ex parte corporis jejunium naturale . . . dari obligationem sumendi Evcharistiam tam ex præcepto divino, præsertim in articulo mortis, quam Ecclesiastico, quo obligantur fideles sub peccato mortali ad Evcharistiam semel in anno circa tempus paschale sumendam . . . Post hæc agunt de Evcharistia, quatenus simul est Sacrificium, atque examinant, quid sit sacrificium, quis fructus, quæ obligatio: item de ceremoniis Missæ, de tempore & loco sacrificandi, deque aliis ad hoc sacrificium rite peragendum requisitis.

*De Sacramento Pœnitentiæ.*

Præmissa definitione docent, materiam ejus remotam esse sola peccata personalia ab homine baptizato commissa; & quidem mortalia omnia & singula secundum speciem & numerum esse materiam necessariam: proximam tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem . . . formam vero verba, quibus absolvitur penitens: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine &c.* . . . Esse necessarium

hoc Sacramentum homini post baptismum graviter lapso vi præcepti Divini, & Ecclesiastici, ut semel saltem in anno rite suscipiatur, præstituto tempore Paschali... Contritio autem, quæ infallibiliter justificat etiam extra Sacramentum, procedere debet ex motivo charitatis perfectæ, seu debet esse dolor & detestatio peccati commissi propter Deum summe dilectum, & extendere se saltem implicite & virtualiter ad omnia peccata mortalia: Sufficit tamen ad valorem Sacramenti hujus etiam sola attritio concepta ex metu pœnarum vel consideratione turpitudinis peccati, utpote quæ ut loquitur Tridentinum (g) est *bonus motus ac supernaturalis: donum Dei, ac Spiritus sancti impulsus: & potens voluntatem peccandi excludere*... Dolor autem de peccatis debet esse formalis, efficax, & explicitus, ac si plura sint commissa peccata, universalis, extendens se ad omnia, quum in hac providentia nullum mortale sine altero remittatur: propositum vero non peccandi de cætero secundum communiorem non debet esse necessario formale & explicitum, sed sufficit saltem per accidens propositum etiam virtuale aut implicitum, extendens se ad omnia peccata mortalia, contentum in ipso dolore ac detesta-

(g) *Sess.* 14.

testatione peccati commissi: in confessione vero venialium sufficit, ut extendat se ad unum saltem vel alterum veniale . . . Confessio Sacramentalis debet esse integra saltem formaliter, per se vero debet esse integra etiam materialiter. Hinc explicari debent omnia & singula mortalia secundum speciem theologicam, & numerum, quantum moraliter fieri potest, etiam actus externus graviter peccaminosus, procedens ab actu interno voluntatis . . . De circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus, & de peccatis negative dubiis an exponi debeant, acriter in utramque partem disputant Theologi: securiorem in praxi sententiam suadent omnes . . . Satisfactio est pars integralis, & consistit in opere a Confessario injuncto in pœnam delicti: teneturque Confessarius per se loquendo aliquam satisfactionem injungere, & pœnitens per se loquendo tenetur acceptare ac implere injunctam. Hanc satisfactionem non tantum idem Confessarius, sed etiam quivis alius ex justa caussa mutare potest in aliam: non tamen ipse pœnitens auctoritate propria, ne quidem in meliorem . . . effectus illius est remissio pœnæ temporalis residuæ, saltem ex parte . . . In Ministro requirunt extra mortis articulum, ubi quilibet sacerdos absolvere potest, dupli-

cem poteſtatem, ſcilicet Approbationis, quæ eſt authenticum Epiſcopi aut Vicarii teſtimonium de aptitudine ac capacitate Sacerdotis ad confeſſiones audiendas: & Jurisdictionis, quæ eſt auctoritas in alium tanquam inferiorem & ſubditum in foro conſcientiæ. Concludunt hanc materiam agendo multis de ſcientia & prudentia Confeſſario neceſſaria, de caſuum reſervatione, & ſigillo confeſſionis.

## *De Sacramento extremæ Unctionis.*

Docent materiam remotam hujus Sacramenti eſſe oleum olivarum, ab Epiſcopo benedictum: proximam eſſe ipſam unctionem, quæ diſtincte fit in ſigulis partibus quinque ſenſuum, id quod aliqui ad valorem Sacramenti requirunt, negantibus aliis, qui putant ad valorem ſufficere, ſi una pars inungatur, ut fit in præſentaneo mortis periculo, aut tempore peſtis, ubi frons inungitur, addendo in forma reliquos etiam ſenſus . . . formam vero his verbis comprehendi: *per iſtam ſanctam unctionem, & tuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quiquid deliquiſti per viſum in nomine &c.* atque ita de reliquis quatuor ſenſibus . . . Effectum primarium hujus Sacramenti eſſe, quem Jacobus Apoſtolus

ſtolus (h) & Tridentinum (i) produnt, videlicet ſalutem infirmi, alleviationem in perferendis morbi incommodis, & tentationibus dæmonis, & dimiſſionem peccatorum, nempe ut eorum reliquiæ abſtergantur: ſecundarium vero quandoque etiam ſanitatem corporis . . . Conferri hoc Sacramentum non debet, niſi in infirmitate corporis tali, quæ cum propinquo vitæ periculo conjuncta ſit; quamvis non detur gravis obligatio hoc Sacramentum ſuſcipiendi.

## *De Sacramento Ordinis,*

Quod in ſeptem claſſes dividitur unum Sacramentum conſtituentes, docent in illis ordinibus, qui conferuntur traditione rei ad eorum miniſterium requiſitæ, materiam remotam eſſe rem traditam: proximam vero ipſam traditionem & acceptionem, quæ probabilius ob periculum, ne invalida ſit ordinatio, ſub gravi obligatione fit per contactum corporalem, & ſecundum multos etiam immediatum . . . Pro Presbyteratu in Eccleſia Latina, in ordine ad poteſtatem offerendi ſacrificium materiam proximam aſſignant cum Florentino traditionem patenæ cum hoſtia, & calicis cum vino, adjecta forma: *Accipe poteſtatem offeren-*

(h) *In Epiſt. Cathol. c.* 5 (i) *Seſſ.* 14.

*rendi ſacrificium, miſſasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis.* In ordine ad poteſtatem abſolvendi impoſitionem manuum Epiſcopi cum verborum formula: *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.* . . . Pro Diaconatu materiam proximam ſtatuunt traditionem libri Evangeliorum, aliis addentibus etiam impoſitionem manuum, aliis utrumque requirentibus . . . Materiam proximam Subdiaconatus traditionem calicis vacui cum patena, cui adjungunt alii traditionem libri epiſtolarum . . . Materiam proximam pro Oſtiariatu traditionem clavium Eccleſiæ . . . pro Lectaratu libri Lectionum . . . pro Exorciſtatu libri Exorciſmorum . . . pro Acolithatu candelabri cum cereo extincto, & urceolis vacuis aquæ & vini . . . Formam vero horum poſteriorum ſeu Minorum Ordinum verba in Rituali Romano præſcripta . . . Adjunguntur his utiliſſimæ quæſtiones de conditionibus, ex parte ſuſcipientis ordines requiſitis: de tempore, quo conferri poſſint Ordines: de voto caſtitatis SS. Ordinibus annexo, ac de Miniſtro Ordinum conferendorum.

## *De Sacramento Matrimonii.*

Tractant heic Theologi Morales inprimis de Sponsalibus, finiuntque sponsalia, quod sint promissio vera, voluntaria, deliberata, ac mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas jure habiles; ubi expendunt & explicant singula verba, utpote ex quarum intelligentia valor & firmitas sponsalitii contractus pendet . . . Postmodum agunt tum de effectibus sponsalium, quorum primus est obligatio contrahendi matrimonium, alter impedimentum publicæ honestatis, quod inde oritur; tum de caussis, ob quas solvuntur vel solvi possunt, tum de iis actionibus, quæ sponsis inter se licent, quæ non . . . His expeditis fit transitus ad ipsum matrimonii Sacramentum: de hoc docent 1. Consensum qui ad essentiam illius requiritur, debere esse mutuum, expressum per verba vel alia signa æquivalentia, simultaneum saltem moraliter, verum & non fictum, & liberum tum ab errore in persona, tum a metu gravi injuste ad extorquendum illud incusso; secus enim matrimonium est invalidum ex dispositione juris ob gravissima mala, quæ merito timeri debent ex matrimoniis non eum plena libertate ini-

tis . . . Porro recensent impedimenta tam quæ impediunt, quam quæ irritum reddunt matrimonium, atque singula propositis casibus late explicant ac illustrant . . . Præterea proprietates matrimonii considerant, quæ sunt unitas & indissolubilitas: item obligationes Conjugum, quarum prima est cohabitatio in eadem domo, mensa, & toro: recta gubernatio & administratio familiæ: pax, correctio & admonitio conjugalis . . . . Denique quæstiones subnectunt tam necessarias quam utiles de divortio, de usu matrimonii, de obligatione reddendi debitum conjugale, deque peccatis, quæ hoc in statu committi possunt.

## *Appendix de Censuris.*

Hisce tribus Theologiæ moralis partibus annectitur doctrina de Censuris: & primum quidem de censuris in genere examinatur, quid & quotuplex sit censura, quinam ferre possint censuram potestate ordinaria, & delegata: in quos & sub quibus conditionibus: ob quas caussas: item qui ab iis possit absolvere... De censuris in specie docent 1. *Excommunicationem*, quæ pœna est Ecclesiastica omnium gravissima, si major sit, privare ex-

excommunicatum participatione omnium bonorum inter fideles communium, quæ bona sunt quadruplicis generis, nimirum: Suffragia fidelium, usus Sacramentorum aliæque actiones spirituales: beneficia & officia Ecclesiastica: officia civilia: communicatio politica cum excommunicato: Si vero minor sit, privare usu seu receptione Sacramentorum . . . Alios excommunicatos esse vitandos, seu non toleratos: alios toleratos nec vitandos. 2. *Suspensionem* prohibere Clerico usum potestatis Ecclesiasticæ, seu officii & beneficii, quorum prius continet functiones ordinis, & administrationem Sacramentorum, celebrationem missæ &c. functionesque jurisdictionis, ut absolutionem a peccatis, dispensationem, collationem beneficii: posterius perceptionem redituum provenientium ex beneficio. 3. *Interdictum*, quod in locale & personale dividitur, prohibere usum rerum divinarum, scilicet missæ Sacrificii, quorumdam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ.

## LXVIII.

Oeconomiæ Moralis Theologiæ, quam hucusque proposui, finem imponere visum est catalogo Auctorum, neutiquam

om-

omnium (qui labor infinitus foret) sed præstantium aliquot, & reliquis plus notorum, qui per tria ultima secula (priorum enim hac in re labores §. I. hujus Capitis recensui) Theologiam Moralem vel integram Summis & Tractatibus, vel majori ex parte lucubrationibus suis complexi sunt. Itaque *ad primam classem* refero illos, qui Seculo XVI. Scripserunt: S. Antoninus, dictus *Autoninus Conciliorum*, Summam Theologicam in quatuor partes & libros divisam . . . Martinus ab Azpilcueta, dictus Navarrus, Doctor Hispanus, Canonicus Regularis, Enchiridion seu Manuale . . . Emmanuel Rodriquez, Ord. S. Franc. Summam . . . . Jacobus de Graffiis, Ord. S. Bened. Abbas Cassinensis, Decisiones aureas, Consilia & Responsa, de Arbitrariis Confessariorum . . . Alphonsus Vega. Ord. Min. Summam duobus libris comprehensam . . . Thomas de Vio, vulgo Cajetanus, Cardin. Summam Casuum. . . . Franciscus de Victoria Ord. Præd. Summam Sacramentorum . . . Raynerius de Pisis Ord. Præd. Pantheologiam sive summam universæ Theologicæ Veritatis, libros duos . . . Emmanuel Sa S. J. Aphorismos Confessariorum . . . Franciscus Toletus S. J. Summam Casuum . . . . Henricus Henriquez S. J. Sum-

Summam Theologiæ Moralis, Tomo duos. Ad *secundam Classem* pertinent, qui Seculo XVII. scripserunt: Joannes Azorius S. J. Institutiones Morales, opus doctum & eruditissimum, Tomi tres . . . Gregorius Sayrus, Ord. S. Bened. Opera Theologico Moralia, libri quinque . . . Antonius Corduba, Ord. Min. Quæstiones Theologico Morales . . . Paulus Laymannus S. J. Theologicam Moralem, opus celebre . . . Vincentius Filliucius S. J. Cursum Quæstionum Moralium, Appendicem posthumam de statu Clericorum, & de beneficiis, libri tres . . . Thomas Sanchez S. J. Opus morale doctissimum, de Matrimonio, Consilia, Tomi quatuor . . . Jacobus Marchantius, Tribunal Sacramentale, & Resolutiones Sacramentales. Tomi duo . . . Petrus de Ledesma. Ord. Præd. Theologiam Moralem, libri duo . . . Martinus Bonacina, Doct. Theol. & J. U. Episcopus, Opera moralia. Tomi quatuor . . . Luisius Turrianus S. J. Summa Theologiæ Moralis . . . Ægydius Coning S. J. de actibus humanis, de fide, spe & charitate, de Sacramentis, de Censuris . . . Valerius Reginaldus, S. J. Praxis Fori Pœnitentiæ. Libri duo . . . Stephanus Fagundez S. J. de Præceptis Decalogi & Ecclesiæ, de Justitia, de Contractibus, Tomi

tres . . . Antonius de Escobar & Mendoza S. J. Theologia Moralis, Tomi septem . . . Antonius Diana, Canon. Regul. Summa & Resolutiones casuum, Tomi novem . . . Vincentius Candidus, Ord. Præd. Disquisitiones Morales, Tomi duo . . . Eligius Bassæus, Capuccinus, Flores Theologiæ Moralis, Tomi duo . . . Ferdinandus de Castro Palao S. J. Opus morale. Libri septem . . . Andreas Mendo S. J. Opera moralia Tomi duo . . . Joan. Dicastillo S. J. de Sacramentis, de juramento & censuris, de Justitia & Jure. Tomi duo . . . Georgius Gobat S. J. Theologia Moralis Experimentalis &c. Tomi duo . . . Jacobus Gordonus S. T. Theologia Moralis, libri duo . . . Ludovicus Abellus, Episcopus Ruthenus, Theol. Moral . . . Joannes Angelus Bossius, Barnabitta, Opera moralia. Tomi tres . . . Bartholomæus Mastrius de Meldula, Ord. S. Franc. Theologia Moralis . . . Hermannus Busenbaum S. J. edidit Medullam Theologiæ moralis notissimam, cujus editio quadragesima quinta facta est Ulyssipone an. 1670. & post hanc plures . . . Nicolaus Baldellus S. J. Disputationes ex Theol. Moral. libri duo . . . Franciscus Bardi S. J. Selectas quæstiones ex Universa Theologia morali . . . Stephanus a S. Paulo, Carmelita, Theologiam

giam Moralem ... Matthæus de Moya S. J. Quæstiones selectas ex Theol. Mor ... Thomas Tamburinus S. J. Opera Moralia, tres Tomi ... Adamus Burghaber S. J. Tres casuum Centurias ... Matthæus Stoz S. J. Tribunal Pœnitentiæ ... Andreas a Matre Dei, Cursum Theologico Moralem ... Patricius Sporer Ord. S. Franc. Theologiam Moralem. libri duo ... Bartholomæus Riccius. Ord. Eremit. S. August. Tractatus in propositiones damnatas ... Joan. Baptista Taberna S. J. Synopsin Theologiæ Moralis ... Joan. de Aloza S. J. Flores Summarum, sive Alphabetum Morale Casuum conscientiæ ... Joan. Baptista Corradus, Ord. Præd. Responsa ad Casus, Conscientiæ ... Natalis Alexander, Ord. Præd. Theologiam Dogmatico Moralem, Tomi duo ... Jacobus Illsung S. J. Theologiam Practicam universam ... Joan. Cardenas S. J. Crisin Theologicam Tripartitam ... Alios Scriptores e Societate Jesu, qui de variis materiis Theologiæ Moralis libros & Tractatus in lucem ediderunt usque ad an. 1675, numerant Allegambe & Sotvellus in Bibliotheca Scriptorum Soc. J. facile centum. In *tertia Classe* recensendi veniunt, qui seculo XVIII. scripserunt: Claudius La Croix S. J. Theologiam Moralem Hermanni Busenbaum pluribus partibus auctam, Tomi duo ... Anacletus Reif-